BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVII
C
15
NAPOLI

I-C-15



IN HUGONIS GROTII JURIS BELLI ET PACIS

Lib. II. cap. priora VII.

Ad

Illuſtriſſimum Baronem

BOINEBURGIUM

Commentatio

JO. HENR. BOECLERI.

ARGENTORATI,

Impenſis JOH. REINH. DULSSECKERI,

M DCC IV.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Digitized by Google

Lectori Benevolo
S. P. D.
JO. HENRICUS BOECLERUS.

Quemadmodum ſim ad hanc qualemcunque commentationem ſcribendam inductus, abunde ad primum Operis Grotiani librum denarravi. Unius nominis auctoritate, ſi inter bonos agitur, iterum res tota confecta dari poteſt. Illuſtriſſimus, inquam, BOINEBURGIUS, cum animadverteret, omnino aliquid deſiderari in illo ſtudiorum tranſitu, cum à Moralibus, quæ vocant, ad Juris Civilis peritiam via affectatur: neque à quoquam hunc hiatum, rectius quàm à Grotio expleri poſſe crederet; cœpit de ratione communicandæ cum pluribus in Germaniâ hujus ſententiæ cogitare, neque aliam commodiorem reperit, quàm ſi ab invidia vulgari, & ſiniſtris opinionibus paſſim diſſeminatis, perpetua quadam annotatione opus incomparabile, ſi non vindicaretur, ſaltem contra genium ſæculi laudaretur. Cur ad me iverit, ipſi ſua poteſt conſtare ratio: ego, cur obſequerer, multis magniſque cauſis

adductus ſum. Et his primum, quæ hominem à communi humanitate non alienum quemvis permoverent. Ne quid enim de generoſa Viri ſtirpe dicam, quæ ſæculo, quod à Chriſto nato tertiumdecimum uſurpatur, tres Wormatienſi Cathedræ Epiſcopos dedit, luculentisque in Imperio Germanico dignitatibus & meritis exſplenduit; nobilitas animi, ſtudium patriæ, induſtriæ vigor, conſilii exprompta copia, venerabilem longe lateque effecerant. Jam eruditio nihil vile aut inſolidum complexa, & in præſentes reipublicæ uſus, ſupra quàm dici poteſt, per altitudinem ingenii expedita; tum benignitas in literatos inuſitata; ſicut infinitos habent teſtes & debitores, ita meam prædicationem non deſiderant. Nondum ergo diſplicet mihi meus error, ſi quis eſt, quem tanto auctore, in ſuſcipienda hac ſcriptione, erravi: cum præſertim vel uno hoc nomine, plura illi, quàm quæ prædicare aut referre poſſim, debeam, quod illius ſuffragatione Eminentiſſimo ac Sereniſſimo Electori Moguntino (cui parem quæ ferent ſæcula?) primum traditus, atque commendatus,

ea conſulendi ſtudiis publice utilibus adjumenta vel habeo vel ſpero, quorum nec me, nec forte alios unquam pœnitere poterit. Sed Electoria quidem beneficia non enarrari debent propter viam. Provexit me in hujus rei mentionem, occultus quidam ſolatii non inefficacis ſenſus, quo adverſum calumnias, novi & inauditi criminis ſtruendi artificio infames, recreari juvat. Diu jam ſprevi nuntios, non ſegniter equidem afferentes quæ incredibilia videbantur. Sed tandem amicorum fido relatu didici, me incuſari tanquam vituperatorem Grotii. Proh vices rerum! Illinc gravantur nimias Grotii laudes; hinc criminantur reprehenſiones. Neutri me terrent: quia neutri bonis artibus graſſantur. Sed reſpondebo tamen utrisque; non de utrisque: neque horribilia eorum ſacra nunc enuntiabo, quamquam larga forte hic ſeges eſſet. Fuiſſe & eſſe me inter eos, qui divinum Grotii ingenium, & merita, ſingulari quadam vi ad ornandam Civilem Prudentiam adornata & accommodata, ingenue, intrepide, ſimpliciter æſtimant venerantur que,

injuria mei candoris & tot optimorum virorum conſcientiæ ſit, ſi referre ſtudeam. Inter tanta rerum teſtimonia, quid opus eſt verbis? Si ſatis æſtimare non potui tanti viri dotes artesq;, dicatur mihi defuiſſe eruditio, quam hodie unus tantum & alter, me profecto non invidente, ſibi vindicant: dum obſervantia & ſtudium Grotiani nominis integrum mihi indelibatumque ſervetur. Si nimis laudavi, malo in hanc partem peccare, ſi peccavi, ut ſatis laudari non poſſe Grotium exiſtimem. Facio hoc tamen, non ut adulator, aut mancipium ab alieno nutu pendere ſolitum: ſed retinens libertatis nemini obnoxiæ, de ſummo quidem, ſed homine tamen me loqui commemini. Quid igitur iſtuc tantum facinoris in me admiſi, ſi de Theologia Grotii & ſententiis ad religionis negotium ſpectantibus, abſque omni verborum contumelia, id dixi, quod viri magni & Grotio amiciſſimi ſemper dixerunt ſcripſeruntque? Fateor, me in hoc genere, neutrorum conſilio uti cupere, vel quibus ludus eſt & jocus, religio; vel qui placendi ſtudio, non minus ac alia diſſi-

ſimulari oportere iſta arbitrantur. Et hanc quidem ſentiendi, ac quæ ſentias, dicendi libertatem, ne ſummi quidem Principes conſtrictum eunt. Nedum, ut ſub domino privato eſſe mentem aut calamum patiar. Aliis licuerit aliter de Grotio ſentire; ac, ſi poſſunt, efficere, ut non minus in Theologia, quàm in plerisque aliis literis, palmam omnibus præripuiſſe credatur. At enim, dixi etiam: non reperiri in Hebræorum libris illum conſenſum, quem Grotius laudat, de verberibus regi inflictis. Demonſtratum id quidem eſt & jam in literas relatum, à viro rariſſimæ in hoc genere eruditionis, contra Juris Regii Hebræorum doctiſſimum ſcriptorem. An hoc ad injuriam incomparabilis doctrinæ ac ſcientiæ Grotianæ pertinet? An vivunt hodie, non dicam inter eruditos (ſinemus enim perlibenter frui ſuo genio illos, qui unis ſibi hoc nomen trahunt, ſi modo deſinerent odiſſe, quibuſcunq; parum ſane cupientibus fama aliquam eruditionis opinionem interdum conciliat) ſed inter eos qui tamen aliquem rerum uſum habent, neque in negotiis ſui

ſæculi ſunt hoſpites & peregrini, quibus perſuaderi queat, repertum eſſe unquam hominem, omnibus ſcientiis ac diſciplinis ex æquo eruditum, & nihil ignorantem? An hoc cadit in humanam ſortem? An qui de ſcientiarum orbe olim & hodie loquuntur, id agunt, ut ex nonnullis quidem hominibus deos, ex reliquis eadem opera pecudes faciant, qui ſervili ſtupore adorent ſine exceptione & diſcrimine quicquid eſt in illis numinibus etiam non divinum? Abſit, longeque aberit hæc tyrannis, qua nulla eſſet intolerabilior, donec hominibus ſanis haud erit commodum, non modò à libertate ſed etiam à ſervitute degenerare. Licuit ſemperque licebit, etiam à maximis viris modeſte & pudenter diſſentire. *Interdum vulgus rectum videt.* Id ſi mihi nonnunquam in hac commentatione contingat, valde importunus fuerit, qui pro crimine accipiat: cum præſertim ad ſummam adverſus Grotium obſervantiam nihil me uſpiam reliqui feciſſe, omnes boni abunde intelligant atq; ſentiant. Eodem ſi fuiſſent animo & candore; qui nunc ſe Grotii neceſſitudinibus venditant, longè olim aliarum partium

tium homines, nunquam hæc calumnia in mundum veniſſet. Eſt enim profecto perinſignis calumnia, & illi ſuppar, quam de Salmaſio in meum caput cudere non erubeſcunt. Qui? pæne nominaſſem. Sed expectabo tempus neceſſarium; neque remedia conſumam, antequam clarius oſtendi poterunt. Egone Salmaſio injuriam feci? ubi? quomodo? Dicunt: in Muſeo, &, in commentatione in Grotium. Dicuntne, qui legerunt; an qui aliis legenda ſcilicet & judicanda commiſerunt? ſi legerunt; nolo adhuc dicere, quales ſint, qui quæ non invenerunt in meis paginis, ab impotentia & malignitate animi, velut nebulam in pariete pictam, volunt inferre. Si nec lecta tam crudelibus cenſuris vexant, nemini non apparere poteſt,

Quod genus hoc hominum, quæve hunc tam barbara morem
Factio permittat.

Qui Muſeum legunt, omnia vident ex rerum actarum fide memorari, nihil fingi, nihil domo afferri: ſed judicia ſummorũ ex omni Europa virorũ, quos contra quosvis Ariſtarchos nominare ius fasq; ſit, de variis rebus in medium proponi. Non ſunt illa peritis ignota: neque ſe-

cretum deſiderant, quæ auctores nunquam occultanda cenſuerunt. Tantis nominibus, vel Muſæ debeant aſſurgere. Quæ ſi non ſemper elementis literarum oſtenduntur, vivunt tamen & ſplendent in conſcientia elegantiſſimorum, etiam ſummi ordinis hominum. Neque conſignata literis monumenta deſunt. Nihil meum hic eſt, ò cenſor; niſi quod, quantum ad Salmaſium attinet, ſimplicius dicta, ſed magnis auctoribus, in leniorem inclinavi partem; & revera in nonnullis aliter ſenſi. De *Defenſione* ejus *regia* ita ſolebam in ſummam arbitrari; ſi probaretur UNI, bene operam collocatam: Miltonium agyrtam ineruditum eſſe, neque magis contra Salmaſium, quàm ſuem contra Minervam appellari poſſe: in cauſa ipſa, nonnullis eum ſubſidiis, ut tum erant tempora, non potuiſſe non deſtitui: (fatentem ultro audivi) quæ tamen de cauſa & pro cauſa dixerit, bona eſſe: ſed quotiens in locos civiles digreditur, & ſua φιλοσοφȣ́μενα in argumentum ducit, non æque rem ſuccedere. Specimen nominavi in commentatione Grotiana, locum de jure licentiæ ſive impunitatis: talis eſt alter,

de

de jurejurando Principum. Si res poſtulet, potero ni fallor, oſtendere, quædam nec commode nec vere dici: paratus cedere meliora docentibus. Bonam cauſam male eum egiſſe, nec dixi, nec ſcripſi ego. Sciunt criminatores, cujus ſit hoc judicium. In Grotium quàm fuerit iniquus Salmaſius, quamque abjecte de hoc ipſo opere, cui hæc deſtinantur, ſenſerit, nemo hominum ignorat. Neque opus eſt nunc texere narrationes ſimultatum. Si ego eam rem in loco & tempore queſtus eſſem, an hæc injuria in Salmaſium dici poſſet? Sed queſti ſunt alii, neutri vel addicti vel infenſi. Et quibus ſane rebus Salmaſius magnam aliis libertatem judicandi fecerit, notum eſt: niſi quis, ipſi imperium in alios, reliquis neceſſitatem ſilendi tribuere ſe poſſe exiſtimet. Ergo injuria eſt, ſi quis cum pleriſque omnibus dicat, Salmaſium minorem Jureconſultum quàm Philologum fuiſſe; quia nonnulli ſua intereſſe putant, ut, reperiri homines quoſdam in omnibus doctrinis peræque excellentes, πανεπιστήμονας, nullaq; omnino in re cuiquam concedentes, reverentius credatur, quàm penitius ſciatur? Riſit ipſe

Sal-

Salmaſius & multo ſale perfudit gigantea conſilia; neque vel mathematicis, vel Rabbinicis in rebus, multum ſibi arrogavit; ne de aliis dicam. Satis honorum, ſatis gloriarum eſt, ſi homo quantuscunque, homo tamen, plurima ſciviſſe, neque parem reliquiſſe, non pauca vero etiam ignoraſſe, dicatur. Quos Salmaſii errores collegerint, aliis notandos ſuggeſſerint, ipſi notaverint, non ſemper moderationis memores, quamquam à probris & acerbitate interventu optimorum virorum retinerentur, homines Salmaſio magnarum rerum debitores; partim in propatulo eſt, partim in apricum produci poſſet, ſi hoc agendum nobis duceremus. Qui ergo ſibi & omnibus conceſſum arbitratur, in multis Salmaſio, non credere, aut accedere; aliqua ejus rejicere, de ſententiis ejus libere ſentire ac dicere, mihi autem dictatorio quodam more dicam impingere parat, ſi vel aliorum, Salmaſio nequaquam inimicorum, ſputa tamen ejus non lingentium, ſententias referam, is profecto animum iniquum, & truculentũ ultro & plusquam denuntiare intelligitur. Sed faxo, me libertatis memorem ſentiat, quicun-

que

que ad hunc modum volet laceſſere. Ut ad Grotium redeam, non ſum tam imperitus rerum, ut ignoraverim, unde obtrectatio omnibus, Germanorum præſertim, laboribus immineret. Itaque malebam ſuperſedere hac tota commentatione: & vel demiſſis manibus effugiendum immanem illum inſidiatorum faſtum cenſebam. Demonſtrabam etiam natos ad optima quæq; ſtudia ornanda, Viros Clariſſimos, *οἷς γόνυ χλωρὸν*, *Pufendorfium* & *Rachelium*: ab his nihil eſſe in hoc ſapientiæ genere, quod exſpectari non poſſet deberetve, merito prædicabam. Verumenimvero, ſicut ab utroque illo Heidelbergenſis & Juliæ Academiæ lumine, eximia omnia & teneri & ſperari jucundum in primis erat; ita non deſinebat me Mæcenas noſter ad hanc opellam perurgere: nunc illud exiſtimans eſſe tempus, quo omnes omnia, ad commendandos prætextu exemploque operis Grotiani antiquos veroſque ſapientiæ fontes, ſtudia conſiliaque æquum eſſet conferre. Valuit apud me hæc ratio: quamquam & auctoritas viri pro ratione, & voluntas pro imperio mihi eſſe po-

poterat. Nemo autem rectius gratificari videatur amico, quàm qui eadem operâ, & officio ſatisfacere, & aliis pluribus prodeſſe ſtudet. Si non ſpecioſa eſt, & quæ laudari poſſit, opera; voluntas tamen, omnibus bonis excuſata, crimen utique habere nequit. Quando igitur, ingeminant amplius, quid commentatione opus? legatur Grotius; legantur, quos Grotius legit: merito requiras hujus tam ſuperbæ cenſuræ auctoritatem. Quis te legis nobis ferendæ poteſtate armavit? an nemo alibi Grotium coṁentatione ex cathedra vel domeſtica vel publica, in gratiam auditorum proſequitur? an diſſerendo rem gerere fas, ſcribendo nefas eſt? an aliud agunt, qui huc tendunt, quàm ut Grotius legatur,ut ij legantur,quosGrotius auctores ſequitur? ſed nimirum doctis viris licet interpretari aut commendare Grotium, non indoctis. Hîc ego, ſicut an inter doctos referre me velint illi cenſores, ne ciccum quidem interduim (fides in fungendo munere, & boni civis induſtria,non vana gloria mihi propoſita eſt) ita haud dubie in probris ſæculi numerandum eſt, quod jam

per

per ora adoleſcentum Rhadamantei tribunalis decretum jactatur: eruditus non eſt, niſi quem hic & ille probat, aut amat. Unde apparet, damnata præjudicio natione aliqua, neminem ſerio, ſed, prout conſilii aut temporis videtur eſſe, nec niſi maligne, eruditum haberi. Iterum teſtor, me iſta, quamvis peſſimo exemplo fieri nemo inficias iverit, nihil prorſus movent. Non id agimus in Germania, ut in ambitionis certamen cum quoquam deſcendamus. Satis ſuperque nobis tribui credimus, ſi conſcientiæ apud Deum, officii in rempublicam ſtudioſi & memores habeamur. Eruditos omnes veneror ſemperque venerabor: multorum gratia & favore grate uſus ſum utarque: ut ex cultore in adulatorem deſciſcam, non eſt mei moris. Si me temporis haud minimi uſus, & cum eruditis commercium, ignarum eſſe non ſinit, quid factum, quid infectum ſit; licuerit ſaltem, conſilio innoxio, in loco repetere, quæ viri ſine controverſia maximi optimique ſenſerunt & dixerunt. Qui iſta calumniari volent, quid cœptent videant. Bonæ cauſæ nunquam poterunt deeſſe idonea ſubſidia.

Tibi,

Tibi, Lector cordate & à barbaræ inhumanitatis conſuetudine aliene, non equidem commendatum eo illas paginas (quas per me faſtidire cuivis licet, modo truculenti ſævitiam animi abſtineat) ſed rationem reddere cupio, cur nondum affecta prodeant quæ in hoc fragmento vides. Non mea, ſed Bibliopolæ ſponte id factum. Qui, cum animadverteret, non poſſe ſimul & ſemel omnia in publicum emitti, partitim hanc commentationem ut ſui arbitrii facerem poſtulavit. In diverſa enim varie diſtractus, ut urgerem aut conficerem deſtinata, impetrare à fortuna non potui. Equidem ab initio, pauca & brevia dare, conſilium erat: ſicuti ad *Grotii Librum primum* occœperam facere. In uberiora degreſſus, veniam mihi apud bonos paratam ſcio, ab alienorum operum cavillatoribus nec expeto. Sint aliqua, quaſi nec ad Grotium dicta. Quæ vero proprie huc ſpectant, vel illuſtrandæ ſententiæ Grotianæ, vel ad inquirendum demonſtrandæ, vel in commodiorem partem flectendæ, nunquam ſuggillandæ, adhibentur. Arbitrare, Lector cordate & benivole, & Vale.

IN

I. N. J. C.

IN HUGONIS GROTII de Jure Belli LIBR. II.

CAP. I.

De belli cauſis, & primum de defenſione ſui & rerum.

DIſtinctio cauſſarum belli in *iuſtificas*, & *ſuaſorias* & hic §. I. & infra *cap. XX.* §.1. vt & in *Annotatis* diligenter explicatur. Qua in re, qui ſubtilius velit verſari, animaduertet: *iuſtificas* cauſſas eſſe partim *manifeſti iuris*, quibus opponuntur tum *manifeſto iniuſtæ*, tum *falſa iuris ſpecie adornatæ*; partim *controuerſi iuris*, quæ in foro conſcientiæ, ſiue in examine æquitatis naturalis, effectum iuſtificarum ſortiri non debent; & licet pro iniuſtis à priori haberi nequeant, non magis tamen efficaces, quàm iniuſtæ aut maioris momenti, quantum ad vim impellendi ad bellum, reputandæ ſunt. *Controverſæ* item videri poſſunt vel *vulgo gentium*, vel *prudentibus*. Atque in hac quidem de iuſtitia quæſtione, ſatis apparet, locum non eſſe *iis*, *quæ iure ciuili vnius gentis iuſta cenſentur*, quatenus illud ius ciuile à naturæ & gentium iure diſtinguitur. Nam cum ius ciuile quod-

 cunq;

cunque, idem dicit, quod ius naturæ, reſpectu inualeſcit quidem altiore, ſed detractis, in accommodatione, omnibus quæ ad corpus ſocietatis vt talis pertinent. Bellum enim publicum geritur extra limites ciuilis conſociationis. Et quæ de priuato bello, iure ciuili ſtatuuntur, vel repugnant iuri naturali (exempla non deerunt ſuis locis) vel ius naturale ſanciunt explicantque, id eſt, ciuilis ſocietatis defectui, non unis de cauſſis euenire ſolito, ſubueniunt. Crebrius dubitatum eſt de iis, *quæ iure ciuili plurium gentium iuſta ponantur*: an in cauſſis bellorum iuſtificis locum queant tueri, qua de re in tempore, ſub exemplis agetur. *Suaſoriæ cauſæ*, aut *ſeiunctæ ſunt prorſus à iuſtificis*, aut *cum iis coniunctæ*. De *iis*, quæ plane à iuris reſpectu remotæ ſunt, facilis eſt diiudicatio. *Coniunguntur* autem cum iuſtificis non vno modo. Ex conſilio enim propoſitoq; coniungentis vel ad quæſtionem iuris accommodantur, & *de iure aliquid participant*; vel *in ſola quæſtione conſilii terminantur*. Illo modo vel *probabiles*, vel *improbæ*, vel *ambiguæ* ſunt: Hoc modo, vel *prudentiam decent*, vel *imprudentiam referunt*, vel *dubiæ æſtimationis ſunt. Prior modus* adſtrictioris, *poſterior* laxioris, neceſſitudinis tamen, eſt. In *priore*, quid ſocia & fautrice iuſtitia; in *poſteriori*, quid prægreſſa iuſtitia, conſultum ſit agere, ſpectatur. Nolo ſingulorum caſuum exempla ſubjicere. Ponam tamen aliquid, quod cogitationem lectoris inuitare poſſit. Geſſit aliquis bellum, quod ille, cui illatum

eſt,

eſt, ſemper iniuſtum & ſæuum credidit;, tum cauſſa, tum duritie finis, ſiue conditionum, quibus pax facta eſt, acerbitate. Interea, qui priore bello inique oppreſſus ſibi videbatur, accepit cauſam iuſtificam belli oppreſſoribus inferendi. Ad hoc faciendum, adiunxit etiam illas cauſas, vt vindicaret in auctores prioris belli acerbitatem, & damna amplificatione ac emunitione finium reſarciret. Quàm hæc, prope aut longe ad cauſam iuſtificam pertineant, multum intereſt, quo habitu & ratiocinatione animi, aliquid ſuſcipiatur agaturue. Quæ ſecreta cum ſolus Deus introſpiciat, multa hominibus non liquere certum eſt. Plurima tamen in exemplum poſſe ſub hypotheſi proponi (ſi quis hoc illoue modo animatus bellũ ſumat) & res hactenus parum curioſe traditas, exquiſitius declarari, nemo dubitauerit.

§. II. Fontes belli, cum ex ſententia aliorum (in illis verbis, *pleriq; bellorum tres ſtatuunt cauſas*) tum ex ſua, ſub comparatione cauſſarũ, ob quas in foro dari poteſt actio, ita proponit:

Bellum geritur ob *iniuriam* aut

1. *Nondum factam*, iminentem tamen & futurã, niſi arceatur, atq; hæc eſt *defenſio*
   1. *corporis, vitæ, pudicitiæ* 2, 1, 3. vſq; ad 11.
   2. *rerum noſtrarum* 2, 1, 11. & ſeqq.
2. *Factam*. atq; hinc eſt
   1. ad *reparandum, exactio eius quod noſtrũ eſt aut nobis debetur*, voce latius accepta lib. 2. c. 2. vsq; ad cap. 20.
   2. ad *puniendum, bellum pœnale* 2, 20, & 21.

Nodum in ſcirpo quærat opinor, qui hic in vocabulis ad patiendum liberalius adhibitis velit argutari, vbi de mente ſcriptoris conſtat. niſi quod de *bello pœna*, grauior ratio moneri iubet, non eſſe bellum pœnarium accurate loquendo, inter eos qui ſumma vtrinq; poteſtate præditi ſunt; ſed aliquid pœnæ comparabile. ſicut infra ſuo loco oſtendetur.

§. III. IV. V. De bello priuato iuſto, ad vitam defendendam agitur. Et iam ſupra dixerat 1,3.2: *omnium populorum legibus inſontem iudicari, qui aduerſus aggreſſorem armis vitam periclitantem defenderit.* Ciuilis lex ſequitur hic naturalem rationem. Natura enim unicuiq; defenſionem ſui commendat; natura, inquam, non animalis tantum, ſed rationalis; cui conſentaneum ſcilicet eſt, vitam ſuam aduerſus omnem vim iniuſtam defendere. Quæ tamen defenſio & tutela, vt inculpata ſit, moderamine opus habet, ipſa naturali ratione iterum dictante: 1. *vt defenſionis ratio ad offenſionis ſiue aggreſſionis modum exigatur:* id eſt, *vt nihil aliud proprie ſpectetur, quàm depulſio periculi, ſiue id, quod ad arcendum periculum vitæ, & in quantum, opus eſt.* quo pertinent, quæ ex *Thoma* §. IV. adferuntur. Hinc proficiſci palam eſt, quæ *de cauſſa & modo inculpatæ tutelæ* apud iuris ciuilis conditores & interpretes varia occurrunt. 2. *vt in continenti fiat defenſio, & aduerſus præſens periculum:* ſicut §. V. amplius explicatur. Interpoſita enim mora temporis, minuit opinionem neceſſitatis, & generat ſuſpicionem doli,

doli, ſiue propoſiti non inculpati. Quod *Demoſthenes* in explicanda lege Solonis obſeruat: τῷ προσγράψαι τὸ εὐθὺς, ἀφεῖλε τὸν τοῦ βουλεύσασθαί τι κακὸν χρόνον, *dum adſcripſit STATIM* (ſi quis ſtatim defenſionis cauſa occiderit) *ſuſtulit tempus quicquam mali conſulendi.* Verum, cum ob infinitam varietatem rerum ad ejusmodi actiones concurrentium, & ex iis emergentium, ſæpe parum in expedito ſit dijudicatio, viri prudentis arbitrio & definitione opus eſt; quam Ariſtoteles ex ea ipſa cauſſa in moralibus regulam fecit: ſicut Iureconſulti, poſtquam plurima ſubtiliter perſecuti ſunt in hoc argumento, ipſumq; *moderamē defenſionis* à *moderamine inculpatæ defenſionis*, notis quibusdam inſignibus diſtinxerunt, multa Iudicis prudentiæ & arbitrio relinqui oportere, profitentur. Theologi quoque morales non pauca conſignant, quibus *vltionem à defenſione* diſcernere liceat; & *mixturam vtriusq;*, aut *commutationem*, variis exemplis curioſius figurant. Ex Theologis & Iureconſultis ac Philoſophis, itidem velut in locum communem conducit aliqua *Fernandus Vaſquius Controu. Illuſtr. lib.* 1. *c.* 18.

Orat. adu. Ariſtocr. p. 435. *edit. Gen.* 1607.

V. Carpz. Pract. rer. crimin. part. 1. *p.* 28. *&* 29.

V. Io. de Dicaſtillo de Iuſt. & Iure lib. 2. *tract.* 1. *diſp.* 10. *dub.* 3. *n.* 4.

Multum autem ad rem totam arbitrandam facit, recte intellecta *origo belli priuati:* quam ex defectu iudicii, ſiue ceſſatione iudicii, merito arceſſit *Grotius*. Quamdiu enim iudicis copia eſt; nec neceſſaria, nec inculpata defenſio haberi poteſt: quotiens vero iudicio contendi non eſt quitum, ſua cuiusque ope, quæ alias iu-

dicio corriguntur aut obtinentur, defendi impetrariq; fas eſt, ita tamen, ut in odioſis interpretatio reſtrictius & ſecundum æquitatem fiat. Scilicet, quæ ſine cæde peragi poteſt defenſio, ad cædem non extenditur, ſi iuſta haberi debet: in quantum quidem defendenti ſe conſtare potuit, non opus eſſe cæde. Sed hæc ſæpius inculcantur. Hebræi moderamen inculpatæ tutelæ ita explicabant, teſte *Seldeno: vt tutela, ſi fieri poſſet, incruenta præſtaretur; ſin vero, etiam cum aggreſſoris membri alicuius mutilatione ſeu abſciſſione: quæ ſi neq; ſic præſtari poſſet, cædis aggreſſoris legitima habita, nec aliter. Tutelam* autem hic intelligebant tum *ſui*, tum *alterius*. Cum dicitur *alterius*, quæri ſolet: an quod pro mea defenſione licet, etiam pro alterius defenſione liceat: tum in quantum vtrobique quis teneatur. Qua in re laxius, adſtrictius verſari pleroſque videas. Quæ omnia Grotius etiam attigit, in ſequentibus. Adde *Dicaſtillo lib. 1. tract. 1. diſp. 10. dub. 8.* In *Legibus Longobardicis*, ex conſtitutione Rotharii, *ſi quis liber homo ſe defendendo liberum hominem occiderit*, illud quidem, accurate ſpectatur, an *probatum fuerit, quod ſe defendendo liberum hominem occiderit*; ſed in hoc ab aliis legibus differt mos Germanicarum gentium, quod *compoſitionem* i. e. mulctam pecuniariam & Wergildum tamen exigebat. Sic in *Capitulis, ſi quis aliqua neceſſitate cogente homicidium commiſit*, itidem *compoſitio* ſancitur: aut, *eccleſiaſtica diſciplina* decernuntur. Sicut in his ſeueritas, ita in aliis homi-

De I. N. & G. lib. 4. c. 3.

lib. 1. tit. 9. l. 19.

lib. 4. t. 27.

lib. 7. tit. 295.

homicidiis citra neceſſariam defenſionem patratis, lenitas ſingularis apparet, quod non morte luebantur, ſed compoſitione. Vid. *Hieron. Bignon. ad formul. Marculf.* 1. 18. *p.* 471.

Quæ in §. III. parte poſteriore habentur, repetita legas *lib.* 3. *cap.* 1. §. 2.

§. IV. Sententia Scholaſticorum proponitur, de transfodiendis aut obterendis iis, qui defenſioni aut fugæ, cum de vita ſeruanda agitur, obſtant. pertinetq; illa quæſtio, ad locum, *an liceat occidere innocentem?* Ponit *Dicaſtillo* *de Iuſt. & Iur. lib.* 2. *tract.* 1. *diſp.* 10. *dub.* 11. exemplum, *infantis* in via anguſta & *claudi* conculcati à fugiente. vix enim videtur fieri poſſe, vt obſtet de cetero, fugienti ſalutis cauſa, niſi qui ſe ipſi velit vltro aduerſarium conſtituere. quo euentu mutatur genus quæſtionis. Vt autem propoſita eſt, non immerito diſſentiunt ab aſſirmantibus Theologi cautiores. Vt enim quis velit necem infantis & claudi, nulla ſua culpa fugæ obſtantis, ſalua pietate & iuſtitia fieri nequit. Vna eſt ratio, ciendi in tali facto miſericordiam pro faciente, ſi credatur, non propoſito aut conſilio, ſed circumſtantia periculi conſternatus ſine prouiſu futuri conculcaſſe infantem claudumue. Et Grotius hic erudite verſatur, partemq; tutiorem eligit: vt & §. ſequente. Quod autem ait, *ſi naturam ſolam reſpiciamus, multo apud eam minorem eſſe ſocietatis reſpectum, quàm propriæ ſalutis curam*, recte acceperis de *primis natura*, ſiue de *natura animali*: cuius inſtinctionibus ſæpe laceſſitur animus ratione in ordinem redigendus.

Natura enim rationalis, ſui finis ſatis intelligens, cum ad ſocietatem colendam condita ſit; omnem φιλαυτίαν eo refert, & ita moderatur, vt inde leges accipiat. Id quod explicabit *hoc ipſo capite Grotius* §. 9. Ponam h. l. exemplum quæſtionis. Præfectus quidam militaris è prælio fugiens, hoſte inſtante, de ſuis militibus vnum in conferta turba antepoſitum transfodit, ne fugæ mora crearetur. Nemo repertus eſt, qui abſolueret aut excuſaret factum: cuius inuidiam ſola abſentia declinari, vnadenique ratio fuit.

Ad §. V. electis teſtimoniis, accurata diſtinctione metus in periculo, ſubjectis quæſtionibus & caſibus, quos vocant, conſtantem, adiungi debet neceſſitudine quadam §. *h. c.* 17. *Scholaſtici* dicunt, defenſioni non ante ius & viam dari, quam cum *aggreſſor ſ. inſultator inceperit moraliter.* quo pertinet, cum ſe parat, cum arma arripit. *Dicaſtillo lib. 2. tract. 1. diſp.* 10. *dub. 9. an liceat prauenire eum, qui paratus eſt iniuſte aggredi?* vbi plures caſus. Quod apud Grotium dicitur, in inſultatore ſpectari, *ſi appareat eum arripere arma occidendi animo*, multam diſquiſitionem habet. Atq; hic ſpectatur, ſi telum ſeu armorum genus ſit lethale; ſi aggreſſor viribus aut arte ſit penitus ſuperior: quæq; alia in iudicio ferendo conſiderari merentur.

In mutilatione *membri* §. VI. recte conſiderant Philoſophi membra eſſe inter ea bona, quæ reſtitui nequeunt; atq; adeo æſtimationem accu-

accurate loquendo non recipiunt. Quod & Iureconſultis placuit: niſi quod leges ciuiles hæc quoq; pretio taxant. ita in *Lege Angliorum & Werinorum tit.* 5. & in *Lege Friſionum tit.* 22. longa fit enumeratio, de taxandis vulneribus, læſionibus, mutilationibus ſingulorum membrorum. Nec diſplicuit hic mos aliarum legum ciuilium conditoribus. De Saxonico iure videndus *Carpzovius*. Quamquam hæc non tam eſt taxatio & æſtimatio ipſius membri, id eſt, rei vere inæſtimabilis pretio numario; quàm damnorum, ex vſu membri impedito ſublatoue emergentium, emendatio, pro conditione temporum, hominum, facultatum. In qua correctione dum verſatur iudex, membra membris comparari tum ratione vſus, tum ratione dolorum, neceſſe eſt. Quare *Scholaſtici* hic diſtinguunt, inter *reſtitutionem pro membro læſo mutilatoue*, quam fieri non poſſe, contendunt, nulla ratione æquandi taxandiq; & commenſurandi, ut loquuntur, relicta; & *reſtitutionem pro damnis ex læſione aut mutilatione membri ſecutis*, quam concedunt, imo deberi aſſerunt. Diligenter collegit ſententias celebriorum ſcriptorum *Dicaſtillo de iuſt. & iur. lib.* 2. *tract.* 2. *diſp.* 7. *dub.* 4. & 5. De cetero dubitari poteſt, an membri ſeruandi cauſſa idem liceat in alterius vitam, quod vitæ ſeruandæ cauſſa licet: niſi quod caute Grotius, de periculo mortis ex damno membri imminente addit. quid quod vix accidere poteſt, ut is, qui inuaditur, liquido diiudicare queat, quo ſine læſio

Pract. Crim. part. 2. *q.* 99. *n.* 30.

 ſit

ſit ſtatura. conſenſiſſe autem omnino videntur gentes in ſententiam, quæ h. §. proponitur.

Pro *pudicitia*, idem licere §. VII. Hebræi quoque ſtatuunt apud *Seldenum*. Et Græcos idem ſenſiſſe indicio ſunt illæ leges, quæ iubebant mœchum in flagranti crimine deprehenſum occidi apud *Libanium Declam.* 25. 33. 34. aut permittebant. *M. Sen. Contron.* I, 4. *IV*, 34. *Excerpt. Contr.* I, 4. IX, 1. Mars quoq; ob cædem ſtupratoris filiæ, abſolutus in *Annotatis* memoratur; & apud *Libanium* Apologia eius legitur. Nec Romanæ leges cæde adulteri maritum prohibent. Sed in his occurrit quæſtio de vindicta violatæ pudicitiæ: nunc de defendenda pudicitia proprie agitur. Atq; hic licere cuiuis pro defenſione pudicitiæ ſuæ occidere inuaſorem, ſi aliter (e. g. fugiendo, vociferando, aliisq; modis) defendi non poteſt, Scholaſticorum ſententia eſt apud *Io. Dicaſtillo*. Licentia ſtatuitur occidendi, non obligatio.

de I. N. & G. l. 4. c. 3.

declam. 23. 7. Bocar. de homicid.

lib. 2. tract. 1. diſp. 10. dub. 5.

Quæ §. VIII. habentur, latius diſputantur à Theologis moralibus, apud quos pro communi ſententia fertur: *licere occidere inuaſorem, quibus dictum eſt, cautionibus: non tamen, ut id faciat, eum qui inuaditur, teneri: niſi ſit princeps; eum enim teneri, ubi reliqui tantum poſſint ſe cæde aggreſſoris defendere.* Videatur *Dicaſtillo lib. 2. tract. 1. diſp. 10. dub. 2.* & *VaſquiusControu. Illuſtr. lib. 1. c. 18. n. 7. & 11.* Qui etiam obſeruat, diſtingui in hac quęſtione oportere ſententias Patrum & conſilia, ad *perfectionem*, non ad *neceſſitatem* ſpectantia, ab eo quod in foro conſcientiæ

licet

licet vel non licet. Aliud ſcilicet eſt *lex caritatis*, aliud *conſilium*. Ipſa quoq;, quæ dicitur *Lex caritatis*, non debet confundi cum iure naturæ; quando plerunque illa in tribunali conſcientiæ ad eam quæſtionem refertur, quæ commendat id, quod certo modo, certa cauſſa, certoq; conſilio tutius ac melius videtur. Quidam ex *Doctoribus* in alteram partem animoſius agunt; &, qui malit occidi quàm occidere, peccare dicunt, quodam genere homicidii in ſe; tum aduerſus Deum, citra eius voluntatem deſerendo vitæ ſtationem; deniq; in rempublicam, partim vſum ſui ciuitati ſubtrahendo, partim prauorum hominum audaciam ſua patientia in plurium perniciem inuitando. Quæ eò pertinent, vt opinor, quo iuſtitia inculpatæ defenſionis conſpectior fiat, ſi quis ita ratiocinetur: non, quo damnetur his criminibus quicunque occidi, quàm occidere maluit. Multis, in talis circumſtantia periculi, non ſuppetit conſilium, aut ratiocinandi copia: neque ſtatim liquet, quid maluerint. Aliqui à cæde humana, pio quodam horrore ita alieni ſunt, vt nec dubitatione animum liberare, nec iuris ſui vſu manum armare, ex tempore queant. Si ethnicus dixit, *æque apud bonos miſerum eſſe occidere, ac perire*: quid non poſſit eius miſeriæ meditatio in animo Chriſtiani, patientiam iniuriarum tenerius & flagrantius commentante? *Piſo apud Tac. 1. H. 29.*

Vaſquius, qui §. IX. meritò refutatur, iſtis importunis ſententiis, totum *opus Illuſtrium Controuerſiarum* intricauit. Iuuant refutationem,

quæ

quæ Grotius habet *lib.*1. *c.*3. *n.*8. Et 1,4,3, & 4. Ceterum, ſenſu huius moderationis tam iuſtæ tempeſtiue commotus Comes Taurellus, vir manu promtus, reſiſtere Principis filio noluit. Cum enim Alexander Farneſius Parmenſis iuuenili ferocia, quaſi virtutis ſuæ alienæque experiendæ, noctibus vagaretur, & præſertim celeberrimi cuiusque pugnatoris occurſum captaret, & in Comitem Taurellum, armorum arte & fortitudine notum incideret, ſtatim ad certamen prouocatum ferro ſtitit. Dum pugnatur, ad facem alterius prætereuntis, agnito Alexandro, quem inter tenebras noctis ignorauerat, Taurellus humi abiicit ferrum, & reuerenter veniam orat, ſi ſuum in Principem, neſcius licet ac laceſſitus, arma temeraſſet. Memorat *Famianus Strada.* *de bell. Belg. dec.* 1. *lib.* 9. *p.* 461.

Quando in §. X. de interfectione, honoris vel tuendi, vel vindicandi cauſa, quæritur, merito diſplicet Grotio, facilitas eorum, qui à defenſione ad vltionem duces ſe præbent interfectoribus. Annotabimus aliqua partite: primo, *de ſtatu quæſtionis cuſtodiendo:* deinde, *de aſſertionibus diſputantium:* deniq; *de conferendis rationib⁹ definiendi.* In *ſtatu quæſtionis cuſtodiendo*, meminiſſe debemus, agi de bello priuato; cuius origo, non aliunde, quàm à defectu iudicii, repetenda eſt. Ad quodcunq; ergo corrigendum, iudicii copia eſt, in eo non poteſt locum habere bellum priuatum. Ipſa enim lex naturæ, licentiam reſiſtendi & tuendi ſe, ita accommodat ad ſocietatis ciuilis conſtitutæ ratio-

rationes,vt, quæ reparari iudicio queunt, in iis exceptio ceſſantis momentanee iudicii adeoq; belli priuati cauſa, nulla ſit. Secus quàm in iis, quæ nullo iudicio reparari aut reſtitui queunt, ut vita, pudicitia. Quapropter huc non pertinet quæſtio de *alapa*,aut *quacunq; iniuria,quam iudicio expiandi facultas eſt relicta.* fruſtra,inquam, quæritur, an liceat poſt acceptam contumeliam, vbi iudicis copia deeſſe nequit, ad recuperandum honorem, interficere auctorem iniuriæ. Defenſio hic ſpectatur, quoad futurum, non vltio, quoad præteritum. Quod ſi & vltio bello privato originem dare poſſet, non prius tamen poſſet, quàm ceſſante continue iudicio. Ergo & illæ quæſtiones exſpirant, quæ iudicium non deſiderari, ſed ad privatam auctoritatem trahi, oſtendunt, quod etiam in fugæ periculo carentis facultate animaduertitur.In *aſſertionib9 diſputantium* aliqua explicari, aliqua & reprehendi forte merentur. *Honorē* vniuerſe dum conſiderāt, *eum vita æquiparant*, atq;, vt vitæ, ita honoris tuendi cauſa interfectionem licitam contendunt. Hæc non carent figura; cuius fiducia eo excedunt nonnulli,vt honorem vitæ præferendum,dicant. Sed accurata veraque æſtimatione vita primore loco, honor poſt vitam collocari debet. Deinde, cum aiunt; *ſi pro rerum defenſione interficere aduerſarium licet, quidni honoris defendendi cauſa?* notandum eſt, non omne *rerum* genus *honori* poſtferendum eſſe. nonnullarum enim rerum iactura, perniciem portendit: ſiue, ſine rebus qui-

Vaſq. c. 1, 18, 12.

quibuſdam viuere dominus nequit, qui tamen poſt honoris iacturam poteſt. In primis autem in huiuſmodi dubitationibus, *honoris definitio* non perducitur ad liquidum. Pleriq; opinione ac ſenſu multitudinis æſtimant honorem & dedecus; atque adeo moribus ſæculi & hominum. cum tamen prudentium & cordatorum virorum iudicio vnice honor metiendus ſit. Ita fit, vt apud deterius interpretantes iactura honoris habeatur, quæ recta æſtimatione non habetur. Quod in loco, *de fuga* luculente cernitur. Igitur Rhetorem magis quâm Philoſophum deceat illa exceptio, quando, poſita regula *non geri bellum priuatum licitum ab eo, qui fuga ſibi conſulere poſſet*, ſubiiceretur: *fugam ſimpliciter poſſibilem, honoris reſpectu moraliter impoſſibilem reddi.* Quid? ſi ſubſtituas, *honeſtatis reſpectu* fieri impoſſibilem. Bene: ſi honeſtatem valide accipis, nec pro honore in opinione vulgi poſito. Quare inquirendum erit, an ergo vnquam uſu veniat, *vt fuga fugientis honorem reuera imminuat, ſiue fugienti reuera dedecori ſit?* Exempla hæc ſolent afferri: ſi vaſallus dominum feudi periclitantem, fuga deſtituat: Si proximus in diſcrimine vitæ relinquatur à fugientibus: ſi maritus aut pater deprehenſum in flagranti crimine, & vim parantem adulterum fugere inſtituant. Quæ pro re nata non vnam tamen æſtimationem ſubeunt. Quod *fuga vitanda cædis ergo homini Nobili, aut Militi probroſa ſit*, nec legibus ciuilibus iuuatur, nec ratione defenditur. Scholaſticorũ diſtin-

V. Carpz. Pract. Crim. part. 1. quaeſt. 30. § 63. &c.

diſtinctio *ſpeculatiue* concedentium, quæ *practice* admitti non debeant, in quæſtionibus h. §. expreſſis, non videtur mihi vel erudita vel vtilis. Si enim vterque conſiderandi modus, in quæſtione iuris manet, vt debet, non erit practice (pergemus enim ita loqui) illicitum, quod ſpeculatiue licitum eſt. Quid eſt ſpeculatiue licitum, niſi id quod ſcio & per rationes idoneas intelligo, mihi licere facere? Sin permiſcetur conſilii quæſtio, qua dubitatur, an id quod ſcio licitum eſſe, etiam conſultum ſit facere, non philoſophi, ſed vulgi more confundes vocabula. Quod ſi dicas, *ſpeculatiue licitum* poſſe ſpectari, quatenus in ſe & ex natura rei licitum eſt: quod *practice illicitum* queat haberi, quatenus aliunde pericula & obſtacula emergere videntur: rurſus loqueris incommode, relictis vſitatis locutionibus, pruriginem excitabis apud eum, qui nullum obſtaculum ſupereſſe credet, ad actionem, ut primum in θεωρίᾳ conſtiterit, licitum eſſe de quo quæritur. Præſertim cum in exemplis huius argumenti, ne dici quidem poſſint ſpeculatiue licita, quæ pro talibus habentur; niſi valde à proprietate loquendi velis recedere. In Grotio ipſo, non incaute admittendum eſt, quod dicit: *iniuriæ auctorem dare læſo, eo ipſo, quod lædere parat, ius aduerſus ſe in infinitum*. Neq; enim id iuſtitia commutatiua dictat: Sed longe rectioris ſunt notæ, quæ *lib. 3. c. 11. §. 1.* aduerſus illud Poëtæ, *omnia dat qui iuſta negat*, ex naturali æquitate diſputantur. Equidem ſi in bello publi-

publico, modus nocendi, ad morem & rationem reparandi & reſtituendi ciuilem exigendus eſt: quanto magis id obtinebit in bello priuato? Naturalis ſane æquitas hic non ita omittenda eſt, vt quaſi ex ſolo demum Euangelio, ratio huius temperamenti petenda eſſet. In quæſtione ergo h. §. de interfectione ob contumeliam ſ. ignominiam vitandam, *momenta definiendi* ita debent conferi, vt primore loco conſtituatur *defect⁹ indicii continue ceſſatis* (momentanea enim ceſſatio hic ex natura rei non portendit periculum aut damnum irreparabile ſicut in vita & pudicitia) deinde *defenſionis inculpatæ limites ſignentur teneanturq;*: quo fiet, *vt à defenſione ad vltionem non poſſit fieri ſaltus.* poteritq; occaſio & materia confuſionis in ipſa quæſtionis forma deprehendi. vt ſi quis quærat: *an inferentem ignominiam aut alapa percutientem, contumeliiſue atrocibus afficientem per ſigna aut verba, liceat occidere, ſi aliter non poſſit honor defendi?* primo multum intereſt, de eo qui intulit, an de eo qui illaturus eſt; de interfectione, quæ ſtatim, an de ea quæ interpoſita mora fit, loquamur. deinde vix dabitur caſus, vt honor non aliter poſſit defendi. quando, cur, vbi non poteſt aliter defendi, non ceſſante iudicio, cuius auctoritas & vis extenuari vtique non poteſt? Sed videantur diſputationes eiuſcemodi vel apud *Io. de Dicaſtillo de Iuſt. & iur. lib. 2. tract. 1. diſp. 10. dub. 7.* & *lib. 2. tract. 2. diſp. 12. part. 4. dub. 2. n. 407. & ſeqq.*

De

De *rerum defenſione* à §. XI. diligenter agit. Legum præexiſtentium non alia poteſt eſſe hic conſideratio, quàm vt intelligatur, an & quam rationem naturalem legislator ſit ſecutus: adeoque an voluerit iure cæſum furem raptoremue pronuntiare, an impunitum tantum habere interfectorem. de qua re §. 13. infertur mentio. De cetero, quid iuris naturæ ſit, proprie hic ſpectatur; an ius naturæ permittat necem alterius pro defenſione rerum. Vbi origo iuris non tam ab æſtimatione rei (quamquam illa non facit nullum momentum) quàm à ſecuritate ſocietati ciuili & gentium propoſita, repeti debet: vt certa & tuta cuiq; ſit rerum ſuarum poſſeſſio & cuſtodia. Quam cum natura ſanciat, eadem opera tutelæ & defenſione rerum fauet, turbatoresque & violatores arcet, præcipue quidem ex præſcripto ordinis ſocialis, ſummæque poteſtatis & iudiciorum auctoritate, ſed vbi iudicis nulla copia, proprio cuiusque domini auſpicio & viribus. Quo in actu iure naturæ licito, id quoq; naturale eſt, vt limites defenſionis cuſtodiantur, nec ad vindictam ſaltus fiat. Fieret autem etiam tum, ſi rei non magnæ cauſa ad interfectionem vsque procederet defenſio. Cumque plerumq; difficilimæ ſit diiudicationis, quid in tali actione citra vltraue limites ſteterit, naturæ non repugnat, fauorem in ſpoliati vel ſpoliandi partem trahere, & raptorem furemue odio proſequi, id eſt, in dubio veniam dare cædi huius generis & ignoſcere. Atque hæc

ratio mouit nonnullos legiſlatores, vt tuendo rerum dominio muniendæque ſecuritati, fortius decernerent, atque increſcentis audaciæ odio, & fauore defenſionis, curioſius examen remitterent. In *Lege Longobardorum* Rhodaris Rex de collectionibus ruſticorum ita conſtituit: *Si aliquis ex ipſis ruſticis occiſus fuerit, non requiratur: quia ille, qui eum occiderit, ſe defendendo & res ſuas vindicando hoc egerit.* Sed hoc ad rapinas pertinet.

lib. 1. tit. 17. l. 3.

Ipſum autem diſcrimen furis, diurni & nocturni, tum armati & inermis, itemque telo ſe defendentis aut nullam defenſionem tentantis, ſatis oſtendit, legislatores in hac re ad naturalem & communem æquitatem reſpexiſſe, neque, niſi extra ordinem, & in pœnam increſcentis audaciæ, laxaſſe frena dolori eorum, qui pro rebus ſuis propugnant. Erudite autem de furo nocturno diſſerit Grotius §. XII. niſi quod differentiam illam, quam de lege Moſis, & lege Euangelica, vt ipſe vocat, §. XIII. affert, nolumus agnoſcere. vtrobique eadem ratio. Ipſa verba Moſis ſatis oſtendunt, agi de cæde quæ ſecuta ſit plagam furi nocturno à domino rerum illatam, non quam percutiens intenderit ac ſibi propoſitam habuerit. adeoque remoto propoſito cædis, cædis iudicium ſuſpenditur. Et cum de comparatione cædis factæ, aut intermiſſæ ſermo eſt, etiam in V. T. laudabilis fuit & præhabendi conſilii, omittere percuſſionem furis, niſi adfuerint cauſſæ reſiſtendi & repellendi grauiores illæ, quas in N. T. quoq;

nomi-

nominatim pro idoneis habet Grotius. Neque parabola tunicæ aut pallii eo valet, quo producitur: niſi hoc argumentandi genere, omni defenſione abdicata, ſublatis etiam iudiciis, ut omnium iniuriarum licentia inuitetur alaturque, velis ſinere. quod Theologis pridem oſtenſum.

Legis de furo nocturno ſupra etiam mentio facta lib. 1. c. 3. §. 2. Quæ ad omnes eas gentes, quibus cultura morum imitatione humanioris commercii placuit, propagata. De Græcis Grotius teſtimonium affert ex *Demoſthene*. cuius oratio *aduerſus Timocratem* legem Solonis ita exprimit: εἰ μέν τις μεθ' ἡμέραν ὑπὲρ πεντήκοντα δραχμὰς κλέπτοι, ἀπαγωγὴν πρὸς τοὺς ἕνδεκα εἶναι, εἰ δέ τις νύκτωρ ὁτιοῦν κλέπτοι, τοῦτον ἐξεῖναι καὶ ἀποκτεῖναι, καὶ τρῶσαι διώκοντα, καὶ ἀπαγαγεῖν τοῖς ἕνδεκα, εἰ βούλοιτο. *Si quis de die ſupra quinquaginta drachmas furatus fuerit, ad undecimuiros abduci eum licere. Si vero noctu quodcunq; furatus fuerit, hunc licere occidere, & inter perſequendum vulnerare, & ad undecimuiros abducere, ſi quis velit.* Rationem diſcriminis ita explicat *Vlpianus Rhetor*: ἐν νυκτὶ δὲ μείζονα τιμωρίαν ἔδειξεν, ἐπειδήπερ μεῖζόν ἐστι τὸ ἔγκλημα τῆς νυκτός. ἐν γὰρ ἡμέρᾳ δύναταί τις καὶ βοηθοὺς καλέσαι ἑαυτῷ. ἐν δὲ νυκτὶ οὐκέτι. *Noctu autem maiorem deſignat pœnam: quandoquidem nocturnum crimen gravius eſt. Interdiu enim licet vocare, qui auxilium ferant, noctu non item.* Videatur *Samuelis Petiti Ius Atticum*. Ab hac lege Solonis, Romani in XII. Tabulas retulerunt. Auctoritates collegit

p. 476.

p. 265.

Iacobus Gothofredus in Probationibus ad Tab. II. *l.4. §.1. D. ad l. Aqu.* Quod autem *Grotius* putat & ex *Gaio* oſtendit, Duodecim Tabulis hanc conditionem fuiſſe adiectam; *vt tamen id ipſum cum clamore teſtificetur*, qui furem nocturnum deprehendit: in eo facinus Triboniani incuſat, ſiue Tribonianiſmũ increpat *Iacobus Gothofredus*, *legemq́ illam* νοθεύσας ait, *in Probat. & Not. ad Tab. 2.* *cum Tribonianus quæſito Gaii nomine, hanc conditionem velut XII. Tabulis expreſſam, in interficiendo fure nocturno adiecerit: & ex Cicerone, Seneca, Vlpiano, Auguſtino, cõſtet, lege XII. Tab. nocturnũ furem impune quoquomodo, omni modo occidi: neq́, etiam in lege Solonis, quam imitata eſt Lex XII. Tab. aliquid tale*, imo contrariũ ex Vlpiani ſcholio, *appareat*. Non ergo in lege XII. Tab. erat illa προσθήκη, ſed à Prudentibus, nõn ſine ratione quidem, adiecta eſt poſtea. Apud *M. Senecam* in *Controuerſiis*: *V. 35. Excerpt. X, 6.* *Lex quæ nocturnũ furem occidi quoquomodo iubet, non de damnato, ſed de fure loquitur. odit hoc vitiũ, non immerito. non multum abeſt à proditore*. Ex *Lege Wiſigothorum* & *Capitulis Caroli M.* quædã in *Annotatis* adferuntur: ſed emendari debent in hunc modum: *Leg. Wiſigoth. lib. 7. tit. 2. l. 16.* præcedens l. 15. egerat de fure diurno: *fur qui per diẽ ſe gladio defenſare voluerit, ſi fuerit occiſus, mors ejus nullatenus requiratur*. Lex autem 16 *fur nocturnus captus in furto, dum res furtiuas ſecum portare conatur, ſi fuerit occiſus, mors ejus nullo modo vindicetur*. Legi ex Capitulis Caroli nominatæ, addatur *Lib. VI. cap. 19. Si effregerit fur domum, ſiue ſuffodiens fuerit inuentus, &* acce-

accepto vulnere mortuus fuerit, percuſſor nõ erit reus ſanguinis: quod ſi orto ſole hoc fecerit, homicidium perpetrauit, & ipſe morietur. Lex *Baiu-* tit. 8. l. 5.
uariorum: Fur nocturno tempore captus in furto, dum res furtiuas ſecum portat, ſi fuerit occiſus, nulla ex hoc homicidii querela naſcatur. Inter eos, qui ſine compoſitione occidi poſſunt in *Le-*
ge Friſionum refertur *fur, ſi in foſſa, qua domum* tit. 5. l. 1.
alterius effodere conatur, fuerit repertus. In *Lege Burgundionum Additamenti primi titulo* 16. c. 1. & 2: *Quicunq; in vineam alienam intrare præſumſerit, de die furti cauſa, inferat illi, cuius vinea eſt, ſolidos tres, & mulcta nomine ſolidos tres. Certe ſi de nocte hoc præſumſerit facere, & percuſſus fuerit, ita vt moriatur, cuius vinea eſt, nullam calumniam patiatur.*

An huiusmodi *leges, ius dent interficiendi, an ſolam impunitatem* §. XIV. & *infra* iterum II. 20, 17. quæritur. In hac quæſtione ſubtiliter partiendum eſt: vt clarius diſtinctiusq; appareant, quæ Grotius diſputat. Primo enim quæritur: *an lex ciuilis, eiuſcemodi permiſſione efficiat, vt factum omni culpa careat, etiam in foro conſcientiæ, & reſpectu Diuini iuris.* Deinde: *an lex ciuilis, permittendo interfectionem, iuſtam* (interna iuſtitiâ) *ciuili æſtimatione poſſit facere.* Tertio, *ſi poſſit, an debeat facere.* Quarto: *an fecerit.*

In *prima quæſtione*, iam *ſupra* diximus, legis ciuilis permiſſionem non ſemper efficere, vt factum in foro conſcientiæ, iura naturæ & of- ad l. 1. c. 1.
ficiorum regulas ſpectantis, culpa careat. in §. 9. p. 150.
totum ſcilicet. nam in tantum, nemo

 nega-

negauerit. Non enim extra conſiderationem poni debet bona opinio, quam ciuis permiſſione legis recte intellectæ vſurus de legislatoris iuſtitia & ſcientia habuerit. quæ opinio licet omne in re vitium non extinguat, opinantem tamen propoſito delinquendi vacare, oſtendit. Quod in eo etiam apparet, qui legem eiuſmodi ciuilem, ut naturali æquitati conſentaneam, neque vlli iuri diuino diſſentaneam, animo concipit. In lege de fure nocturno, id euenire poteſt & ſolet. Nec fere intra terminos defenſionis inculpatæ, dubitatio occurrit. Quid ſi lex de interfectione ita fuerit concepta, vt appareat, legislatorem ſumma poteſtate præditum, ad vindicanda facinora vti velle manibus interfectoris, non quidem iubendo cædem, ſed, quod iuſſioni proximum eſt, tanquam ſua vice & ex vſu reipublicæ factam agnoſcendo? Iuſta certe reddetur actio, ius verum dabitur interfectori, non tantum apud homines: donec de iure legislatoris & vindicis ſcelerum non dubitabitur. Alia eſt quæſtio, an voluntatem legislatoris, diſertis verbis non expreſſam, coniecturæ ſupplemento & interpretando, huc trahere oporteat. Verum hic *Grotius* legislatoriæ poteſtati opponit duos obices: primum, *ex reſpectu diuini iuris ſiue legis Moſaicæ*; alterum *ex reſpectu iuris iudiciorum*, quod ſcilicet, tanquam ius maieſtatis, alio iure maieſtatis impugnari non debet. Sed *Scoti*, quam laudat, ſententiam ſatis validis argumentis pridem euerſam, conſtat: nec de

pœ-

pœna *furti* capitali, relicta eſt dubitatio. Quod de iudiciis dicitur, ad *tertiam quæſtionem* pertinet: de qua ſubinde.

Nunc enim in *Secundâ*, videndum, *an lex ciuilis cædem permiſſam poſſit iure interno iuſtam facere*, intra ditionis ciuilis limites ſcilicet, & in foro ciuili. Quos ergo, & quo iure ſumma poteſtas ciuilis morte afficere poteſt, eos & eo iure priuatis, non iam priuatim, interficiendos committere, interdum & iubere, poteſt certis conditionibus, quas vltro conſtituit & format hinc euidentia delicti, illinc iudiciorum ordo, quem extraordinario compendio ſuppleri, non licentia confundi, conſentaneum eſt. Agnoſcit Grotius *infra* plenius, *hic* in *criminibus valde atrocibus*. Et iam ſupra ex *Tertulliano* attulerat: *In reos maieſtatis omnis homo miles eſt*, ex tali lege ſcilicet, de cuius iuſtitia nemo dubitat. An hæc aut illa lex permittens, ita lata ſit, vt terminos iuſtitiæ internæ non egrediatur, tam poteſt ſub examen vocari, quàm vniuerſim negari nequit, legem aliquam, qua cædes permittitur, iuſtam eſſe, & ius dare interfectori poſſe. Nobiliſſima prorſus eſt diſputatio in *Ariſtocratea Demoſthenis*, vbi oſtenditur, cur cædis reus non ſit, *qui aliquem in ludis, qui in bello imprudens, qui apud vxorem, ſororem, filiam, deprehenſum occiderit*. Additur etiam comparatio iuris bellici, eo quod pro his cum hoſtibus dimicamus publice: vt mirum non ſit, ſi priuato bello rationem hinc legiſlator commentus ſit.

II, 20. 17.
I, 4. 16.
p. 436.

Z 4 Sed

Sed forte, *etiamſi poſſit lex ciuilis ius dare, non debet tamen dare?* id enim *tertio* quærebatur. Non debet facile, temere, promiſcue. verſamur enim in quæſtione conſilii, cui talia nomina plurimum repugnant. Neque male putat *Grotius*, *in criminibus valde atrocibus* tantum id faciendum. ſicut de crimine maieſtatis, iam dictum eſt. Atrocitas autem criminis, non tam ex materia quàm aliunde æſtimatur. In *Solonis* legibus de furto, mortis pœna non tantum dictatur furto magno, quoad pretium rei (quinquaginta drachmas) ſpectato, ſed etiam rei paruæ & vilis, ſed in lyceo, Academia, Cynoſarge, aut in Gymnaſio, facto ſupra de-

p. 476. cem drachmas. apud *Demoſthenem in Timocratea.* De furto, ad rem & locum appoſite ratiocinatur Trogus, ex mente veterum Scytharum, *apud quos nullum ſcelus furto grauius* ha-

Iuſtin. 2, 2. bebatur. *quippe*, inquit, *ſine tecti munimento pecora & armenta habentibus, quid ſaluum eſſet, ſi furari liceret?* In caſtris vtiq; vbi diſciplina corrupta niſi emendetur, & licentia reprimatur, ſummum ab hoſte periculum imminet; ſæpe delicta alio tempore in leui habenda, quia modicis remediis ſiſti licentia nequit, magno taxantur. Sic in caſtris Cæſareis an. 1595. ad Strigo-

Thuan. *lib.* 114. *p.* 608. nium, rebus ita poſtulantibus, *in eos, qui quid vel minimi pretii rapuiſſent, ſancita capitis pœna.* Et in reliqua militia, crebra huius æſtimationis exempla. Sic enim ſe habet rigor diſciplinæ, vt non niſi extemporalibus remediis aliquando pericula ſummæ rei imminentia

præ-

præuerti queant. *Leges Imperii*, in *Articulis Peditum: ſi quis ordines egredi & agmine decedere, cogentiq́; in ordinem reſiſtere anſus fuerit, impune occidi poteſt.* Et, *in rixa caſtrenſi, qui pacem ſeruare tertio monitus quieſcere noluerit, impune occidi poteſt.* Quis non videt, in armata multitudine, longe maius & in exitium præſens valiturum periculum eſſe ab illis rebus, quæ in vulgo inermi, aut inter paucos, longe minus momenti facerent? hæc diuerſitas, non eodem modo ſemper taxari crimina patitur. Quando igitur concedit Grotius, in criminibus atrocibus non improbari vbiq; poſſe ius interficiendi priuatis datum; primum fatetur, iure interno non ſemper carere tale factum; deinde, nec rationem taxandi delicta, intendendi remedia, vti tempus & neceſſitudo rerum monebit, detrectare poteſt. Quanquam & iuris conſideratio diligentiſſima, & conſilii deliberatio cautiſſima atque ab omni temeritate remota, eſſe debet. Scilicet ne *iudiciorum auctoritate*, præiudicium creetur. Illa enim periclitari hoc in genere poſſe, quod *Grotius* metuit, inficias nemo iverit: non tamen ſemper id metuendum eſt. Tum demum enim *fruſtra* diceretur *inſtituta iudiciorum auctoritas*, ſi priuatus ſibi ultro ſumeret, quod per magiſtratum fieri debet & poteſt; adeoque ſi priuatus aliquis ſumeret ſibi ius occidendi facinoroſi, citra diſertam legis auctoritatem, aut in caſu lege non expreſſo. Quotiens autem legiſlator idemque iudiciorum dominus permittit in cer-

Articul auf die teutſche Knecht. 12. & 32.

certis cauſſis cædem, non euertere, ſed ſupplere voluiſſe iudiciorum auctoritatem, & quaſi exercere etiam illo extraordinario modo iudicium, cenſendus eſt.

Quærebatur *quarto, an lex ciuilis, præter impunitatem, etiam ius verum interficiendi in certis caſibus, dare voluerit, aut dederit?* Multas leges quæ interfectionem permittunt, ita concipi, vt veniam & impunitatem interfectori decernant, non etiam ius plenum dare inſtituant in aperto eſt. Sed agamus diſtincte. *Quædam leges*, vt cœpimus dicere, de ſola impunitate loquuntur: *Aliæ*, quin ipſum ius interficiendi dare voluerint & dederint, negari nequit: in *nonnullis* autem, an venia proſequi cædem, vel iuſtam pronuntiare voluerint, ambigendi cauſſa ſubeſt. *Primum gen⁹* non habet magnam difficultatem. niſi quod nonnullis in mentem venire poſſit illud ſolenne & antiquum: *qui non vetat peccare, cum poſſit, iubet.* Sed neq; intra limites noſtri argumenti incedit illa ſententia, neque figura caret. Multum enim intereſt, venia proſequaris factum, an iubeas: ſiue, venia te velle proſequi, ſi vitari non potuit factum; an vt fiat, velle dicas. *Secundi generis* exempla ponenda ſunt. Manifeſtiſſima ſunt, cum interfectoribus facinoroſorum etiam præmia decernuntur. cuius generis plura occurrunt. Neque fere de iis dubitatio eſſe poteſt, cum legiſlator dicit, non licite tantum hunc illumuè occidi, ſed vltro gratias ſe habiturum interfectori. Vt in *Legibus Imperii militiæ Equeſtris* Reuter-beſtall. *artic. 63.*

an.

an. 1570. *ſi quis fugam molientes ſclopo aut aliis armis è veſtigio impetat, non peccaſſe, ſed gratias promeruiſſe* pronunciatur. Da auch andere/ derhalben auf unverwendten Fuß in denſelbigen ſchieſſen oder ſtechen / die ſollen daran nicht gefrevelt / ſondern noch groſſen Danck darzu verdient haben. Et in *Articulis militiæ pedeſtris* plenius: *ſi aliquis vel aliqui fugam moliantur in campo aut alibi, proximus quisq; illum aut illos punctim cæſimue fereat: ac ſi quis ejusmodi fuga molitor, ita occiſus fuerit, nemo in eo peccaſſe, ſed potius gratias meruiſſe, habetor.* ſo ſol ſich niemand an ihm verwirckt/ſondern groſſen Danck damit verdient haben. Et culpa hic tollitur, & ἐπεξήγησις de gratia habenda, interpretari amplius mentem legislatoris poteſt. An ad *Tertium genus*, ſimplicior formula referri debeat, quæri poteſt, vbi dicitur: Wer ihn alsdann zu todt ſchlägt / ſol ihn damit gebüſt haben. Exemplum ante allatum, vnde hæc formula deſumta eſt, ſatis oſtendere videtur, impunitatem, non etiam plenum ius concedi. Ceterum de voluntate legislatoris in lege XII. Tab. de *fure nocturno*, ſpeciem dubitationis parere poſſent verba illa apud *Macrobium: iure caſus eſto.* Sed hæc non eſt locutio eius temporis. itaq; *Iac. Gothofredus* notat: *forte in ipſa lege fuit, ſe frande eſto,* ſine fraude ſit. Interim, qui hanc quoq; formulam explicant per illam, *iure caſus eſto:* oſtendunt, ſe intellexiſſe legem non de ſola impunitate, ſed de iure conceſſo. ſi modo propoſitum ipſis fuit ἀκριβολογεῖν, aut

Artic. auf die teutſche Knecht. 22.

Saturn. 1, 4.

de

de illa diſtinctione cogitare. Nam quod ex M. Seneca ante allatum eſt (*Lex furem nocturnum occidi quoquo modo* IVBET) ad oratorium inſtitutum, & figuram rei augendæ referri poteſt. De eadem re Imperator Fridericus in
tit. 13. *Conſtitutionibus Siculis* ita decreuit: *Qui nocturnum furem cum clamore, quem aliter comprehēdere non valebat, occiderit, iuxta Diuorum Parentum noſtrorum ſtatuta propterea nullam calumniā ſuſtinere debebit.* Plus videatur hic quàm ſolam impunitatem decreuiſſe Imperator: nec periculum vitæ eius qui occidit furem, ſed pœnam furis reſpexiſſe, ne impunitus effugeret. In *Conſtitutionibus* nonnullis *de Banno* formulæ illæ, quibus proſcripti pacis beneficio exuuntur, vitæq; periculo publice apud omnes exponuntur (wir ſetzen ihn auß dem Frieden in Unfrieden / und erlauben ſein Leib / Haab und Gut dem Kläger und allermänniglichen) videri poſſint non licentiam tantum ſed ius occidendi dare; quatenus executio in bannitum ſpectatur. Tanta enim verborum aſſeueratio & frequentatio (productius etiam & copioſius, quàm modo dictum eſt, fieri ſolita & ad cædem nominatim relata) facile potuit mouere pleroſq;, vt inter ea, quæ ſine culpa committi poſſunt, cædem banniti numerarent. Quos tamen cautiore prudentia attinuit, nec Statuti eandem vim eſſe, quæ in Banno Imperiali animaduertitur, docuit, ac interpretationem adſtrictiore modo faciendam, contendit vir & Iureconſultus magnus *Benedictus*
Carpzo-

Carpzouius. Sicut in ipſo quoque Banno Imperiali, & diſtinctionibus & cautionibus locus eſt, *Gailio* non indictis, in nobilis libri, *de Pace publica*, parte poſteriore. *Practic. Crimin. part. 3. q. 140. n. 135. &c.*

Doctiſſimus *Seldenus* exiſtimat, legibus cædem permittentib⁹ *culpam facti omnino tolli, eo quod ſumma poteſtas, talia priuatis permittens, ſuum ius miniſterio priuatorum exequatur.* *de I. N. & G. IV. 3.* Quod in ſum̃am dictum, ferri equidem poteſt. Sed ex iis, quæ dicta ſunt hactenus, ſatis liquet, in iis tantum legibus hoc proprie fieri, quæ præter impunitatem etiam ius interficiendi diſertis verbis dant. eſſe autem alias, quæ ſolam impunitatem decernunt & veniam, itidem dubio caret. Poſſis & medium inter has genus agnoſcere. Sunt enim iuris permiſſiui gradus, & quædam huius generis prope ad præceptiui iuris viciniam accedunt: alia ab eodem longius recedunt: quibus non ſunt nulla interiecta. Hæc & talia ex verbis & conſiliis legum, magna ſolicitudine illa diſcrimina conſectantium, deprehendere, atq; ita diiudicare licebit, vbi & quando ſumma poteſtas, manibus priuatorum ad ius ſuum exequendum, ex propoſito, aut à conſequenti, aut quodammodo vti velle videatur.

In *Annotatis ad h.*§. *Grotius* mentionem facit earum legum, *quæ ruſticos venantes morte puniunt:* &, in hoc genere mitiora optat ſuadetq;. Præclare prorſus. quis enim non malit hic in mitiorem partem concedere, quàm incendere nimium venatoriæ rei ac per ſe indomitum ardo-

ardorem; & iudiciorum ſeueritatem, maioribus rebus, & quæ, ſi negligantur, rempublicam trahunt, deſtinatam, auidius huc deflectere? Sed quæ conſilii & prudentiæ, Chriſtianæque moderationis ſunt, à quæſtione iuris diſcerni
II, 8, 5. debent. Notat infra *Grotius*, feras ſiue ius in feras imperantibus in partem ſtipendii debiti, ceſſiſſe. Quatenus illud locum habere poſſit, alias videbimus. vt & de libertate venandi, quam naturali iure omnibus deberi, nonnulli contendunt. Hinc enim pendet iudicium de eiusmodi legibus in ruſticos venantes latis. Et de iuſta aut iniuſta ſeueritate, non tam ex comparatione beſtiæ & hominis, quàm ex poteſtate & auctoritate legislatoris, cauſſisque aliis ſolet æſtimatio fieri. Quamquam ſi dicendum, quod res eſt, venatio priuatis, vtique aliis quàm capitalibus pœnis, ſatis efficaciter interdici poterat. niſi quis velit eo confugere, vt ad terrendum, non ad exercendum talem ſe dicat legem tuliſſe. quod ipſum an ſatis excuſatum ſit, dubites. Bernaboi Vicecomitis ſæui-
Gonzag. lib. 4. p. 405. &c. tia per cauſſam venationis in ſubditos ſibi homines ad exemplum perennis infamiæ exercita *Antonio Poſſeuino* accurate deſcribitur.

Ad §. XV. hæc notanda ſunt. De *dimicatione ſingulari* duplex eſt quæſtio: *extra bellum*, quæ priuata monomachia eſt: & *in bello*, *belline cauſa*, quod genus publici duelli eſſe poteſt. nā de priuatis in bello duellis, Grotius non agit. De monomachia autem *extra bellum*, hoc loco; de altera, *in bello, belline cauſâ*, II, 23, 10. Priuatæ

mo-

monomachiæ *prior caſus* à Grotio hic propoſitus, ad *defenſionem ſui & inculpatam tutelam* ſpectat. in *poſteriore caſu* merito improbatur iudicium magiſtratus. Si ergo magiſtratus aut ſuma poteſtas officio ſuo probe fungetur, non exiſtet talis caſus. in quo ſcilicet barbarũ quiddam ineſt. quod cur nolit in ſe admittere, qui Chriſtiano more ſe ad moriendum ex delicto comparare vult, cauſas non leues inueniet.

Hac occaſione amplius quæri poteſt: *an ſumma poteſtas duella priuatis iniurias ſuas inuicem executuris, vllo caſu concedere debeat?* Qui negant, rectius ſentiunt. *Controuerſias tollere per modum iudicij aut pœnæ*, inter iura ſummi imperii eſt: quæ imperantibus à Deo tradita, priuatorum per arbitria iactari non debent. Hoc enim eſſet, ſacra Reipublicæ prodere. Itaque prudentes viri in Gallia iudicarunt: *Regem Henricum II. qui ſerium duellum, rem Chriſtiana religione vetitam, infauſtis regni auſpiciis approbaſſet, in ludicro duello vita amiſiſſet.* apud *Thuan. fine lib.* 22. Hiſtoria duelli à Rege permiſſi deſcribitur breuiter à *Thuano l.* 3. *an*, 1547. *p.* 93. & 94. cum omni autem apparatu, in *Theatro Honoris (Theatre d'honneur)* Gallice ſcripto. Illi potius Principes laudandi ſunt; qui ſeueriſſimis edictis eiuſmodi certamina vetuerunt. Qua de re bene diſſerit *Auctor Miniſteriorum Cardinalis Richelii lib.* 3. *cap.* 8. & *lib.* 4. *cap.* 6. Et, quandoquidem teſtimoniis auſcultant magis, quam rationibus, qui peritia honoris aulici & gloriæ ciuilis cenſeri cupiunt, audient, opinor, non

graua-

grauate *Principem Condæum*, belli paciſq; arti-
Thuan. de bus ſummum. Anno enim ſuperioris ſæculi
vit. lib. 2. octogeſimo ſecundo, *Mompelii iniecta de nimia*
p. 32. *iam tum deteſtabilium duellorum frequentia mentione; cum Iſaacus Valdræus Moius, qui cum aliis è nobilitate aderat, ea decoris tuendi, cui vitam vere nobilis animus poſthabere teneatur, neceſſitate excuſaret, Condæus ſumma & tanto faſtigio digna grauitate interfatur, & magno errore homines in eo decus & veram gloriã reponere dixit, quod gloria Dei, ad quam omnia noſtra conſilia & actiones dirigere debemus, & mandatis eius, in quorum obſeruatione vita æterna conſiſtit, aduerſaretur: nec niſi pro patria iuſſu Principis aut inculpata corporis tutela cuiquam gladium ſtringere fas eſſe, pronuntiauit. conuerſaq; ad paſtorem, qui poſt ſedile ſtabat, facie, quo maiorem ſententia ſua fidem adſtrueret, ab eo coram quæſiuit: an ſalua conſcientia priuatis iniuriis vlciſcendis liceret ad certamen venire? & cum ille non licere, nec niſi cum certo damnationis æternæ diſcrimine id fieri reſpondiſſet, hoc iam conſtanter, inquit, tenete & auctore me, qui pro decore veſtro & gloria vltro me ſponſorem & prædem offero, illas de decore & gloria erroneas opiniones ex animis veſtris in poſterum delete.* Adde *Grot. ſupra h. c.* §. 10. & *infra* 2, 20, 8. de *ſingularibus certaminibus*; quæ *vindicandæ iniuriæ* cauſſa ſuſcepta, iniquitatis damnantur in ciuitate; *innocentiæ* autem *probandæ* ſuperſtitioſa ſunt. In *Leg. Longob. lib.* 1. *tit.* 10. *l.* 3. reus parricidii *ad nouem vomeres ignitos ad iudicium*

Dei

Dei examinandum iubetur accedere: §.4. *dimicare ſi negauerit.* Adde *lib.2. tit.*55. In Friderici quoq; Primi legibus caſtrenſibus apud *Radeuicum lib.*1. *cap.*26. *In cauſa vulneris inflicti permittitur duellum ita: Si teſtes defuerint,* & *(auctor vulneris) iuramento ſe expurgare voluerit, accuſator, ſi vult, poteſt iuramentum refutare* & *illum duello impetere.* Et mox in cauſſa homicidii; *ſi teſtes defuerint,* & *homicida ſe iuramento expurgare voluerit, amicus propinquus occiſi duello eum poteſt impetere.* Imperator autem Fridericus II. pugnas eiusmodi in *Conſtitutionibus Siculis* ſuſtulit *lib.*2. *tit.*32. & 33. veriſſima hac ratione vſus: *quod hac non tam vera probatio, quàm quædam diuinatio dici poteſt; quæ naturæ non conſonans, à iure communi deuiat, æquitatis rationibus non conſentit. Vix enim aut nunquam duo pugiles inueniri poterunt ſic æquales, vt vel in totum non ſit alter altero fortior, vel in aliqua parte ſui vigore, maiore* & *potiore virtute, vel ſaltem ingenijs alter alterũ non excedat.* In quibusdam tamen caſibus iudicium pugnæ reſeruauit: philoſophia grauiore, pro imperitia & moribus eorum temporum, non ſatis animoſe vſus. Vid. *ib.* & *Tit.*37. *de Campionibus.* Apud *Froſſardum l.*3. an. 1387. caſus memorabilis extat, vbi ſenatus Pariſienſis permiſit accuſatori viro nobili aduerſus reum itidem nobilem ſtuprum vi illatum actoris coniugi, pertinaciter negantem, ſingulari certamine contendere: ea conditione, vt ſi reus vinceret, vxor actoris flammis, corpus actoris victi patibuli ignominia puniretur;

ſin reus duello ſuccumberet, corpus occiſi à carnifice patibulo ſuſpenderetur. Adfuit quidem euentus iuſtæ cauſſæ, reusque victus, ſuſpendii ignominia notatus eſt. Sed hoc eſt tentare Deum: & incerto euentui, rem minime incertis rationibus definiendam permittere. Vir grauis nunquam probauerit. Satius fuiſſet vel abſolvi nocentem, quam cauſſam totam in caſum dare.

§. XVI. dicit Grotius, *ad publicum quoque bellum aptari debere, quæ de priuato hactenus dicta ſunt.* Quomodo fere diſſertationi huius generis ſubiicit *Albericus Gentilis: quæ recepta ſententia in cauſſis priuatorum, & mihi in publicis multo magis probantur.* Sed belli quidem priuati non omnia, poſſunt accommodari ad publicum: verſaturq; in oculis perpetuum diſcrimē, quod ſocietatis ciuilis ratio & finis poſtulat. *Publicæ enim poteſtates*, inquit mox ipſe Grotius, *cum defenſione & vlciſcendi ius habent. Ceterum ſi vlciſci*, eſt ſuo dolori ſatisfacere dolore eius qui læſit, non publicis magis Poteſtatibus, quàm priuatis hominibus vlciſcendi ius conueniet. Sin *vlciſci*, eſt iuſtitiæ ſatisfacere & malum reddere ei, qui malum fecit, adeoque punire iniurias, pertinebit hæc doctrina ad locum de bello pœnali. de quo infra. Atque tum ius vlciſcendi imminentia mala ſiue futura, non ad incertos metus ex facultate nocendi ortos referri debet, ſed ad metum ex perſpecta ſiue explorata voluntate nocendi propoſitoque, reſtringitur infra 2,22,5. & mox

lib. 1. de I. B. c. 13.

hoc

hoc capite §. ſeq. Vnde apparet, quomodo admitti poſſit vulgatum illud à priuatis ad publica tractum: *nemo tenetur primum ictum expectare.* Oratorio igitur colore dictum eſt à *Cicerone puto, arbitrio ſuo quemq́; timere oportere.*

§. XVII. contra *Alberici Gentilis* ſententiam diſputat *Grotius*, ut in margine oſtendit. Et videtur ſane Gentilis, multorum exemplis quaſi ius Gentium velle conficere. In fine tamen capitis addit: *Defenſio iuſta eſt, quæ præuenit pericula iam meditata, parata: etiam & nec meditata, at veriſimilia, poſſibilia.* (oſtenderat in præcedentibus, exemplo Hiſpanicæ & Turcicæ potentiæ) *neq́; tamen vltimum hoc ſimpliciter: ut dicerem iuſtum, dare operam bello huic ſtatim atq́; aliquis fieret potens nimis, quod non dico. Quid enim ſi Principi alicui potentia iſthæc augeretur, ſucceſſionibus, electionibus? num tu eum bello turbabis, quia periculo tibi eſſe eius potentia poteſt? Aliud addendum eſt pro iuſtitia.* Et iam ante iuſtam cauſſam metus à ſuſpicione diſtinxerat. Aut ergo idem ſentit *Gentilis* quod Grotius; ſi iuſta cauſſa præceſſerit, metum eiusmodi, magnum in ſuaſoriis rationibus momentum facere: aut recte monuit Grotius, quæſtionem iuris à quæſtione conſilii accurate vbique diſtingui, & illis primam, huius ſecundam ſortem eſſe debere.

§. XVIII. quoq; contra *Albericum Gentilem* diſputatur. Ratio Gentilis *verbis Auguſtini* allata non eſt tam debilis, ut ad metum rei incertæ

referri debeat. Moraliter enim certum quodammodo eſt, à iudice inimico metuendum eſſe. Vnde inſtantia de reo criminis in ius rapto, parum procedit. Iudicia enim ius & ordo gubernat: vbi bellum ingruit, innoxii cum noxiis cæduntur: iuriſque diſcrimen plerumq; confunditur. De cetero veriſſimum eſt, quod de ordine belli ſuſcipiendi monet Grotius: Iniuriæ auctor bellum promeritus, ſatisfactionem primo debet offerre: quæ ſi ſpernitur, quin iure reſiſti poſſit vlciſci cupientibus, dubio caret.

In Lib. II. Cap. II.

De his quæ hominibus communiter competunt.

DEuenitur ad diſputationem nobilem de Origine Dominii & proprietatis: agitatam à *Theologis moralibus* ad ſeptimumDecalogi præceptum de furto non faciendo, & *Scholaſticis ad Thom.*2,2. à *Iureconſultis de A. R. D.* & præſertim ex fontibus propius huc ſpectantibus à *Seldeno de I. N. & G. lib.6.* Ab *Interpretibus Ariſtotelis ad I. Politicor. & Oeconom.* Grotius vocabulo *noſtri* in hoc argumento paulo laxius vtitur, & §. 1. inſerta hypotheſi ſua ita diſtinguit:

Noſtrum

Noſtrum eſt aliquid

1. vel *communi hominum iure*, eoq;
 1. vel *in rem corporalem*, eamq;
  1. vel *vacuam à proprietate*, quæ
   1. vel *propria fieri nequit*,
   2. vel *propria fieri poteſt*.
  2. vel *aliquorum propriam*.
 2. vel *ad actus aliquos*.
2. vel *ſingulari noſtro*, de quo cap. ſeq.

Hinc §. *Secundo* originem Dominii explicare conatus, progreditur ad naturam dominii ab effectibus eorumq; reſtrictione declarandam. Multi autem & inſignes ſunt *huius* §. *errores*, quos partim notavit doctiſſimus *Io. Strauchius in diſſertatione de Imperio maris cap. I. Primus & grauiſſimus* error eſt de *communione primæua* dominium & proprietatem excludente. Talis enim, ut deſcribitur, neque ſacris literis, neque iuri naturali, ſiue naturæ rationali conuenit. Diſtinguit *Hugo de Roy* inter *Dominium ipſum*, & *Dominiorum diſcretionem*: *illud* eſſe iuris diuini & naturalis, *hanc* iuris Gentium, inquiens. Sed diſcretio Dominiorum nihil aliud eſt, quam Dominium in actu conſtitutum. Vnde nec verba illa, dominium & poteſtas diſponendi de eo, ſapiunt limam Philoſophi. Ipſum enim dominium eſt poteſtas diſponendi de re noſtra. Certe in hoc argumento eodem videtur redire, ſi quæras; vnde ſit origo dominii, aut vnde ſit diſcretio dominiorum repetenda, niſi alterum proprie, alterum figurate velis capere. Videndum ergo ante omnia, *an com-*

lib. 1. tit. 5. §. 1. de eo quod iuſtum eſt.

communio aliqua rerum, excluſa proprietate ac dominio, ex ſacris literis demonſtrari poſſit? Id quod pernegamus. Ex hiſtoria S. literarum hoc tantum conſtat: fuiſſe quidem à Deo datum Protoplaſtis dominium commune, hominum quaſi pro indiuiſo poſſidentium, quatenus Protoplaſti humani generis perſonam, ut ita dicam ſuſtinebant. Quo ſenſu adhuc recte dicimus: homines eſſe dominos terrarum orbis ſiue dominium in terrarum orbem, in quantum dominii capax eſt, ſiue in res terrarum orbis, ut in proprietatem ire poſſunt, ad humanum genus ſpectare; ſed hoc dominium commune non magis tollit dominium priuatum, quàm ſi dicam, Populus eſt dominus harum illarumue terrarum: ergo nulla res in illis terris priuato aliquorum, aut alicujus dominio ſubiecta eſt. dominium iſtud commune altera vice Deus contulit humano generi per Noachum inſtaurando. Sed nec priori, nec poſteriori hac vice intelligendum eſt dominium commune, ſine dominio priuato, tum ipſi Adamo, tum ipſi Noacho competente, quod liberos eorum ſine aliqua ceſſione præuia excludebat. Dominium enim commune humani generis, non poteſt nec debet concipi, ſine ordine ad dominium priuatum ita conſtituendum, ſicut naturæ rationali ac ſociali conſentaneum erat. Sicut illum ordinem tum argumenta ex ſacris literis, tum ex natura rationali abunde demonſtrant. Alii breuiore via huc contendunt, & Adamo, vt indiuiduo, domi-

Gen. 9.

dominium diuinitus conceſſum, in eius progeniem ab ipſo diſpenſatum eſſe, aiunt. Quæ ſententia non poteſt valide opponi contra eam hypotheſin, quæ modo allata, etiam *Seldeno* probatur, ad oſtendendam rationem dominii totius orbis, quod generi humano datum, tam aſſeuerate, etiam Veteres loquuntur. Adamus igitur iam Abeli & Caino dominium priuatum in quædam attribuerat, ſicut cogitur fateri *Grotius hoc ipſo loco:* & clarius oſtendit *Moſes.* Et qui potuiſſent in illa longæuitate Parentum liberi ſine priuato dominio agere? hiſtoria certe ſacra reclamat. Ita dominium illud commune humani generis ſub lege priuati dominii conſtituendi partiendique acceptum, variis titulis dominii priuati propagatum eſt ab Adamo, & patribus antediluuianis: & à Noacho filiiſque poſt diluuium. Quamquam enim nonnulli dubitant de partitione orbis à Noacho in filios facta, forte non tam incredibili, ut doctiſſimo *Bocharto* videtur: illud tamen certiſſimum eſt, filios Noachi diviſiſſe gentes & inſulas, adeoq; dominia rerum conſtituiſſe, ex *Gen.* 10. id eſt, iure à parente ad ſe transmiſſo vſos eſſe. Hæc ex hiſtoria primæuæ antiquitatis & S. literis hauſta, communionem eiusmodi primæuam quæ fingitur, prorſus deſtruunt: poſſentq; amplius demonſtrari aliis ſcripturæ locis, vnde euidentia de rerum dominio primæuo ac perpetuo, contra communionem illam argumenta depromuntur. Vt mirum ſit, in tanta luce rerum, Scholaſticos, quarundã

Geneſ. 4. v. 3. & 4.

Geogr. Sacr. part. I. l. I. c. 16.

diſputationum cauſſa, tam conſtanter inſiſtere vulgatæ viæ. qui tamen dum fateri coguntur, fictitiam illam communionem eſſe iuris naturalis, non præceptiui ſed permiſſiui, ſatis produnt conſcientiam infirmioris doctrinæ, aduerſus eos, qui firmiori iure fidunt.

Dicaſtillo lib. 2. tr. 1. diſp. 1. dub. 10.

Nunc videndum eſt, *an fuiſſe aliquam eius generis Communionem ex aliis ſcripturis adſtrui poſſit?* Iterum pernegamus. Nam quod Poëtarum loca adferunt, ad illa rectiſſime reſpondit *Lactantius*, ita intelligi oportere, *non ut exiſtimemus, nihil omnino tum fuiſſe priuati; ſed more Poëtico figuratum, ut intelligamus tam liberales fuiſſe homines, ut natas ſibi fruges non includerent, nec ſoli abſconditis incubarent, ſed pauperes ad communionem proprii laboris admitterent.* Diximus etiam alibi, quomodo illa doctrina *de Periodis ætatum & ſucceſſione* ex ſchola Platonis, & antiquiſſimorum Poëtarum carminib⁹ hauſta, ad veritatem Philoſophiæ examinari & revocari poſſit. Illud tantum hic addimus: quomodo aduerſis frontibus pugnantia dicant, qui id commentum adornare inſtituunt. Quidam enim illam communionem rerum, ut indicium beatiſſimi ſæculi commendant: alii, ex defectu ciuilis diſciplinæ, & rudi quadam barbarie arceſſunt.

l. 5. diuin. Inſtit. c. 5.

Sequitur: *an poſſibilis fuerit talis communio?* Quæ quæſtio pro diuerſo ſtatu generis humani conſideranda eſt. In *ſtatu innocentiæ*, ut Theologi vocant, non debuit aut potuit eſſe talis communio, quia ut omnis ordo rectæ ratio-

rationi conſentaneus, ita pulcherrimus ordo poſſidendi res, quarum dominium humano generi traditum erat à Deo, illi ſtatui vel maxime conueniebat. in quo ſcilicet abſtinentia alieni, illuſtre nomen ſortiri debebat. Vnde etiam lege morali ſiue Decalogo, ut abſtinentia, ita certa cuique & diſcreta rerum ſuarum poſſeſſio ſancitur. Illa autem lex, ante lapſum, in ſtatu innocentiæ, hominum mentibus inſcripta erat non minus, quàm poſt lapſum repetita. *In ſtatu poſt lapſum* poſſibilis non erat talis communio, I. quia ne animo quidem concipi poteſt, ſicut ex ipſo Grotio animaduertunt, qui conſiderant illa verba huius §. *Nam quod quisq; ſic arripuerat, id ei eripere alter niſi per iniuriam non poterat.* Ecce proprietatem in communione. II. Quia ſi ex hypotheſi poneretur talis ſtatus communionis rerum (in quali tamen nec extitiſſe vnquam homines, nec ex conſilio Dei exiſtere debuiſſe iam monuimus) non potuiſſet vel minimum temporis durare, & fuiſſet naturæ humanæ ſiue rationali contrarius, ferinus, inſociabilis; quod diuerſis rationibus, eodem propoſito oſtendunt *Gaſſendus* & *Pufendorfius*. Atque hic vnicus eſt vſus, certe primarius, illius *hypotheſeos ficta de communione primæua*, ut oſtenderetur neceſſitas diſtincti dominii in ciuitate: quia ciuilis ſocietas nec euenire, nec ſi eueniſſet, durare potuiſſet, recepta illa communione ἀκοινωνήτῳ. III. Quia poſt lapſum homines nunquam potuerunt ſine lege viuere, vt eſſet vita ſocialis:

Gaſſend. Phil. mor. p. 1455. primæ edit. Pufend. 1, 5, 17. & 2, 3, 5.

igitur nec ſine diſtinctione dominiorum. Illa enim communio rerum pugnat cum lege, quæ aſſignare & diſtribuere res poſſidendas ſolet. Igitur *legem & diſtinctionem dominiorum* coniungunt non tantum qui Poëtas philoſophice interpretantur e. g. *Seruius*, qui *feritatem vitæ ſine lege* interruptã eſſe ait *inuento vſu frumentorum, poſtquam ex agrorum diſcretione nata ſunt iura:* ſed ipſe *Grotius hoc loco*, *Taciti* auctoritate vſus de inuentis legibus inani coniectura hariolantis. IV. Quia poſita cõmunione tali non daretur certa Reip. forma, i. e. ciuitas non eſſet ciuilis, ſocietas non eſſet ſocialis. Societas enim ciuilis ordine imperandi parendique, certaque eius ordinis forma continetur. Notauit hoc, ut alia plura *Ariſtoteles*, quando aduerſus communionem bonorum Platonicam diſpu-

2. Polit. 3. tat. Quæ tota diſputatio eſt huius loci. Recte autem ibidem monetur, non eſſe in ciuitate locum bonorum communioni proprie ita dictæ; Sed *illi* tantum, quæ ex amicitia & virtute proficiſcitur, & quodam modo communio ſiue communicatio, figurate ſcilicet dici poteſt. Ius ſcilicet dominii naturale & ciuile, quodam quaſi temperamento benignitatis & virtutis

lib. 3. c. 20. miſcetur ex vſu ſocietatis ciuilis. *Lactantius* quoque communionem bonorum & *impoſſibilem* & *iniuſtam* oſtendit.

Eſt igitur *proprietas & dominium Iuris naturalis* certiſſimus fœtus: iuris, inquam, hominum mentibus inſcripti, adeoque diuini. Eſt enim ius naturæ pars iuris diuini. Argumentum

cla-

clarum & certum eſt: Quod ius à primo rerum hominumque ortu appetentiam alieni vetuit, furtumque interdixit, illud dominium rerum & proprietatem conſtituit. Ius naturæ primæuum ſive excellenter ſic dictum aliena appeti aut furto ſubmoveri vetuit. E. ius naturæ proprietatem & dominium conſtituit. Maior clara & in præfatione probata eſt. Furtum nullum eſt, vbi nihil proprii. Alienum nihil eſt, vbi omnia ſunt communia. Alieno autem abſtinere, inter prima naturæ præcepta eſt, ante quæ nihil inter homines fuit. Minor eſt ipſum præceptum iuris naturalis, vt mentibus hominum primæua creatione inſiti, ita in Decalogo per ſcripturam promulgati. *Gentium ius*, ut à naturali diſtinguitur, in quibusdam generibus poſſeſſionum ex moribus aut pactis tacitis expreſſisque præcipue attenditur. Pleraque autem, quæ formam dominiis dant & modum in ciuitate, *iuris ſunt ciuilis*. Quæ rectius exemplis monſtrantur.

Ex his apparet, arbitror, quàm perperam dixerit *Grotius* inter alia *huius* §. *potuiſſe hunc ſtatum communionis rerum durare in eximia caritate, aut magna ſimplicitate.* Sicut enim poſt lapſum talia hariolari abſurdum eſt, ita ſi ante lapſum hæc nomina ponas, neutrum diſtinctionem rerum ac ordinem excludet. Immo caritas luculentius ſe prodet in communicatione eorum, quæ propria erant, quàm citra proprietatem. Quare II. *exemplum ab Americanis populis* petitum nihil efficit. Vt enim probentur,

quæ

quæ naturæ dictatu hominibus conueniunt, non ſumenda ſunt exempla naturæ male affectæ aut cultu rationali defectæ: quaſi quis ex Aboriginum aut Getulorum barbaris moribus (de quibus *ſupra* 1, 4, 2.) vellet ſpecimina naturæ rationalis & ſocialis petere. De corporis natura iudicamus, non ut morboſum corruptumue eſt, ſed ut ſanum & recte ſe habens. vt taceam, tale exemplum, quod accurate huc quadret, in hiſtoriis Americanis vix dari. Quicquid afferes, videbitur ad id accedere, non id eſſe. III. Ad *Eſſenorum*, *primorum Chriſtianorum*, *Monachorum exempla* iam pridem abunde reſponſum eſt à Theologis, Monachorum paupertatem, quaſi nihil proprium poſſidentium, exagitantibus. Habetur enim & aliquid proprium in communi: notaque & multis explicata heri & hodie eſt vocis homonymia, quantum ad communionem. IV. Quod *ſimplicitas primorum hominum ignoratione magis vitiorum quàm cognitione virtutis* definitur, & cum *Scytarum exemplo* comparatur, intolerabile merito videtur iis, qui in primis hominibus etiam poſt lapſum excellentiſſimam cognitionem virtutis fuiſſe, cum qua Scytharum rudis ignorantia nihil commune habet, inuictis argumentis ſciunt. Adamus, inquam, poſt lapſum melius omnibus philoſophis, qui multis poſt ætatibus fuerunt, quicquid lapſus inuexit deprauationis, & virtutis rectique moris indolem, perſpexit cognouitq;. Multa ſtatuant abſurda neceſſe eſt, qui hoc negant. V. Ea,

quæ

quæ hic afferuntur de gradibus deprauationis, magis exegit Grotius ad Poëtarum hypotheſin, quàm ad fidem Sacrarum literarum, quas interpretando non parum hic corrupit. Ecce, cur cupido voluptatis mundo poſtdiluuiano excellenter tribuitur, & in oppoſitione mundi antediluuiani? de quo tamen extant clariſſima teſtimonia *Gen.6.* & *Matth.24,38. Luc.17. 26.* Quare & VI. præter omnem rationem, poſt præmiſſa tam vana, infertur cauſa, ob quam à primæua illa fictitia communione diſceſſum ſit: *quod homines non contenti, veſci ſponte natis, antra habitare, corpore aut nudo agere, aut corticibus arborum ferarumue pellibus veſtito, vita genus exquiſitius delegiſſent.* Quid hoc eſt aliud, quàm ex hominibus beſtias redigere (quod non iniuria monuit *Feldenus*) & hiſtoriæ vim facere? Valde confirmant noſtram de iure, quo diuiſio rerum facta eſt, ſententiam quæ *Cardinalis de Lugo* aduerſus *Medinam* in hac quæſtione diſputat: vbi ad ius naturæ, veritate vltro ducente, propius propiusq; accedit agnoſcitque, *ius natura in genere dictaſſe & præcepiſſe fieri appropriationem, licet modus illam faciendi non determinatus, ſemper cum dependentia aliqua à iure humano intelligendus eſſet.* ſcilicet ad rationem ſocietatis, quæ natura duce ſpectatur. Bene hactenus; niſi quod infirmius ſibi conſtat, cum addit: *ſuppoſita fragilitate & multitudine hominum.* Et de *multitudine* quidem, res ſalua eſſe poteſt. diuiſio enim rerum, à natura præcepta, ad plures ſpectat, & ſocietati ordi-

de Iuſt. & Iur. tom.1. diſput.6. ſect.2. n. 4.5.6.

ordinandæ deſtinatur. Sed *infirmitate* etiam ſepoſita, locum fuiſſe futurum huic ordini, ex diuiſione rerum nato, ante dictum. Præceptum eſt perpetuum: cui in ſtatu innocentiæ ſuopte ingenio homines obtemperaſſent. poſt amiſſam ſanctitatem primæuam, neque adhuc aliud dictat recta ratio non deprauatis mentibus, & præterea etiam neceſſitate finis ſocialis, aliter non obtinendi; & vitandæ confuſionis ac noxæ, ex *infirmitate* vltro ſecuturæ, obediendum vident.

Hoc in loco diuerſæ ſignificationes vocabulorum *communionis*, & *proprietatis*, aliis verboſius explicatæ, à nobis non attingentur. neq; enim id commentationi huic eſt propoſitum. Illud vnum addimus: ethnicis in origine dominiorum explicanda non parum obſtitiſſe, ignorationem primæuæ antiquitatis. Quid enim aliud diceret, qui videret partitim terrarum orbem à nationibus gentibusque poſſideri, neque titulum poſſidendi priorem alium ſciret; quàm illud ipſum, occupationis & ſubinde diuiſionis beneficio primum cœpiſſe teneri, quæ nemo vt propria vindicaret? Atqui diuinitus traditam & donatam hominibus proprietatem, tum quæ imperium, tum quæ dominium conſtituit, ex hiſtoria ſacra nouit; illi occupatio & diuiſio rerum non eſt cauſa proprietatis; ſed proprietas cauſſa occupationis & diuiſionis. Porro, qui ignoraret primarum conſociationum hiſtoriam, neque vel reſpectu hominis, vel reſpectu rei diiudicare poſſet, cur illæ aut

aut iſtæ res huic potius quàm illi ceſſiſſent, ille ad ὑπόθεσιν communionis, non cuiuſuis tamen, nec amplius delabi potuit, quàm vt crederet uſum ſingulis communem in eo fuiſſe, quod proprium pluribus pro indiviſo fuerit. Nam communionem fingere, quaſi in rebus omni proprietate vacuis, & promiſcuo vſui omnium expoſitis, ratione omni caret; præſertim ſociali. neque eiuſmodi ſocietas vel ad momentum ſubſiſtere poſſet. cumque ethnicorum pleriq; hominem ſocietatis cauſſa conditum agnouerint, facile poterant à cogitatione communionis nimis quam diſſociabilis abduci. illi autem, qui crediderunt, *quæ in terris gignuntur, ad vſum hominum omnia creari*, etiam ori- *Stoici ap.* ginem dominii propius poterant inſpicere. Et *Cic. 1. off. 7.* ſane Stoici multũ hic perſpicaciores fuere: niſi quod figuris haud multo minus, quàm Poëtæ, licet alio inſtituto, operam dedere. Ab his deſumſit *Cicero* illam comparationem de Theatro, cuius partem *Grotius* laudauit. Tota ſic *3. de Fin. c. 20.* habet: *quemadmodum theatrum, cum commune ſit, recte tamen dici poteſt, eius eſſe locum, quem quiſq; occuparit: ſic in vrbe mundoue communi non aduerſatur ius, quo minus ſuum quidq; cuiusq; ſit.* Quem ſenſum *Arrianus* excitatius etiam extulit: τὸ θέατρον οὐκ ἔστι κοινὸν τῶν πολιτῶν; ὅτε οὖν καθίσωσιν, ἐλθὼν, ἄν σοι φανῇ, ἔκβαλέ τινα αὐτῶν. *Theatrum, nonne eſt commune ciuium? age igitur, vbi conſederint, veni tu, ſi lubet, & aliquē loco eiice.* Et præceſſerat exemplum *porcelli, conuiuarum communis ante diuiſionem, non amplius* *in Epict. lib. 2. c. 4.*

com-

communis poſt diuiſionem. Quod genus communionis, quomodo proprietatem includat, ſatis apparet.

§. III. Deuenitur ad quæſtionem *de imperio & dominio maris*. de vtroque enim diſputatur. Negat *Grotius* proprium fieri poſſe mare, duabus rationibus, morali vna, phyſica altera. Sed vtramq; poſt *Seldenum* ſatis retudit *Strauchius*. *diſſert. de imper. mar. c. 2.* neq; adeo facile conceduntur ab aliis, quæ præterea ponit: *tum tantum poſſe occupari mare, quando ſe habet ad terram, vt portio quædam* 2, 3, 8. & 10. *modum occupandi imperii maritimi, ratione territorii hunc eſſe tantum, quatenus ex terra cogi poſſunt, qui in proxima maris parte verſantur* 2, 3, 13. tum *de exemplis* θαλασσοκρατίας, *quaſi ad ſolum imperium ſine alia proprietate ſpectantibus*. ibid. & ſi quæ alia huius generis occurrunt. Facit autem dignitas & elegantia diſputationis, vt repetenda huc exiſtimemus, quæ alio loco conſignauimus.

Adferemus ergo I. *quandam huiuſce controuerſiæ hiſtoriam*. II. *momenta ſententiarum diſſidentium quodam modo comparabim⁹: tum communiter, tum ſeorſim*; omnia referentes ad tale *iudiciū, quale de toto negotio, variis ex cauſis facere ſolent viri rerum publicarū vſum habentes*.

Quando ergo quæritur, *an mare ſit imperii & dominii capax*, videntur apud ſcriptores non pauca eiusmodi loca occurrere, quæ diuerſas de hac quæſtione apud antiquos ſententias oſtendant. ſed vtrum verborum an ſententiarum id diſſidium ſit, diligenter concertarunt, qui

qui nuper eam quæſtionem ex profeſſo tractarunt. Hic non opus fuerit, iſta omnia repetere. Dicemus potius de ipſis præcipuis Scriptoribus, qui hanc controverſiam ſibi examinandam deſumpſerunt. Principes ſunt *Grotius* & *Seldenus*. Cum enim non procul ab initio huius ſeculi inter Hiſpanos & Belgas de induciis tractantes multum etiam diſceptaretur, *de libertate Indicanorum commerciorum*, quam ſibi Belgæ fœderati vindicabant, Hiſpani autem inter arcana dominationis ſuæ ſepoſitam cupiebant: ea occaſione (vtemur nunc verbis *Dominici Baudii ex lib. 2. de induciis belli Belgici petitis*) *editus eſt libellus, cui titulus, Mare Liberum, ſuppreſſo nomine, ſed autore Hugone Grotio Fiſci aduocato. — illic ſolidis rationum momentis, illuſtribus exemplis, ſanctione Regum, auctoritate ipſorum Iuriſconſultorum, qui inter Hiſpanos magno in honore ſunt, euincitur, liberam ad Indos nauigationem nec diuino nec humano iure ſubditis Ordinum fœderatorum interdici poſſe.* Poſtea *Grotius* ipſe non parum limitauit, partim etiam ſuppleuit diſputationem de Mari Libero cœptam, in egregio opere *de iur. bell. & pac. l. 2. cap. 2. §. 3.* itemq; *c. 3. à §. 8. usq; ad 16.* vbi præſertim in *notis* noua acceſſio eſt ſupplementi & explicationis. Poſtea præterlapſis pluribus añis, nimirum anno huius ſeculi 35. *Ioh. Seldenus IC, Anglus* contrariam ſententiam, & ſimul totam de dominio maris quæſtionem tractauit edito opere, cuius titulus eſt *Mare Clauſum.* Vbi præſertim oſtenditur, *mare dominii capax eſſe,*

ſemperq́ pro tali habitum fuiſſe. Reprehenſus eſt titulus *Maris Clauſi*, tum ab aliis eruditis, tum ab ipſo *Grotio*, vt primum fama propoſitum Seldeni diſtulerat. Itaque in præfatione is defendendum ſibi ſuum titulum exiſtimauit: eo ſucceſſu, vt homines moderati de titulo non valde diſceptandum iudicarent, quamquam is elegantiæ titulorum inter eruditos amatæ non congrueret. *Clauſum* enim *mare* Latinis idem eſt quod *innauigabile*: atque ita dicitur, quando hibernis menſibus à medio Nouembri in Martium, nauigationibus fere abſtinetur. *Grotius* certe exiſtimauit, *Thalaſſocraticum* rectius vocari potuiſſe librum Seldeni. itaque nec alio nomine citat in notis ad librum 2. *de iur. bell. & pac. cap.* 2. §. 2. Quantum ad rem ipſam attinet, Grotii partes defendendas ſibi exiſtimauit *Theodorus Graſvvinckelius*, conſcripto opere, cui titulus *Vindiciarum Maris liberi*, quinque libris conſtante: in quo Seldenũ per ſingulas partes inſequutus refutare aggreſſus eſt. Non tamen editum eſt hactenus (quamuis ſubinde ab auctore ipſo citatum, & Seldeno per excerpta ab amicis communicatum) rationibus reipublicæ vt apparet, editionem non vſquequaq; ſuadentibus. *Iohan. Iſacius Pontanus* quoque *duobus diſcuſſionum hiſtoricarum libris* Seldeno ſe oppoſuit, vt Danis Norvvegisque præſertim quædam iura vindicaret, quæ *Seldenus* ad Britannos traxiſſe viſus eſt: inſertis tamen communibus momentis, ad varias quæſtiones huius argumenti

per-

pertinentibus. *Ceteri recentiorum*, qui hanc quæſtionem diſceptarunt, non tam in partes iuerunt, aut ex profeſſo tractarunt, quam vel repetiuerunt, vel excerpſerunt aliquid, aut annotarunt ex tota argumenti amplitudine. Ita *Thomas Riuius hiſtor. naual. med. lib.3.* c.37. & 38. plerаque argumenta *Seldeni* pro dominio maris in compendium colligit. *Iacobus Gothofredus* in diſſertatione *de imperio maris ad legem* Ἀξίωσις ſeu *legem deprecatio 9. ff. de L. Rhodia de iactu*, ex occaſione oſtendit: *Romanos imperium maris apud ſuas ditiones ſibi vindicaſſe*, idq; iure ſe & exemplo aliorum populorum facere putaſſe. *Io. Strauchii diſſertationem de Imperio maris* iam laudauimus. *Loccenius* & *Stypmannus*, *de iure maritimo*, itidem repetendis & diffundendis huius diſputationis locis occupantur. *Moriſotus in orbe maritimo lib.2. c.10. de imperio & dominio maris in genere* quædam præmittit: *c. 20. Imperium Hiſpanorum maritimum*; *c.21. imperium Luſitanorum maritimum*; *c. 23. maritimum Genuenſium imperiū percurrit*, & ſic poſtea de aliis gentibus agit. Nam de *Gallis* iam ante tractauerat: ſunt autem illa pleraque eiuſmodi, vt ad accuratiſſimam controuerſiæ diſputationem non multum proficiant.

Neq; ſane nobis in re tanta *iudicium* ſumere animus eſt. id enim onus Ætna grauius *Ioh. Iſac. Pontanus* exiſtimat. Quædam tamen licebit nobis annotare, quæ fortaſſe *in comparandis ſententiarum pugnantium momentis*, & *eligenda inter vtrumq; opinione non improbabili*, aliquem vſum *in præfatione diſcuſſionum hiſtoricarum.*

vſum habere poſſunt. Et I. quidem nunquam defuerunt, præſertim hodie, qui putarent: *ſuperuacaneum eſſe de hoc argumento diſputare. Id enim armis potius & gladiis ſummarum poteſtatum, quàm ſcripturis & commentariis priuatorum diſceptari conſueuiſſe.* Quæ ratio ſi aduerſus nos valere poteſt, plerisq; omnibus oberit, qui de magnis reipublicæ negotiis & controuerſiis, haud raro Marte diſcerni ſolitis, aliquid conati ſunt. Humanius certe ſentiendum eſt, de ipſis ſummis poteſtatibus: ad quarum exiſtimationem pertinet, ne vi pro iure vti cenſeantur. II. Sunt alii, qui putant, *ſi omnino hæc verbis atq; literis diſputanda ſint, argumentorũ tamen fontem non ex titulis iuris aut rationibus Philoſophiæ, ſed potius ex ratione ſtatus, vt loquuntur, peti debere*, id eſt, *Principes & populos imperium maris modo animoſius affectare, & laxius interpretari, modo diſſimulanter & lenius agere; imo interdum ſententiam flectere, & defenſum aliquando dominium maris impugnare, ſi ratio & vtilitas reipublicæ ita poſtulet.* Quæ ſicut non fruſtra dicuntur, ita obſtare nequeunt, quo minus, de re ipſa ex capite honeſti & boni æquique agatur: ſuaſoriis in tantum dilatis ac ſuo loco relictis. Hæc ſunt quæ communiter circa hoc argumentum agitari ſolent.

Seorſum autem notari merentur, quæ ad partes diſputationis propius referuntur. Hic ergo obſeruare licebit I. *In ſcriptoribus huius controuerſiæ ſubinde deprehendi propoſitum aliquod peculiare, ac ſtudium partium.* Qui affectus cum

cum ſe diſputationi miſcent, fieri non poteſt, quin vel citra vel vltra rectum conſiſtatur. Ita *Hugo Grotius in mari libero*, dum commerciorum in vtramque Indiam libertatem Batauis ſuis vindicat, ſubinde animoſius egit, & plus vltra progreſſus eſt. Fortaſſe enim non adeo pertinebat ad rem, mare vniuerſe liberum facere, vt libere nauigaretur in Indias. Neque neceſſe fuit miſcere ea, quæ colorem habent, cum iis, quæ argumenti vim poſſident. Ab altera parte *Seldenus*, dum Patriæ ſuæ dominium maris Britannici aſſerere ſtudet, nimis obſequutus eſt auiditati humanæ in proferendis imperii dominiique finibus.

Quapropter II. non poteſt improbari *Pontani* ſententia. qui tutiſſimum iudicauit, *media incedere via*, & *aſſerere*; *nec liberum eſſe mare omne nec etiam claudi quodcunque aut omne poſſe.* hactenus, inquam, non poteſt improbari, quatenus vtraque ſententiarum è diametro pugnantium à modo probabili abeſt.

Quis enim III. non putaret, *intereſſe generis humani, vt maris dominium vniuerſale ſiue vniuerſi maris imperium illicitum iudicetur?* Res clara eſt, ſi cogitemus vel noſtra tempora: quibus non defuit cauſa diſputandi: *an Monarchia vniuerſalis* (quoad terras genteſq;) *vel poſſibilis ſit, vel, ſi eſſet, iuſta & licita haberi debeat?* Sententiam dixere vniuerſi pæne Europæ Principes, liberrima ſeueritate damnantes, qui aliquid tale probatum ac defenſum ibant.

IV. Conſiderantibus præterea paulo intentius, hanc de dominio in certam maris partem controuerſiam, conſtabit: *non tam de dominio, quàm de dominii effectu plerosq́, qui in negantē eunt partem, ſolicitos eſſe.* eſt enim humanæ vel cupiditatis vel elationis hic mos, vt quicquid ad imperium vel dominium pertinet, ampliſſime interpretetur, nec deſunt fere Principibus repertores titulorum, colorum, argumentorū, quibus id propoſitum ſtabiliri videatur. quo fit, *vt qui alicuius freti ſe dominos ferunt, nihil ſibi non licere putent in exercendo iure ſuo in omnes eos, qui quacunq́ de cauſa huius imperii limites ingrediuntur aut tranſeunt.*

Qua occaſione V. non intempeſtive forſitan aliquis ita annotauerit: *parum conſentire cum vera prudentia regulis, ſi talia in vulgus efferantur, iactentur, oſtententur.* Fingas enim, iuris eiuſcemodi indubiam eſſe auctoritatem; erit tamen tota ea res ex illō genere, quod in arcano altiſſimo reponendum, multa ſunt, quæ ſuadent. quicquid enim ad omnes inuidioſum eſt ac durum, variis diſſimulationibus abſtrudendum eſt; ipſaque rei aſperitas humanitate verborum & mutui commercii mitiganda.

Hoc ſicut probatiſſimi eſt conſilii, ita non dubitauerit aliquis VI. neceſſitatis etiam legem huc aduocare, hunc in modum. Euoluantur omnium gentium annales & ætatum: *patebit, nunquam bene ceſſiſſe cuiquam talem iactantiā.* Niſi ergo velis mala ſuperuacua in tuum caput attrahere, moderati[9] certe philoſophandū erit.

Quid

Quid? quod *ipſius negotii natura* VII. *talis eſt, vt reſtrictius interpretandi neceſſitas nemine latere poßit*, quod, vt clarius dicatur, ſic poterit intelligi, ſi dominii imperiique maritimi talis eſſe conditio reputetur, quæ à cætero dominandi imperandique iure aliquid diuerſum habet. In cæteris enim non adeo multum aliarum gentium intereſt, quomodo dominium imperiumque in tua exerceas. Quomodo vero maris imperio vtaris, hoc ad omnes nationes pertinet. præſertim hodie, vbi totius orbis commercia, nauigationis beneficio veluti perpetua ſerie cohærent. Quod autem omnes nationes ſuis vtilitatibus obſtare exiſtimant, id abſoluto & infinito vnius populi arbitrio ſubiacere, iniuriam interpretantur.

VIII. Exemplis nobilioribus res fit clarior. *Mercandi & negotiandi, itemq; ex vna regione in aliam vel ob belli vel ob pacis negotia tranſeundi libera facultas, talis eſt, vt ſine ea vix mundus videatur poſſe conſiſtere. Itaq; cauſam hanc, fauore plenam, diuinis humanisq; literis aſſertũ ire, in procliui eſt.* Qui ergo ius ſui dominii, rei tam fauorabili opponit, is quantam difficultatum molem in ſe recipiat, in propatulo eſt.

Statim enim audiat neceſſe eſt, IX. *fines particulares*, (qui ſpectantur in dominio huius vel illius) *fini vniuerſali, ſine quo humani generis digna hominibus ſocietas conſiſtere nequit, ut concedant, optimi maximi iuris eſſe.*

Et profecto hæc ratio X. apud pleroſque prudentiores tanti poteſt momenti eſſe, vt

particulares illos dominii maritimi fines moderate, reſtrictèq́ ac interdum pæne diſſimulanter tractandos eſſe, arbitrentur.

Quæ enim XI. *de incolumitate & potentia domeſtica* ex diuerſo adferri queant, talia ſunt, vt niſi modo & ratione nitantur, vim argumenti habere nequeant. Tum enim incolumitatis rationibus poſtulantibus, aliquid dicitur fieri, quando aliter ſalui eſſe non poſſumus. Sed quæ ad potentiam, viriumque & opum amplificationem pertinent, vt minus fauoris, ita minus iuris putantur habere. Non eſt interim hodie inuſitatum, vt incolumitatis obtentu præſcribantur, quæ ad opes & amplitudinem ciuitatum pertinent.

Interea XII. dememiniſſe non oportebit: *hanc controuerſiam de dominio maritimo vix vnquam hodie ad liquidum deduci*; etiam vbi non deeſt rationum copia aut exemplorũ. *ſemper enim fere aliquid hic diſſimulari ſolet: ſemper item opera datur, ne plurimarum gentiũ contradictio irritetur, aut in diſputationẽ cum plurimis gentibus deſcendatur.* Ita fit, vt mutuis prudentiæ myſteriis, & occultis rationibus ſtatus, ad vſum potius reipublicæ quàm ad titulos & ſchemata in vulgus proponi ſolita, pleraque vis huius argumenti referatur.

Non poſſunt illuſtriori *exemplo* demonſtrari, quæ diximus, quàm *Hanſeatici Fœderis*. Coierunt in id fœdus ciuitates partim in imperio Germanico, partim extra id, arctiſſima ſocietate. condiderunt ſibi leges, inſtituerunt ma-

magiſtratus,iudicia,archiuum. Cauſa & origo, commerciorum libertas. Cui adeo non interceſſerunt vicini Principes, vt vltro priuilegiis & immunitatibus auctum irent. Si cauſam quæras huius fauoris, potiorem haud dubie inuenies nullam, aut priorem, quàm vim naturalem illius iuris, quod mercibus permutandis aut transferendis debetur: vnde etiam, ſi pauciſſimas nationes excipias, pleriq; omnes populi pro libertate illa exigenda & inuicem danda conſenſerunt: Non obſtante dominio maritimo, quod illis aut iſtis in locis de cætero aſſeritur. Scio & alias fuiſſe cauſas, cur Principes Hanſeaticæ iſti ſocietati (*Thuanus Teutonicam vocat*) ab initio fauerent, ſuasque *lib. 51.* inde opes & copias amplificare cuperent. Sed ipſa ratio conſociationis illius talis eſt, vt citra diſſimulationem imperii maritimi, alias paſſim affectati, concedi ac foueri non potuerit. factumq; eſt, quod dicimus, vt ornaretur Hanſeatica ſocietas ab iis, qui non poterant non præuidere, ad tantum potentiæ eam proceſſuram, vt Principibus formidabilis exiſteret. Id cum poſtea vſu venit, non potuit tum demum tota ſocietas factionis & conſpirationis nomine deſignari. Ad quod crimen ſolide reſponſum eſt ab ipſa Societate anno huius ſeculi nono. Extat ſeorſum, & apud *Ioh. Angelium à* *1609.* *Werdenhagen tractat.6. de ciuitatum Hanſeaticarum antiquo & nobiliſſimo fœdere*, addi poteſt *Limnæus I.P.7,c.1,79, & ſeq.* Illud interim nemo negauerit, Principes maritimos retinuiſſe

opinionem de iure reſiſtendi & declinandi, ſi poſſent, quæ fiduciâ virium inſolentius & amplius quàm par eſt tentarentur. Id ius tamen ſæpe diſſimulandum & in occaſiones opportunas differendum fuit. Quod ſi nunc de inſtaurandis opibus Teutonicæ Hanſæ (cuius vix vmbra reliqua eſt) ageretur, non eſt dubium, quin ex præteritorum vſu, præſentia & futura paulo aliter ordinarentur, quantum ad Principum iura attinet.

Hac occaſione illud quoque obſeruatu dignum eſt, quod *conſuetudinum maritimarum & nauticarum*, quæ ſubinde in ius eualuerunt, non aliud poteſt principium dari, quàm conſenſus quidam hominum prudentum, qui nauigationibus & itineribus maritimis inde ab
c. 44. antiquo vtebantur, atque ita *Conſulatus Maris* bonas conſuetudines maritimas, *ex regulis ſapientiæ, iam inde ab antiquo per prudentes viros commerciis maris vtentes traditæ*, repetit. vnde hoc ſaltem liceat colligere: ſemper aliqua eiuſmodi placita communi gentium conſenſu valuiſſe, quorum vſus non tam à particulari dominio maris aut legibus per dominos maris particulares latis, quàm ab illo quaſi communi iure deriuatur. imo (quod obſeruatu forte non indignum eſt) pleræque leges maritimæ à particularibus maris dominis latæ, veluti normam communium illarum conſuetudinum, ſiue rationem illam vniuerſalem ſequebantur, aut ad eam dirigebantur.

Hæc

Hæc licet ex vſu temporum & negotiorum, cum pro diuerſitate ingeniorum, diuerſis plane modis vel explicentur vel allegentur, ignorari tamen & negligi nunquam debent, quocunque etiam ſcopo quæſtio hæc tractetur.

Sicut autem Hiſpanorum affectatum in Indicum Oceanum ius occaſionem nouam & inſolitam huic diſputationi dedit; ita bene, obductæ tam vaſto propoſito rationes, ſunt depulſæ, tum alias ab aliis, tum in reſponſo Eliſabethæ Angliæ Reginæ 1580. apud *Camdenum*, *part. 2.* & qui verbatim pæne deſcripſit, *Thuanum l.*71. *p.* 328. *p.* 421. Sententiam Reginæ egregio candore repetit, & probat etiam *Ioannes de Laet in introductione ad Nouum Orbem*. Equidem ſi argumenta de *natura maris*, & *vſus publici ratione*, ad Oceanum, in hypotheſi referantur, & ad id, quod moraliter pro impoſſibili, iniuſto certe, habendum eſt, nihil ſupererit, quod morari iuſtitiæ peritum & amantem queat. de *fretis*, & *aliis maribus*, ſuo loco.

Fine huius §. dicit Grotius: *cum primum terræ diuiſæ ſunt, incognitũ erat mare maxima ſui parte.* Si hoc accipimus de diuiſione filiorum Noachi (cuius §. præced. facta mentio) non credent illi, qui vt Adamo ante diluuium, ita Noacho poſt diluuium, ſicut aliarum rerum, ita totius orbis eximiam notitiam tribui debere exiſtimant.

Iis quæ §. IV. ponuntur, continuabis II, 8, 2. &c. Hebræorum de his ſententiam ex Maimonide *de I. N. &* *Seldenus* affert: *Quod nemini occupatum eſt*, *G. lib. 6. c.* *occu-* *4. p. 681.*

occupanti conceditur. Ita quicquid in locis habetur deſertis: fluminibus ac torrentibus, nemini occupatum eſt. & qui primo occupaverit, is eiuſce fit dominus. veluti graminis, lignorum, fructuum, arborum, ſylua & ſimilium. Qui piſces capit ex maribus aut ex fluminibus, vti & qui volucres aut feras capit, quandoquidem dominum antea non habebant, capientis fiunt. Grotius bene addit hic, occupationis quæ per vniuerſitatem fit, auctoritatem, nouis aliorum occupationibus obicem. ſed hæc explicatione opus habent, infra adferenda ad §. XVII. In *Annotatis* ad h. §. IV. *locorum incultorum occupatorũ* exemplum in *Hiſtoria Bembi libro ſexto* demonſtratur. At Bembus principio eius libri, digreditur ad narrandam inuentionem nouarum terrarum gentiumq; inde à Chriſtophoro Columbo. Verum inuentores illos in vacua veniſſe, & iure occupationis, vt hic deſcribitur, tutos eſſe, nemo dixerit. Neque valide audiatur Luſitanorum & Hiſpanorum oratio apud eundem Hiſtoricum: *eas quas reperiſſent inſulas ad ſe ſpectare: ſe nulli eſſe iniurios, ſi ab ceteris ignorata labore & ſtudio acquiſiuerint ſuo.* Schema occupationis & inuentionis artificioſe hic obducitur, nominibus & quæſtionibus violentæ occupationis, quâ minime vacuæ inſulæ, poſſeſſoribus priſtinis ereptæ, ſiue incolæ priores bello & vi ſubacti ſunt plerumque. Vnde mutabitur quæſtio, & ad ius belli talibus inſulis inferendi vel non inferendi pertinebit ſuo loco.

Quan-

Quando §. V. quæritur, *an ferarum, piſcium, auium venatio poſſit lege ciuili impediri*, ante omnia notandum eſt: *ius naturale permiſſiuum*, quod nonnulli hic allegant, *ita accipiendum eſſe, ſicut ſaluo omni iure naturali præceptiuo accipi poteſt*. id eſt, vt clarius agamus; permiſit natura venationem liberam, ſed ſalua ratione ſocietatis, ſaluo ſociali ordine, quem in primis natura præcepit. Venationem autem non exerceri promiſcue, & ex priuato cuiusq; arbitrio, ſocietatis omnis intereſt, præſertim ciuilis, in qua ordo ſocialis à natura præceptus perficitur. Hinc oritur certum legislationis ciuilis fundamentum. Poteſt enim ſumma poteſtas ciuilis leges ferre, quibus venatio ciuili ordini accomodatur. Id fit *vel* directa via, *vel* à conſequenti. itemque: *vel* quatenus ſocietatis vniuerſim intereſt, *vel* ſocietatis hoc aut illo modo ordinatæ, ſub vnius pluriumue imperio. His demum præſtructis, incipiunt illæ diſputationes Scholaſticorum & Iurisconſultorum de venatione: quæ vel ad *legislatoriam*, vel ad *iudiciariam* prudentiam pertinent. *Illius* eſt, ne res venatoria, ſupra quàm ſocietatis ciuilis ratio, & finis ciuitatis poſtulat, acerbe ſanciatur: *huius*, ne latæ leges, ſeuerius & durius, quàm neceſſe eſt, explicentur. In *priori genere* igitur ceſſabit illa quæſtio, an omnino ſummæ poteſtati liceat, interdicere ſingulis venatione: id enim, ſiue finem ſocietatis, ſiue naturam rei, ex iure naturali permiſſiuo, vt ante dictum, manantis ſpectemus, dubio caret. Et in non-

nonnullis legibus, quæ extingui genus, aut copiam nimis intercipi, vetant; quæque certa hominum genera aliis potius negotiis ex neceſſitudine muneris vacare iubent; ratio publici commodi manifeſta eſt. Neque hactenus multum opus eſt diſputare, de conſenſu populi. qui tacite conſenſiſſe, ſemper putandus eſt, vt ſumma poteſtas res huius generis ordinet, prout ciuitati conueniens iudicabitur. Differt autem, *prohibere ſingulos venatione*, & *vni Principi ius venationis vindicare*. *Illud* enim fieri poſſet, etiamſi præda venationis ad omnium aut plerorumque vſum, inſtituta venandi formula & conſuetudine, perueniret: *hoc* autem quomodo ad Reipublicæ vtilitatem referatur, non æque obuium eſt & expoſitum. Id vt oſtendatur, non vnam viam iniri videmus. Grotius, ad *ſtipendia Principum* refert. bene, vt arbitror. menſam Principis & aulam inſtruere ciues omnino tenentur ſuis impenſis: tanta neceſſitudine officii ciuilis, vt, ſi ſponte id facere detrectarent, cogi ab ipſo Principe ſummam poteſtatem habente poſſent: ſicut ad alia tributorum genera exſoluenda. Fuerit itaque pars apparatus menſalis aulicíue, venatio. Quidam inter *iura maieſtatis & regalia*, quæ vocant, ius venandi referunt, eoque nomine Principi vindicant. Veteres non ſeorſum hoc memorant, ſed iure nomothetico complectuntur, quod ab initio huius diſputationis innuere volebam. *Præſcriptio longi temporis*, ad docendos rudiores pertinet, neque vbi titulus iuris validior ſubeſt,

magno-

magnopere deſideratur. quis enim alius hic poteſt ſenſus eſſe, quam iſte: ius venandi etiamſi nullo titulo Principibus competeret, longi tamen temporis præſcriptione, tituli neceſſitudinem auferente vel ſupplente, defenderetur? An de *ſola recreatione* hic quæri oporteat, in quo *Scholaſtici* contrarias fouent ſententias, merito dubites. Qui enim Principes, ſibi venationes vindicant, non ſine onere recepto hoc faciunt, nam & ſumtibus indiget venatio, & conſeruandis potius quàm exhauriendis vtilibus feris non ſine cura deſtinatur; ſicut & peſtiferæ beſtiæ non ſine labore perduntur: & agrorum fructus, ne damnum patiantur, varia ſolicitudine cuſtodiuntur. Ceterum, *an leges tam ſeueras ferri fas ſit, qua venationi interdicta operam dantes morte puniant*, amplius dubitatum eſt. Placet hîc diſtinctio eorum, qui venationem ferarum armatam, longe aliam æſtimationem ſubire autumant, quàm piſcationem & aucupium. Deinde non ita ſimpliciter, & nude hic agendum intelligitur, ſicut legiſlatorum veterum nonneminem omnibus legibus per omne delictorum genus capitale ſupplicium ſanxiſſe ferunt. interueniunt non leuia ſæpe momenta, facinora, pericula, quæ exaſperari pœnam iubent. quæ ſi explicet in ſua conſtitutione legiſlator, præclare ſuſpicionibus & rumoribus obuiam iri queat. Ponit & comendat per partes exemplum talis conſtitutionis Saxonicæ *Carpzouius*: vbi rationes ſeueritatis exquiſite ac ſubtiliter conſignan-

V. Leſſius l. 2. cap. 5. dub. 7. Dicaſtillo lib. 2. tr. 2. diſp. 9. dub. 10. n. 293. et 294.

Pr. Crim. part. 2. q. 84. n. 34.

gnantur. Sed quoniam non omnia legibus poſſunt deſcribi, iudicibus valde comendanda eſt æquitas, tum vbi pœna mortis lege non eſt definita, tum vbi eſt definita. Inprimis duo illi caſus, quando venationis temerator ad famem ſubleuandã, aut irritatus dolore agri à fera vaſtati, peccauit. Hinc ſatis apparet, quid ad ius venationis, aut ad abuſum iuris referendum ſit. Neque in arduo erit diſtinguere ea, quæ iuris ſunt, ab iis, quæ conſilii eſſe noſcuntur. Quæ duo capita non vbiq; ſatis vel accurate vel aperte apud Moraliſtas, quos vocant, diſcernuntur.

§. VI. *Ius dominii* & proprietatis Grotius communem fere Scholaſticorum ſententiam ſecutus, vult intelligi, cum duplici *temperamento æquitatis* ſiue cum duplici *exceptione Neceſſitatis*, & *Innoxiæ Vtilitatis*. Prius illud caput, *Ius egenorum* nonnulli vocant. Quæſtionem autem varie formant: *Vtrum extremæ indigentium neceſſitati cedat ex iure naturali dominium priuatum, adeoq; vtrùm inde ſimpliciter dominium ſeu furti interdictum ſic temperetur, vt ſurripienti, eo nomine, ſcelus ex iure naturali non fuerit tribuendum.* Ita *Seldenus*. vbi oſtendit, *Hebræos pauperibus ſuis nil quidquam ex alieno ſibi ſumere permiſiſſe, ſed rogando tantum accipere, aut à priuatis aut à publicis eleemoſynæ exactoribus: accedente ſemper non pauperis vi & arbitrio, ſed ſententia forenſi, qua cogeret, quotiens quis id quod ſibi præſtandum, denegaret.* Populariter loquuntur, qui quærunt: *an furari liceat propter neceſſitatem?*

de I. N. & G. lib. 6. c. 6. toto.

Can-

Cautius & ad definiendum accommodatius *Io. de Lugo: quando neceſſitas accipientis rem alienam excuſet à furto?* Plenius & ad explicandũ vberius alii: *an liceat abſq; peccato furti, & abſq; obligatione reſtituendi, accipere rem alienam ad occurrendum neceſſitati propriæ?* Qua occaſione *neceſſitatis gradus* varie figurant. Vnde & *Grotius grauiſſimam* neceſſitatem nominat: & tanquam de iure pronuntiat. quod *non tam ex mente eorum*, qui primi dominia ſingularia introduxerunt (ea enim res eſt iuris naturalis, ut ſupra dictum eſt: niſi quod legiſlatoris ciuilis ratio hic in partem coniecturæ & conſiderationis venire poteſt) quàm ab ipſa naturali æquitate repetendum eſt. Verum illud *ius Neceſſitatis*, vt vocat, ſiue *exceptionem Neceſſitatis* ad temperandum dominii rigorem repertam, explicare, non adeo in procliui eſt. Nam quod Grotius adfert de *reuiuiſcente priſtino iure rebus vtendi, tanquam ſi communes manſiſſent:* illud deſtructa ante falſa hypotheſi nixum, vltro corruit. neque adeo neceſſitas res facit communes. *Quod in omnibus legibus humanis ſumma neceſſitas videatur excepta* (quod *hic* ait, & *alibi* 1,4,7. 2,6,5. 2,18,4.) ita explicandum eſt, ne accipiamus de iis legibus humanis ac ciuilibus, quæ partim ſunt naturales, partim ciuiles. *Ad quædam enim nulla neceſſitas debet compellere.* Et quia de *ſimplici & abſoluta neceſſitudine* nullus hic ſermo eſt, *neceſſitudo autẽ cum adiunctione* triplex eſt, *ad honeſtatem, ad incolumitatem, ad commoditatem:* tenendæ quidem ſunt *regulæ*

de Iuſt. & Iur. tom. 1. diſp. 16. ſect. 7.

2. de inu. 57. & 58. *Ciceroni* traditæ, cum hac tamen obſeruatione, vt meminerimus, quotiens neceſſitudini ad honeſtatem præfertur neceſſitudo incolumitatis, factum defendi non tam præſcriptione iuris & directa via, quàm excuſatione infirmitatis humanæ, per vocabula veniæ & miſerationis, & clementiæ: neceſſitudini autem commoditatis multo minorem vim ſiue ad defendendum, ſiue ad excuſandum ineſſe, niſi res ſit cum iudice, qui ſtudii & propenſionis ſuæ maiorem quàm ſapientiæ & iuris rationem habet. Loca *Senecæ*, *Ciceronis*, *Curtii* hîc allata, non carent figura: ſicut exemplum Caſſii præſertim oſtendit. Diſtingui igitur hîc debet (quod alibi Grotius ait) inter id, *quod licet facere iuſtitia interna*, & *quod impune licet facere*: ſiue inter factum, quod iure defenditur, & id, cui pœna decerni non ſolet. Videndi *Doctores ICti ad L. Aquil. & Dd. Scholaſtici ad Thomæ ſecundam ſecundæ*, vt Grotius in margine monet. Animaduertendum etiam, quomodo explicari debeat illud vulgatum: *Duo capita efficere poſſunt, vt vetita permittantur, neceſſitatis, & pietatis*, apud *Gregorium Tholoſanum Syntagm. Iur. Vniverſ. lib. 2. c. 16. §. 25.*

Verſantur hac in re nonnulli ex Theologis moralibus nimis confidenter: dum directa iuris nomina, *ius naturæ*, *ius gentium* præſcribunt talibus factis. Nam ſi ita dicas, *furtum non committi ab eo, qui in neceſſitate, aliena ſurripiat*, quatenus furti in plena perfectaq; vitioſitate inuidiam ad mitiora vocabula transferri

ra-

ratio eſt, non ſis culpandus; At ius verum & plenum in faciente agnoſcere, & dicere, *quod ita aliena ſurripiens, ſuo iure vſus ſit*; imo addere, *quod dominum rei ſe impedire volentem, ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ, occidere potuerit*, id vero periculoſam ſapit philoſophiam. *Leſſius lib. 2. c. 12. dub. 11. n. 68. 69. 70.*

In exemplo *diſſipandi vicini ædificii exorto incendio*, videatur nihil damni pati dominus ædium à deſtructore; cum poſſit dicere: vicini ædes aliàs conflagraturas fuiſſe, neq; intereſſe manu hominum an flamma procubuerint. Sed id ſemper allegari non poteſt. Eſt ea coniectura nunc magis nunc minus probabilis ex periculo maiore aut minore, ſiue potius certiore aut incertiore. Qua in re metum ſeruare ſua volentis, non rigidius equidem examinari, pars humanitatis eſt.

In cautionibus aſſignandis iterum ſequitur Grotius Scholaſticos, & §. VII. *de modis euadendi neceſſitatem* poſſibilibus admonet. Ita, qui *clanculum ſurripit, cum potuiſſet obtinere, ſi ſuā neceſſitatem aperuiſſet*, non poſſet neceſſitatem allegare.

§. VIII. De *opponenda neceſſitate pari poſſeſſoris*. *Leſſius* his ipſis verbis: *Aduerte, ſi dominus ſit in pari neceſſitate, te non poſſe ab illo accipere, vt omnes fatentur: quia in pari cauſa, melior eſt conditio poſſidentis*. Quæ poſtrema verba rudiore Minerua & ita accipi debent, vt valeant ad declarandam diſparem conditionem eorum, qui *parem neceſſitatem* allegant. Nam accurate loquendo non eſt par cauſa, negata ſcilicet illa

hypotheſi falſa, quod indigentia æquale cum poſſeſſore ius in rem det; & quod neceſſitas res communes faciat.

§. IX. de *reſtitutione*, vt in exceptione *Neceſſitatis* ſubintellecta, agitur. Diſputationes *Scholaſticorum* hac in re ſatis ſunt ſpinoſæ: etiam ex his cauſſis; 1. quod multi, vt de vero iure & pleno pronuntiant, quod Grotius merito pro reſtricto habet. ita enim fit, vt ad omittendam reſtitutionem faciles ſint. 2. quod *gradus neceſſitatis* ſemel à ſe conſtitutos non adeo diligenter obſeruant, ſed quod in *grauiſſimæ* aut *extremæ* neceſſitatis fauorem ſemel poſuerunt, ſubinde ad *grauem* neceſſitatem vltro & liberaliter transferunt. Vide plures aſſertiones apud *Leſſium*, & collectorem ſententiarum *Io. de Dicaſtillo*.

Leſſ. de I. & I. lib. 2. c. 16. dub. 1. Dicaſt. 2. 2. 9. 9. 2. 264.

§. X. ponitur caſus rei alienæ titulo neceſſitatis occupandæ: qui repetitur *infra* III, 1, 2. Hodie ſecurius loquentes, *rationem belli ita poſtulaſſe* dicunt. Non diſplicet cogitatio *Feldeni*, qui accuratius partiendum vidit. Certe ex vſu omnium ſæculorum & populorum conſtat, neminem putare, ſe teneri ad permittendam alteri, periculum ab hoſte timenti, occupationem loci aut arcis ſuæ, ſi impedire poſſit. Ergo ſi alter occupauerit, hoc ex iis eſt, quibus facilior venia tribui poteſt; non ex iis, quæ iuris naturalis titulo, citra figuram & oratorium colorem, defendi queunt. De pecuniis alienis titulo mutui occupatis detentisq; ad *l. 1. p.* 118. dictum eſt.

Res

Res innoxiæ vtilitatis (de quibus à §. XI.) notabiliter deſcribit *Cicero* 1. offic. 16. *quas ad communem vſum hominum natura genuit. — communia autem hominum videntur ea, quæ ſunt generis eiusdem, quod ab Ennio poſitum in vna re, transferri per multa poteſt:*

vt homo, qui erranti comiter monſtrat viam,
quaſi lumen de ſuo lumine accendat, facit,
vt nihilominus ipſi luceat, cum illi accenderit.

vna enim ex re ſatis percipitur, vt quicquid ſine detrimento poſſit commodari, id tribuatur cuiq; vel ignoto. ex quo ſunt illa communia, non prohibere aqua profluente; pati, ab igne ignem capere ſi quis velit; conſilium fidele deliberanti dare; quæ ſunt iis vtilia, qui accipiunt, danti non moleſta. Sicut autem hic natura & conditio ipſarum rerũ attenditur, quæ tales ſunt, vt citra damnum aut iniuriam vnius, alteri prodeſſe queant; ita in ceteris etiam rebus quæ non ſunt huiusmodi, communicationem aliquam, virtutis ſcilicet ſocialis opus, requirit, vt homines *in hoc naturam ducem ſequantur, & communes vtilitates in medium afferant, mutatione officiorum,* 1. off. 7. *dando, accipiendo, tum artibus, tum opera deuinciant hominum inter homines ſocietatem.* Sicut in ipſa liberalitate exemplum ponit. Quæ liberalis & ſocialis cõmunicatio non iminuit proprietatem & dominiorum diſcretionem, ſed naturæ conuenire oſtendit, vt quisq; ſocietatis (vel humani generis, vel ciuitatis, aliarumque coniunctionum) reſpectu, de propriis & ſuis in medium aliquid conferat, pro modo facultatis,

& conſeruandæ communitatis, ſeu aſſequendi finis ſocialis. Quare nec in priori illo genere locum habere poteſt, ſi fingatur interdicta prorſus iure naturali proprietas talium rerum: quarum vſus communis non aliam magis ob cauſſam habetur, quàm ob naturalem & communem hominum cum hominibus neceſſitudinem. hac enim quiuis tenetur, alterius neceſſitates, quantum ſine incommodo ſuo poteſt, ſubleuare.

§.XIII. peruenitur ad elegantem quæſtionem *de innoxio tranſitu numeroſæ præſertim & armatæ multitudinis*. ad quam pertinet etiam 2,3,12. de hac aliter diſputant Philoſophi, aliter ſentiunt populi genteſque in ipſo vſu vitæ humanæ. Nemo enim dubitat, quin liceat ſibi armatorum tranſitum impedire, ſi poſſit: ſicut omnes ex diuerſo credunt, licere ſibi ſi poſſent, tranſitum vi aperire. Cognoſcas hunc ſenſum licet, iam olim in Heluetiorum & Cæſaris diſputatione. Quanquam hodie longe animoſius in his negotiis res geritur: neque iam *iuris* controuerſia hæc, ſed *transactionis* cenſetur; ſiue à quæſtione & diſceptatione iuris ad tractatus, vt vocant, ſiue transactiones ſingulares reducitur. Qui iure tueri volunt innoxium tranſitum, eo potiſſimum fundamento nituntur, quod Grotius hoc loco ponit; teneri vnumquemque alteri prodeſſe, quod citra incommodum ſuum facere poſſit. Tota igitur difficultas in ratiocinatione huius incommodi conſiſtit: an & quale quantumq; timeri magis mi-

Cæſar de B. Gall. 1. 8. ſeqq.

minuſue probabiliter, aut præuerti certo aut minus certo poſſit. Ita dubitatio oritur in *Hiſtoria de Idumæis & Emoræis*, quos immerito periculum timuiſſe hoc loco *Grotius* autumat: quamquam non immerito timuiſſe videri queant. Placet tamen *Grotii* & *Auguſtini* ſententiam tueri. Iuſtas enim conditiones offerentem non repellere, ſed de illis in effectum deducendis tractare debebant, qui metum ſuum iuſtum haberi vellent. Nunc abrupta pacis commercia, animum à iure & æquitate alienum ſatis monſtrabant. Nec ignoramus grauiſſimorum Theologorum ſententiã, qui *ius huius belli, rectius aliunde deduci*, arbitrantur.

Inſeritur h. l. nobiliſſima quæſtio, *de libertate commerciorum*, ſiue de *iure commerciorum*, in *Mari Libero* Grotii amplius tractata.

§. XIV. Manifeſtam æquitatem habent, quæ hîc *de modo vectigalis* pro tranſitu exacti traduntur. Sed, vt ſunt res humanæ, ius in libidine potentium fere eſt. Non eſt autem alibi frequentius illa controuerſia agitata, quàm ob tranſitum freti Oreſundici. Infinita ſunt exempla. ſed plerumque factum eſt, quod *Camdenus* habet in Eliſabetha an. 1582. vbi de mercatorum Anglorum querelis in Dania fruſtra actum refert. *Principes enim*, inquit, *vectigalia, quæ ſemel intenderunt, vix vnquã relaxant: qui huiuſmodi Regalia (vt vocant) ad cuiuſq; regni ius & libertatem ſpectare, nec externæ moderationi ſubiacere iudicant*. Præter ea, quæ ad §. III. dicta ſunt, notabimus hic aliqua, ex medio p. 351.

rerum vſu petita. I. Oratorie agunt, id eſt, cauſſæ ſuæ ſeruiunt, qui, vbi ad diſceptationem de vectigali pro tranſitu freti alicuius ventum eſt, iniquum eſſe & iuri naturæ aduerſum contendunt, *pro vſu aura & vnda* aliquid exigere. Quomodo enim hoc dici poteſt de fretis, vbi ſigna breuium, aut phari, ignesque & portus, tum naues ſtationariæ in excubitu (Außlager) impendiis vtiq; conſtant? Si ripæ etiam arcib⁹, munimentis, præſidiis, aduerſus piratica auſa & varios caſus, ſecuritatem commeandi præſtant, ratio exactionis in aperto eſt. Quia enim nemo dubitat, in fluminibus, nauium pontiumq; vſum, ad vectigal imponendum plenam æquitatem præſtare: quomodo in freti alicuius faucibus, quo dictum eſt modo inſtructis, id iniquum habeatur? II. Etiam ſi nauis merces non ferat, ſed tantum homines, aut ſaburram (Ballaſt) non ad nihil, ſed ad minus tenetur, niſi dominus freti ius ſuum tali caſu commeantibus velit remittere. Vt autem hoc faciat, non poteſt obtentu iuris naturalis (cui exactio, quæ deſcripta eſt, non repugnat) adigi, ſed per virtutum & æquitatis nomina inuitari. III. Qui vectigal pro modo, pondere, numero, genere mercium, impoſuit (neque enim aliter ad æquam rationem taxandi vectigalis perueniri poteſt) habet etiam ius inſpiciendi merces. IV. De modo inſpiciendi, maxima litium occaſio. An enim reſignare, refringere, aperire licet, inſpectionis nomine? durum verbum: res longe durior. Ad præcipitia & extrema ne-

nemo lubenter & propere venit. Et videtur *ius inſpiciendi naturali æquitate hactenus temperandum, ne commerciis inde mora & intertrimentum creetur:* commerciorum enim fauor & contextus latius pertinet, neque ad ſolos nautas vectoresq; comparari debet. Altera & ex priore nata æquitatis regula, mercium diſcrimen eousq; obſeruari vult, vt *quædam ſine confuſione & perturbatione mercaturæ, ne poſſint quidem aperiri, & interius inſpici.* i. e. quas nemo mercatorum aut dominorum naui imponeret, aut per rationes probabiles imponere poſſet, ſi quo caſu reſignandas ſciret. An itaque curſus mercimonii hactenus intercidendus, mercatores deterrendi ſint, etiam ſi iure fieri poſſet, in quæſtione conſilii, animoſus ſit oportet, qui ſuadere velit. Cumq; in re tam odioſa, naturalis æquitas non patiatur ſaltum fieri, circuitione quadam vitari tam dura remedia debere videntur, per tertiam regulam: *teſtimoniis publicis ciuitatum, vnde nautæ curſum inſtituerunt, ſiue vbi nauem onerarunt, mercium modus & numerus deſcribi, & in tranſitu freti exhiberi poteſt.* Videmus enim gentes, non hoſtiles, conſenſiſſe, vt fidem publicam altera alterius ſequeretur. neq; enim aliter, vllarum inter populos rerum commercia poſſent intercedere. Quod ſi ne ſic quidem ſatis contra priuatorum fraudes caueri ſibi dominus freti exiſtimaret, quarto, *denuntiationes erunt faciendæ nautis & mercatoribus, dimiſſis publice literis, non datũ iri tranſitũ, niſi apertis & reſignatis mercibus.* Atq;

tum apparebit edicti æquitas vel iniquitas. Quia enim ſine dubio omnes clamitabunt, vim fieri libertati commerciorum, quibus ius naturæ fauet, & ius gentium vltro patrocinatur, deducetur res ad transactionem, an velit dominus freti remittere edictum, aut eidem inhærere. Quicquid placuerit, in poſterum ex pacto procedet. Quid, ſi noluerit dominus freti remittere aliquid de edicto, & gens aliqua non poſſit carere tranſitu illius freti, *eritne iſta idonea ad bellandum cauſa?* Nunquam in hoc genere valde velim haberi liberalis. Puto igitur *primum*, inter gentes moratiores hodie non poſſe facile accidere, vt nulla reperiatur transactionis, & mitigandi rigoris ratio. Intercedent deprecationes, legationes, conſilia, monita, etiam eorum populorum, ad quos edictum iſtud proprie non ſpectat: quibus qui, ſine vlla remiſſione, obluctetur, robur & æs triplex circa pectus habeat. Quid, quod in cauſſa ad vtilitatem communem, plurium gentium propius remotius, latius anguſtius pertinente, licere ſibi exiſtimant, communium virium oſtentatione & armorum minis territare eum, qui ad æquiora aliter non poteſt compelli? Quod quale ſit nunc non diſputo: de eo enim, quod fieri ſolet, ſermo hic inſtitutus eſt. *Deinde*, alii quoque modi vitandi belli, etiam oneroſi, tentandi ſunt, & potius, vectigalis impoſiti augmento quodam redimenda eſt libertas, quæ petitur, quàm ad armorum conſilia deſcendatur. *Deniq;*, prout tranſitus ille

ma-

magis minuſue neceſſarius eſt, ſiue grauioribus momentis attingit aut amplectitur ſtatum eius gentis, quæ edicto oneratur; tum, prout mercaturæ ſumma ratio vehementius leuiusue periclitatur; ſed &, prout omnia ordine & ſedulo tentata vel non tentata ſunt: eo plus minuſue iuris videbitur in hac quæſtione habere mentio armorum. V. Quæri etiam poteſt, *ſi dominus freti genti alicui, cui tranſitus magis quàm aliis neceſſarius eſt, quamq; exactio vectigalis & inſpectio nauium plus onerat quàm alios, eodem modo habitos* (quin enim id accidere queat, non eſt dubitandum) *immunitatem & libertatem concedat pacto; an immunis illa gens merito contendat, ſuam immunitatem non tam pacto ſicut aliæ gentes cum domino freti paciſci ſoleant & poſſint, ſed iure naturæ niti?* Si dominus freti in vtraq; munita ripa, aut etiam alterutra, ditionem in terras exercet, & ſuo impendio commoditatem aut ſecuritatem præſtat, nequaquam obligatur iure naturæ ad tranſitum prorſus immunem, & ab omni inſpectione liberum, cuiquam concedendum. Hoc tantum naturalis æquitas poſtulat, vt, ſi conſtat, alicui genti plus neceſſitatis ad tranſeundum, propter viciniam aliaſue cauſas, & minus facultatis ad vectigal pendendum, adeſſe, illa gens minus oneretur, & humane ac leniter tractetur: ne videatur dominus freti inſidiari toti eius ſtatui; cuius ſcilicet vertendi quaſi arbitrium quoddam, per hanc cauſſam, in manu haberet. ſed quod tum de immunitate vel ple-

plena, vel minus plena, denique de quocunque leuamento nauigationis conuenerit, non vocatur ius naturæ, ſed pactum, vel æquitate naturali temperatum, vel iuri naturali non aduerſum. Sicut etiam, qui conventione bellica, ſuo iure, in exigendo vectigali, cedit, nil pepigiſſe dicitur, quod iuri naturæ repugnat; quamquam iure naturæ, vt hoc faceret, non adigebatur. Huc pertinet etiam illud exemplum: *Si quis populus immunitatem aut leuamentum eo quo deſcriptum eſt modo impetrauit, idemq́ ius pro aliis ſibi ſubditis populis longe alio diuerſoq́ ſitu noſcendis obtinuerit*: effectus ſane iuris exercendi non differt, ſed ratio obtinendi, diuerſa eſt. in priore enim caſu, concedentem reſpectus æquitatis naturalis, intra limites deſignatos, potuit mouere: quæ in poſteriore caſu, ex aliis conſilii rationibus æſtimando, vel imminuta vel ſublata eſt. VI. *Quid? ſi immunes aut leuati onere tranſitus maritimi, ſuarum merciũ nomine alienas diuerſi iuris, nec immunes, permiſceant ac occultent* (quæ nautarum non ignota fraus eſt priuato compendio ſeruientium, Unterſchleiff/ Lorendrägeren) *an dominus freti iure reſtringet immunitatem aut abrogabit?* Hic 1. nihil ex ſuſpicione & rumoribus ſtatuendum. 2. ſi quid certius, aliis enuntiantibus, compertum, denuntiatio genti, cum qua eſt pactum, facienda, vt ſuos hoc nomine examinet, & ad reparandum damnum dolo datum adigat. 3. quod ſi remedium hoc non ſufficiet, denuntiandum eſt iterum, hæc ferri non poſſe: itaque naues in-

inſpectum iri, etiam cum reſignatione mercium. 4. ita fiet, vt, qui tali periculo merces ſuas nolent exponi, de componenda controuerſia, & idonea ratione coërcendi fraudes, ſerio cogitandum ſibi & negotiandum credant. 5. citius autem, & ante hos gradus diſpoſitos, ad reſignationem non fuerit veniendum. 6. Atque ita vix fiet, vt abrogationi immunitatis, cauſa & locus ſuperſit. vel enim mutabitur tractatu vtriusque partis, aut cautionibus roborabitur pactum. 7. Quandoquidem, etiam vbi de fraude ſingulorum certo conſtat, nullo conſilio publico delictum adiuuante aut tuente; durum ſane fuerit toti genti imputare damnum, eamque pacti publici imminutione aut abrogatione grauare. VII. *Quid? ſi ipſo iure pœna ſit impoſita deprehenſæ fraudi celatarum mercium, an ſine cognitione cauſa & iurisdictione, ſtatim earum poſſeſſio auferri poteſt?* Contra eos, qui vtilitatibus fiſci contumaciter vbique ſolent adeſſe, haud dubie laudanda eſt æquitas eorum, qui omnem legem ipſo iure pœnas imponentem, non niſi præuia ſententia declaratoria, quam vocant, exercendam eſſe ſtatuunt. Atque id eo magis hic neceſſarium dixeris, quod diſcerni vtiq; oportebat, *ſolius nauta fraus ſit, an etiam domini mercium.* Vt enim dominus mercium innocens, aut etiam ſocius innoxius nocentis ſocii culpa inuoluatur, eo minus patitur naturalis æquitas, quo paratior eſt nocentis puniendi copia, & manifeſtior innocentis non puniendi ratio, iure naturali præceptiuo nixa.

De-

Deniq; , negotii huius indoles & conditio talis eſt , *vt* , niſi velis ſine reſpectu iuris omnia in cumulum coniicere, *diſcretione, id eſt, iudicio & cauſæ cognitione opus ſit.* Ita deuenitur , ad *formam iudicii.* Vbi ſane durum eſt, apud eosdem accuſatores & iudices cauſam agere. neque ſpes eſt , ſine querela rem abituram. igitur nihil conſultius, quàm conſtitui iudicium, delectis ab vtraque parte eorum , quos inter pactum eſt, certis iudicibus , quaſi recuperatoribus. Inter vicinos euidens ac certa huius inſtituti vtilitas: nec deſunt exempla , vnde ſimilitudinem fas ſit petere. VIII. Præcipua huius loci quæſtio eſt , *an propter vectigal pro tranſitu nimis exactum, bellum gerere liceat ?* Eſt non adeo facilis æſtimatio , quodnam vectigal nimium cenſeri poſſit. De modo enim vectigalis, iure gentium nihil conſtitutum apparet. Et qui æſtimare volunt , non ſolas impenſas conſiderare debent , quas facit dominus freti ; ſed tempora reipublicæ , naturam mercium , emendi vendendique facultatem, pecuniarum copiam inopiamue, quæque ſunt alia huius generis. Quare nemo ſibi ſoli debet iudicium ſumere de re tanta , & vix vnquam ad liquidum perducenda. Quod ſi pluribus rebuspublicis iniquum vectigal videbitur , ratio erit compellandi exactorem : cui & aliæ rationes, ſupra *ad* §. *III.* annotatæ, humanitatem perſuadebunt. Quæ etiam compellantibus magnopere commendanda eſt : vocantque eos huc exempla magnorum Principum & Rerumpublicarum , de vecti-

vectigalis modo iniquiore iam olim publice priuatimq; querentium, per literas & legatos; neque tamen idoneam hinc bello cauſam comminiſci volentium. *Camdeni* iudicium, à principio huius annotationis allatum, etiam vtile monitum ſuppeditare poteſt: ne in eiusmodi querelis, ius exigendi vectigalis intempeſtiue & importune in dubium vocetur. nam illam diſputationem ingredi, hoc rerum Europæ ſtatu, his moribus & conſuetudinibus, nec ſuſtinentibus controuerſiam terrori, nec mouentibus adiumento eſſe queat. Si hiſtoriam recte conſideras, non facile dicas, iuſtũ prorſus fuiſſe bellũ, quod Rhodii adiutore Pruſia Byzantinis ad anguſtias Propontidos poſitis intulerunt, inſtituti vectigalis maritimi cauſſa. Inſtituendi vectigalis cauſſam non auaritia ſed neceſſitas vltima, præbuit. à Thracibus enim oppreſſi, cum fruſtra à Græcis ſubleuati petiiſſent, rebus ſuis inſtaurandis & incolumitati tutandæ, opportunitate ſitus admoniti, à mercibus Ponticis, ſiue ab iis qui in Pontum nauigabant, vectigal cœperunt exigere. Excuſare hactenus neceſſitas inopes ac deſtitutos videbatur. niſi quod modum exceſſiſſe eos, exiſtimes; ſi querelas negotiantium, de magno detrimento & incommodo inde omnibus oblato, audias. *μεγάλην ἀλυσιτέλειαν καὶ δυσχρηστίαν πᾶσι γενομένην.* Hiſtoricus vocat. ſiue nouitas ipſa moleſtiæ momentum non leue adiecit; ſiue ratio negotiationis & pecuniæ ſuſtinere id oneris non potuit. & veriſimile eſt, vt in re inſolita, & levi-

leuibus rerum pretiis, negotiantibus ſatis integrum non fuiſſe, contrahendo penſare, quod vectigalis penſitatione deceſſerat. Querelæ à negotiantibus ad Rhodios delatæ, potentem tum mari populum, non tam vtilitate querentium aut iuris amore, quam ambitionis ſtimulo, ad bellum in Byzantios concitarunt: quibus Pruſias priuatis odiorum cauſſis acceſſit. Miſſi tamen prius legati, tolli portorium nuper inſtitutum petebant. Ceterum Rhodiorum ſuperba ingenia, & inflatior oratio, facile potuerunt efficere, vt concedendum ſibi iuſta cauſſa, & deſerendam inſtituti non iniqui vectigalis defenſionem, Byzantii non putarent. Bello deinde inferiores, pacem hac lege fecerunt, vt inſtituto vectigali Pontico abſiſteretur. Memorat accurate *Polybius*. Sed tum quidem, odio nouitatis Byzantiorum cauſa magis grauabatur; quàm defectu iuris. Quod in exemplis ſoliti & inueterati vectigalis longe minus eſt dubitabile. Deſtituit nimirum tunc Byzantios fortuna in ea, quam incrementis ciuitatis in poſterum deſtinauerat. Inſecuto enim tempore, *προσόδοις ταῖς ἀπὸ θαλάττης, τελῶντε καὶ ἀλείας μεγάλως ὠφελεῖτο, reditibus maritimis, ex vectigalibus & piſcatu plurimum emolumenti fecit.* vt *Herodianus* loquitur.

lib. 4. à p.314. adde lib.3.p.158. edit. Gr.L. Caſaub.

lib.3. c. 1.

Locum *Senecæ, etiam in pontibus pro tranſitu datur*, Grotius opportune adducit, ut ſupra dictum eſt, quo oſtendat non iniuria exigi vectigal pro tranſitu freti. *Pontaticum* dicitur in *Formulis veteribus* in Indiculo Regali. Quod

de conſtant. Sap. c. 14.

cap. 45.

vt merito exigeretur, emendari & reparari pontes Imperatores præcepere. Sancitur ſeuere in *Ludouici I. Imp. Capitul. Addit. IV. tit.* 79. Deinde, *vt magis minusue exigeretur*, diſtinctio perſonarũ ſignate ponitur in *Capitul. Karoli & Ludou. placet nobis, vt antiqua & iuſta tholonea à negotiatoribus exigantur, tam de pontib⁹, quamq́; de nauigiis ſ. mercatis.* Porro diſtinguuntur vectigalia exigi ſolita in iis itineribus, *in quibus nullum adiutorium itinerantibus præſtatur:* ne illa exigantur. *Ibidem.* & in *L. Longobard. lib. 3. tit. 1. l. 31.* Et quibus ex priuilegio hoc conceſſum eſt, *vt habeant & exigant tributa ratione pontis, tenentur conſeruare pontes, vt, qui tributa ſoluunt, tranſitum minime ſentiant impeditum*, in *Decretis Poſonienſibus Sigismundi Imperatoris.* *lib. 3. tit. 12.* *Goldaſt. conſt. tom. 3. p. 450.*

§. XV. Conſentiunt ergo cum æquitate naturali illa inter populos pacta, quibus conſtituitur, *vt nauibus vnius populi tempeſtate aut alio caſu iactatis liceat appellere ad litora alterius populi, ſecuritate potiri, & quæ ad reparandas naues, aut recreandam valetudinem vectorũ aliaq́; neceſſaria pertinent, æquo pretio parare.*

Quaſſatam ventis liceat ſubducere claſſem,
Et ſiluis aptare trabes, & ſtringere remos.

An ſine omni onere? id natura non dictat, niſi quatenus afflictis moleſtiam addere, humanitati parum congruit. Sed hæc ex fortuna & ſtatu appulſorum iudicantur. copiaque & inopia eorum, non tam ex habitu fortunæ, cum peregre domo abſunt, quàm ex domeſtica taxatione æſtimatur. Itaque gentibus non

diſplicuit tolerabile aliquod tributum pro vſu portus litoriſue: quale præſertim ciuibus exteriſque ex æquo impoſitum eſt. Sic hodie pro *Ancoris iactis* datur aliquid. Anckergeld. quanquam & vetuſto more legas ἀγκυρόβολα apud *Heſychium.* Videantur *Pacta Brömſebroenſia Borealium Regnorum an.* 1645. *art.* 12. *Seldenus* in *Mari Clauſo* oſtendit, quomodo vſus eiusmodi aliis merito concedend⁹, dominio nõ obſtet *l.* 1. *c.* 23. De *decreto Prætoris*, repetit *Groti*⁹ *c. ſeq.* §. 9.

Quæ §. XVI. movetur, non adeo expedita eſt quæſtio. Igitur caute hic incedendum eſt. raro enim accidit, ut magna multitudo ſine incommodo priorum incolarum recipi poſſit: cum præſertim periculi magnitudinem tot exempla affirment. Igitur hoc fere latrocinii genus habitum eſt, ſi multitudo hominum ſedes quætentium, negantibus vi extorquere conati ſunt. qua infamia Normanni diu laborarunt. Et ſi recte rem perpendimus, illis, quos neceſſitas novas ſedes quærere coëgit, nihil aliud debetur, quam tranſitus, & res ad vitam neceſſariæ pretio aut inopibus gratis conceſſæ, tum conſilium & quæ humanitatis communis officia eſſe poſſunt, ſine incommodo adiuuantium. Nam incommodum ſi emergat, peribit neceſſitas recipiendi eos, qui ſine incommodo recipi non poſſunt. Igitur in hac quoq; quæſtione multa apud ſcriptores dicuntur κατὰ συγγνώμην ſiue per iudicium humanitatis, quod miſeratio aduerſus inopes & vagos nonnunquam elicit. Nam eorum cauſſa, quibus nulla neceſ-

ſitas

ſitas, ſed mutãdæ ſedis amor tales profectiones ſuadet, parũ fauoris habet. vid. *infra lib.2,22,8.*

Quæ hic mox §. XVII. adiiciuntur de *ſterili & deſerto ſolo*, explicatione aliqua opus habent. Si enim ſolum reuera & penitus ſit ſterile, nemo ſedes iſtas expetet. Quæ enim proprie talia ſunt, habitari non poſſunt. Sicut oſtendunt ſolitudines cultu humano vacuæ. Ergo iſte caſus hactenus non continget. Sin ſterile & deſertum ſolum capies, vt cum fertilioribus & ad cultum aptioribus locis comparatur: iam non erit cauſſa, quæ perſuadeat, ſiue etiam cogat, tale ſolum aduentantibus dare. Neque etiam probe argumenteris: hoc ſolum deſertum, id eſt, nullis cultoribus hactenus frequentatum eſt: ergo mutare ſedes volentibus, ſiue quærentibus ſedes, oportet id concedere. Hic ergo locus quoq; conſilii & officii eſt, non iuris pleni & directi. Quid? ſi tanta multitudo eſt, vt occupare aduerſus negantes poſſet deſertum & ſterile ſolum, forte non adeo conſultum fuerit, vno loco tales aduenas collocare. Hæc atque talia, qui, vt oportet, expendit, nihil aliud decernere poterit, quàm in hanc ſententiam: Si deſertum & ſterile ſolum, vt hic dicitur, nec præſentibus vſibus ſeruiat, nec futuris deſtinatum ſit, & multitudo aduenarum ita comparata ſit, aut ſe comparet, vt commode & ſine periculo cum ciuibus ſub vnam ditionem coaleſcere poſſe videatur, tum ſane humanitatis & officii eſt, ad quod æquitas naturalis inuitat, recipere tales iis legibus, quæ

ciuitatem in tuto locant. Quod ſi fieri hoc, ex magna ciuitatis vtilitate, aut aliis idoneis rationibus, nequit: nullum ius occupandi aduenis relictum eſt. Ponamus aliud exemplum. In Septentrione ſparſim fere habitatur. Interiecta ſunt cultis inculta: quædam coluntur, quædam non coluntur; dum ſufficiunt cultoribus laboris ſui penſa. Fac venire aduenas, & poſtulare interiectas cultis terris. ſi modica multitudo ſit, & ciuilibus religioſisq; inſtitutis congruens, forte non deeſſent rationes caritatis & prudentiæ, quæ ſuaderent recipi, & in terras hactenus incultas diſtribui. ſed tanquam ſuo iure id poſtulantes nemo ferret, opinor. Neque enim eripi poteſt arbitrium huius rei priſtinis poſſeſſoribus. ſed nec ratio negandi idonea plerumq; deeſt, incrementa populi ex fœcunditate gentis ac temporis ſperantibus; denique eligentibus, quorum potiſſimum hominum genere ſuas terras explere velint. Sicut fortuna eiusmodi exulum, non ſtatim dat eis ius à quocunque populo & vbi placuerit, expoſtulandi aut extorquendi ſedes: ſed circumferendi preces, ad extremum non futuras vbique inefficaces. Magna enim & præpontentia regna vltro inuenerint, vt opinor, quibus vſibus tales aduenas accommodare queant. Dicam quod ſentio: vix videtur hoc orbis terrarum ſtatu accidere poſſe, vt magna & armata multitudo ſedes quærat, niſi ex barbaris terris hominibusque; quibus ſedes dari inter homines moratiores nefas ſit. Inter ipſas

cul-

cultiores gentes, ſi pars magna populi innocens, vel religionis cauſa, vel alio infortunio expellatur, ſedes non niſi bonis artibus quærere, & ſi coniuncta reperire non poteſt, partitim impetrare inſtituet: ſi non hoc, at illo iſtoue loco. Abundantia multitudinis, non relinquitur priuato arbitrio, ſed publicis conſiliis emendatur. Si coniurata aut deſperata manus demigrat, merito ſe ſuſpectam & formidabilem facit. De paucis denique, quibus nulla occupandi facultas, non eſt hîc quæſtio.

Ad §.XVIII. repetes, quæ ad XV. dicta ſunt.

§.XIX. Quæſtio mouetur ardua: *an tempore famis peregrini poſſint vrbe pelli?* Ita credidit & fecit Auguſtus apud *Suetonium.* probatq; *Scipio Amiratus ad Tacitum lib.*12. *diſc.*3. Diximus aliqua in *Diſſertatione de Annonà Auguſta.* Cogita, ſi placet, de caſu; quo vrbem aliquam impleuerit tanta multitudo peregrinorum egenorum, vt ſuſtinere eos nequeat, ſi ſalua eſſe velit. (& poteſt hoc accidere in bellicis calamitatibus late graſſantibus.) Tum, quia ſacræ quoq; literæ diſcrimen inter eorundem ſacrorum conſortes & reliquos agnoſcunt, ſi vtriq; ali non poſſunt, illos retineri, hos expelli, cur iniquum haberi debet? Iterum, ſi non ſufficit copia ciuitatis, niſi parte multitudinis exoneretur, an vt famuli peregrini potius excedere iubeantur, quàm indigenæ, iniuriũ eſt? quamquam, ſi opera eorum etiam ad ciuitatis vſus pertinet tempore tam neceſſario, hæc potius ratio momentum faciet ad comparationem.

 ſicut

ſicut Auguſtus de peregrinis *medicos* & *præceptores* retinuit; quibus carere ciuitas non poterat.

. XX. Non idem *ad res ſuas vendendas ius eſſe, quod ad emenda neceſſaria*, *Grotius* aſſerit, cum *Molina*, adverſus *Victoriam* diſputante: qui aſſerebat: *iure gentium fas eſſe cuiq; negotiari in alienis prouinciis, importando merces quibus ibi carent, & exportando aurum & argentum, merceſq; alias quibus illi abundent?* Addebant Hiſpanicarum in Indias expeditionum patroni: in eos, qui huic iuri negotiandi obſtarent, iuſtum eſſe bellum. Et intra terminos quidem à Grotio finitos, res caret difficultate. Diſputationem
disp. 105. n. 2. autem habere poteſt, quod amplius *Molina* ait; *Eo magis quæuis reſpublica licite prohibere poterit commercium, portum, & habitationem extraneis, quo eos potentiores viderit. timere namq; iuſte poterit, ne ipſam, qua humana eſt malitia, ſubiiciant, neue incommodum aliud ex eorum commercio & habitatione experiatur: eoq; poterit præſcindere occaſiones omnes, ſibiq; conſulere, ne quicquam tale eueniat, ea quæ ipſius ſunt, illis denegando.* In caſibus ſane licitis, ſiue quibus licite externi prohibentur commercio, hæc quoq; ratio, vt ſuaſoria, accedere poteſt. De cetero metus ille, vniuerſe loquendo, nō eſt ſtatim iuſtus: niſi forte, qui res venum importat, tam numeroſa aut perarmata claſſe adueniet, quæ ad vim faciendam idonea merito ſuſpectari queat: aut alia committat, quæ opinionem doli generant. Non autem ſemper rebus importandis ac ven-

vendendis, exercendoque adeo commercio, exteros prohiberi poſſe, ita intelligetur, ſi diſcrimen conſtituatur, *in rebus vendendis, in cauſa vendendi, in quærendis emtorib⁹*. Ponamus exemplum (qualia non deſunt) ſi populus aliquis agriculturæ & pecori ſtudeat, frumendiq; & pecorum copia abundet, aliis autem rebus ad vitam neceſſariis deſtituatur, vt ferro, ſale, & ſimilibus; neq; ea parare ſibi poſſit, niſi diuendito, quod frumenti & pecorum ſuperfluit. Ab his quidem ego frumentum & pecora emere non cogor, ſi illis carere aut aliunde potiri queo; tranſitum tamen concedere, vel ipſis ad alios, vel aliis ad ipſos, neq; occaſionem vendendi frumenti & pecoris impedire aut onerare, omnino teneor: niſi velim æquitatis naturalis neglectæ accuſari, aut pro hoſte haberi. In mercibus ad meram luxuriam pertinentibus aliquid dubitationis occurrit, in quibus tamen, quod vinum e. g. numerari queat, non facile dixeris.

§. XXI. Locus de matrimoniorum libertate, non caret ſalebris. De Romanorum quidem exemplo *Auguſtinus* iudicauit, negata matrimonia iuſtam belli cauſam potuiſſe præbere, & ſententia *Ouidiana* vſus eſt, *ex tertio Faſtorum:*

> *Externis dantur connubia gentibus, at quæ*
> *Romano vellet nubere nulla fuit.*

quanquam Auguſtinus videri poſſit *comparate* agere ad fraudem obtentu ſpectaculi & pacis velatam: tum *dubitanter: aliquo enim*

FORTASSE (inquiens) *iure belli iniuſte negatas iuſte victor auferret*. Sed *Albericus Gentilis*, figuræ non dubitationi hanc voculam deputat; & cauſſam pro Romanis diſceptat, in *ſecundo de Armis Romanis*; vt hoc bellum in neceſſario ſuſceptis numeraretur. Sane conſtabat hic de illorum, qui matrimonium negabant, hoſtili conſilio & conſpiratione, ad excidium nouæ ciuitatis ſpectante. cum potius, tanquam vicinis, humanitatem deberent. additæ ſunt etiam verborum contumeliæ. quæ importunitas iuſtum Romanis dolorem excitauit. Verum, vt populus virorum ad hunc modum deſtituatur matrimoniis, neq; in vicinia impetrare ea poſſit, per longinquas autem & tranſmarinas peregrinationes neque tempus neq; facultatem habeat quærendi, non exiſtimamus facile poſſe contingere. Nam & qui expelluntur, & qui abundante multitudine ſedes quærunt, plerunque feminas ſecum educunt. Finge autem, manum virorum barbari moris, aut idololatras, vel piratas aliquam inſulam nouam aut vacuam ſtabilita poſſeſſione inſediſſe: & à vicinis Chriſtianis, toto animo tantam barbariem abhorrentibus, facultatem matrimoniorum ambiendorum petere, an non liceret negare? Liceret opinor. donec Chriſtianam religionem profeſſi, barbariem exuerent, & genus vitæ ſceleſtum ciuilibus & honeſtis *inſtitutis* commutarent. Tum quoque ſupereſt quæſtio de modo concedendi matrimonia. Poſſet fieri, vt venire ſingulos & matri-

de I. B. 1, 17.

matrimonia ex arbitrio quærere, non paucas ob rationes incommodum iudicaretur. An tum ſatis eſſet, agere domi delectum feminarum talia matrimonia volentium, easq; procis transmittere, aut illuc ducendas tradere? Non eſt cauſa querelæ negati matrimonii, vbi hoc fit. Quid? ſi non reperiantur tot mulieres, quæ velint in talium procorum manus conuenire? an cogendæ ſunt aliquæ, vt hoc faciant? Ius, de quo loquimur, nondum id poſtulat. petitaq; ab aliis etiam vicinis coniugia, explere hunc defectum poterunt. Si tamen aliunde nulla copia, &, qui primum rogati ſunt, abundant mulierum innuptarum multitudine, dubium non eſt, quin auctoritate publica induci poſſit idoneus numerus ad talia matrimonia optanda: & vltro volentibus nubere, adiungi. De legibus ciuilibus, matrimonia externa vetantibus *infra* II. 5, 15.

§.XXII. de *permiſſione exteris promiſcue facta*, definite agendum eſt. Poteſt illa permiſſio fieri vel *diſerte* & per modũ legis aut declaratæ voluntatis, quando ciuitas dicit: volumus externis piſcatum, aucupia, hæreditates, aliaue patere: vel *tacite*, quando externi non impediuntur iſta facere. In *priori genere*, ſi generalis fuit oratio, reddenda erit ratio facti contrarii. Deinde, iſta voluntatis declaratione non conſtringitur permiſſionis auctor, ut rebus temporibusque mutatis, ſiue ciuitatis rationibus ita poſtulantibus, aliter conſtituere nequeat: modo iuri naturali nullam vim faciat. Ita fiet, vt

quod ante externis promiſcue conceſſerat, in poſterum aliquibus tantum permittat; neque eo nomine iniuriæ accuſari poſſit. In *poſteriori genere*, ius naſci videtur ex notitia & ſilentio. Et quia hic dominium non vocatur in dubium, ſed de permiſſo communi vſu tantum ſermo eſt; vix poterit in obſcuro eſſe cauſa permiſſionis. qua mutata, quin exerere ſe queat præſentior dominii, nec illâ permiſſione abdicata facultas. Fuerit e. c. permiſſa ſeu tolerata promiſcue piſcatio eo in loco, cuius dominium ad permittentem pertineret, ne permittenti id moleſtum eſſet, fecerit inexhauſta piſcium copia, piſcantium modeſtia, nec immodicus numerus. Cœperint autem piſces deficere, importunius ſe piſcantes geſſerint, affluxerit immodicus numerus. Dicere merito poterit, qui hactenus permiſerat, ſibi neceſſitatem venire dominii ſui præſentius exercendi, & alios, vel aliquos excludendi à communione vſus. Aliud dicendum fuerit de controuerſo loci dominio. Digna eſt, quæ legatur diſceptatio de piſcatione inter Angliam & Hiberniam, tum inter Islandiam & Norvvegiam apud *Moriſotum*, qui contra *Seldenum* diſputat

lib. 2. c. 18. in *orbe Maritimo*. Non igitur repudiari poteſt: ſi limitibus appoſitis explicetur, quod *Molina*

diſp. 105. n. 2. dixit: *Quod prouincia aliqua vſum quarundam rerum ſuarum communium quibusdã extraneis concedat, ſane ab ea libertatem non adimit, quo minus ſimilẽ vſum peregrinis aliis denegare poſſit: cum integrum cuiq; ſit concedere, cui libuerit,*

re-

verum ſuarum vſum, eoq; aliis interdicere. intra limites ſcilicet naturalis æquitatis, & ſaluo iure innoxiæ vtilitatis, recte explicato. Quo mox ipſius *Grotii* diſtinctio ſpectat §. ſeq. XXIII, inter *beneficium*, & *permiſſionem vtendi libertate naturali.* vbi *beneficium* capitur, de eo quod non debetur. Nam alias apud Scriptores ſæpe notat iſtam humanitatem, quam homines hominibus iure naturali debent.

Hoc genus *Monopolii* §. XXIV. deſcripti, quod inter ciuitatem & ciuitatem contractu quodam conſtituitur, per omnia fere comparari poteſt cum Monopolio, quod in vna ciuitate aliqui ciues vſurpant: de quo *infra* II, 12, 16. Atq; ſicut in priuatis monopoliis euenire ſolet, vt interdum vitioſum accedat propoſitum, interdum vero ab iniquo prauoque conſilio liberetur illud inſtitutum: ita in hoc publici monopolii genere, non eodem ſemper modo, ſed pro diuerſis ciuitatum conſiliis erit iudicandum. Poteſt enim vitium accedere, ex tempore, locorum conditione, populorum inter ſe commerciis, aliisue rebus. Aliquid monopolii Moſchus Anglis indulſerat an. 1569. referente *Camdeno.* Poſtea res immutata. *Grotii* narratio (*lib.4.hiſt.p.232.*) hæc eſt: *cum Moſcouitis commercia Batavi etiam ante bellum habuerant, ſed per Balticum mare & Narvam Livonum Novogrodia tenus: quæ deinde per Ruſſicum Oceani ſinum Angli ad Nicolai portū, Batavi ad Podeſemſcoam & Archangeli Michaelis monaſteriū, cuncta Duina amni adſita, tranſtulere. multumque* *in Eliſ. part. 1. p. 154.*

ab

ab Anglis laborato, vt ſoli exercerent, ægre Batauorum preces & libertas præpotuere.

In Lib. II. Cap. III.

De acquiſitione originaria rerum, vbi de mari & fluminibus.

§. I. Secutus diuiſionem & hypotheſin ſemel propoſitam, oſtendit quomodo aliquid *ſingulari iure* fiat *Noſtrum*.

1. vel *acquiſitione originaria*, ſiue acquirendo primum dominio; ſcilicet acquiſitione
   1. vel *rerum*. cap. 3. & 4.
   2. vel *iuris in perſonas*. cap. 5.
2. vel *acquiſitione deriuatiua*, per translationem dominii, idq;
   1. vel *facto hominis*. c. 6.
   2. vel *facto legis*. c. 7.

His ſubiicit *acquiſitiones, quæ iuris gentium dicuntur* c. 8.

§. III. De ſpecificatione hoc loco ſufficiebat, quod Grotius poſuit. nam ſubtilior partitio, quam *Feldenus* affert, ad *c*. 8. *n*. 19. & 20. referenda eſt.

§. autem IV. immerito cenſura affertur, quaſi *non imperium & dominium, ſed res occupari dicantur*. ſi inſpexiſſet *Feldenus* lemata capitis, non habuiſſet quod moneret. ſatis idoneus ſibi interpretes Grotius eſt. *occupatio*, inquit, *duplex; ad imperium, ad dominium*, Neq; obſcura

eſt

eſt locutio ſeu locutionis permutatio, aut Grotio primum vſurpata.
Occupationem vocat Groti⁹ *ſolum naturalem* acquirendi dominii modũ *poſt prima illa tempora, communionis* ſc. quæ à multis, etiam poſt lapſum hominis, fingitur, ab aliis in ſtatu tantum integritatis collocatur; & *diuiſionis rerum prima*, de qua §. I. At *diuiſionem* illam *rerum primam* quæ cōmunionem mutauerit, accidiſſe *occupatione* & *ſortitione* alii ſtatuunt: alii *poteſtatẽ paternam, arbitrium electi Principis*, & *conſenſum ſiue pactum hominum*, tanquam primos modos agnoſcunt; *patria poteſtatis auctoritatem* in Adamo & Noacho; *pacti exemplum*, in Abrahami & Lothi contentione (*Gen.* 13.) ponentes. In explicanda quoq; illa communione, quam ſtatui innocentiæ propriam faciunt, fatentur nonnulli, *etiam tum fieri & decore & licite illam diuiſionem rerum potuiſſe*; & *præceptum iuris naturalis de non furando, ſupponere rerum diuiſionẽ:* & dum, *vt iuris gentium* (quatenus à naturali diſtinguitur) fœtum, diuiſionem illam faciunt, ea tamen de Sacrarum literarum auctoritate, & dictamine rationis admiſcent, quæ aliis vulgatis de illa diſtinctione ſententiis, non ſatis congruunt. Qualia plura paſſim ſunt obuia apud Theologos morales, vbi *de prima rerum diuiſione ſeu diſtinctione dominiorum* agunt. Vnde ſatis conſtat, nondum ſatis excultum eſſe hoc argumentum, vel quoad *hiſtoriam rerum diuiſarum* (quæ omnino hîc primum auſpicium facere debet) vel quoad coniecturas, imo ratio-

v. Molina diſput. 20. *Leſſius lib.* 2. *c.* 5. *dub.* 1. 2. 3.

rationum nata ex ipſis rebus & natura ſocietatis momenta. Tetigimus quædam in ſuperioribus. ſed res opus habet tota & conſerta diſputatione. Quam alio loco dare, animus eſt.

Locus *Siculi Flacci* in *Editione Rigaltiana* paulo aliter legitur. Addendus autem eſt locus
p. 30. *Hygeni de limitibus conſtituendis: Hi autem*
p. 215. *quibus aſſignati ſunt, deducebantur intra centuriationem, at quæ ſuperfuerunt ſubſeciua eis conceſſa ſunt, id eſt eorum reipublicæ ex quorum territorio ſumſerunt agros: ita vt in eos quos donauerat agros, & in eos qui redditi erant veteribus poſſeſſoribus, iurisdictio ſalua eſſet eis, ex quorum territorio ſumti erant agri.* Legenda eſt, quæ ſubiicitur, diſputatio de formula legum, iurisdictionem aſſignante.

§. V. De facultate legis ciuilis in anteuertendo iure occupandi res mobiles dixit *ſupra II,2,5.* & *infr. II,8,5. & 21.*

De Iureconſultis in *fine* §. res nota. Illis perſæpe eſt *iuris gentium*, ratione vſus; quod præter ciues Romanos etiam externis conuenit; ſicut ex diuerſo *iuris ciuilis* dicuntur ea, quibus tantum ciues Romani vti poſſunt. cum interim ſæpe & *illa* à iure ciuili Romano introducta ſint; & *hæc*, iuris gentium haberi aliquando debeant.

§. VI. De *dominio infantium & furioſorum*, puto rectius ſentire, qui id ipſo iure naturæ niti, nec à gentibus primum introductum, ſed explicatum eſſe docent. Sunt enim & ea iuris naturalis, quæ alicui conueniunt ita, vt in exer-

exercitium ſtatim deducantur, ſiue ab actu primo ad ſecundum, vt Grotius cum ſcholis loquitur, vltro pertingant, cum primum, impedimentum vel naturale ætatis, vel fortuitum morbi, receſſerit. Nullus enim eſt hic iuris defectus, vbi actus ſecundus ad tempus tantum ſuſpenditur. Quod in infantibus quidem clariſſimum eſt. Sed & in furioſo ſubeſt ſpes recuperandæ ſanæ mentis, ad quam etſi nunquam perueniret, natura tamen iubet, non interuerti; ſed potius ad eius neceſſitates ſuſtinendas accommodari, & deinde eo mortuo, ad eos transferri, quibus acquiſitione deriuatiua debentur eius opes. *Scholaſtici* diſtinguunt *Molin.*
vſum dominii, & *dominium habituale* ipſum: *diſp. 18. n.*
illum in *libero arbitrio*, hoc in *potentiis* fundari *3. &c.*
dicentes. In quo cum recte ſentiant, & Apo- *Leſſ. lib. 2.*
ſtolum quoq; iure naturali dominium infanti- *c. 4. dub. 2.*
bus adſtruere credant, merito audiendi ſunt; quamquam, ſi quis velit amplius ἀκριβολογεῖν, nec dominio, nec vſu ſeu exercitio dominii deſtitui videbuntur infantes & amentes: licet ope aliorum id iuris exercendum ſit. quod per accidens euenit. manet illis ius in re: manet facultas vtendi: licet modus vtendi ad alienam opem ſpectet. Quicquid autem vel tutor pupilli, vel qui res furioſi curat, diſponit legitime, in eo non ſuum ſed pupilli & furioſi ius exercet vicaria opera. Sed prior explicatio ad ciuilem vſum ſufficit. neque ad argutiores de definitione dominii diſputationes hoc loco euagari fas eſt.

§. VIII.

§. VIII. incipit reſtringere & corrigere ea, quæ in *Mari Libero* liberalius diſſeruerat, vt *ſupra* cœpimus dicere. Qua de re vide omnino *Seldenum Mar. Clauſ. I, 26.* vt & de *textibus* ICtorum, quos conciliare Grotius §. IX. inſtituit, *Eundem* I, 14. *vbi* & *ſeq. 15. c.* etiam multa ad §. X. XIII. XV. pertinentia. Fuimus ſupra ſatis copioſi, & de vectigali (quod §. XIV. tangitur) multa annotauimus ad §. XIV. *cap. præcedentis*. Ad §. *XIII. h. c.* ipſius Grotii nobilem hiſtoricam annotationem ſupra laudauimus: quam, ſi placet, augere potes, diſſertatione *Thomæ Riuii hiſt. nau. med. lib. 3. c. 38.* & præſertim *Io. Gryphiandri diſputantis* erudite, *an etiam in mari ſit iurisdictio aliqua?* De *Inſulis c. 14. à §. 13. vsq. ad 74. Seldenus* autem oſtendit, illa Grotio collecta, non *imperii* tantum ſed dominii occupati exempla eſſe. *M. Cl. I. 8. & 14. & 15.*

Quod dicitur, *ratione perſonarum imperium maris per claſſem obtineri*, recte capiendum eſt. Nam ſi claſſis ſiue exercitus maritimus aliquandiu ſubſiſtat in aliquo mari (quod ex variis cauſis contingere poteſt) etiam cum de imperio illius maris vindicando nihil cogitatur; nõ ſtatim dicitur imperium maris acquiſitum ratione perſonarum. Non ignoro equidem conſuetudines nauticas, in iis, quæ à prætereuntibus claſſem aliis nauibus, tanquam ad agnoſcendam auctoritatem claſſis ſubſiſtentis exigi, ſatis nonnunquam pro imperio, ſolent. ſed imaginarii hæc imperii ſimulacra ſunt. An ergo Gro-

Grotius hoc vult dicere, ſi claſſis perpetuo ſubſiſtat in mari, occupari imperium? ſicut Auguſtus duas claſſes, vnam ad tutelam maris Superi, alteram ad tutelam maris Inferi in Italia habuit diſpoſitas.

Quod de *territorio in proxima maris parte* additur, longe accuratius in *Gryphiandri* modo laudata *diſſertatione*, & in primis quæſtio de *vicinitate* definienda, tractatur. Adde etiam *Alber.Gentil. de I.B.*3,17. & *in Hiſpanica Aduocationis lib.* 1. *c.* 8.

§. XVI. Nobilis quæſtio, *de mutato fluminis curſu, & terminis imperii* proponitur. cuius momenta, quomodo contrariis diſputationibus examinent Doctores, oſtendit diligenter *Gryphiander de Inſulis cap.*14. §. 87. *vsq; ad finem.* Erudita autem eſt ratio Grotii, quam definiendi cauſſa ex antiqui Iuris Terminalis prudentia, & finium arte menſoria regundorum diſciplina arceſſit. Quamquam *limitati agri* hodie non ſunt: quorum conditionem *agris ad menſuram conceſſis* ſiue menſura comprehenſis accommodari debere, exiſtimauit *Bartolus* & eum ſecutus *Noa Meurerus.* quos refutat *Io. Oetingerus de Finibus regundis lib.* 2. *cap.* 2. & accuratius rem explanat *Gryphiander de Inſulis, c.* 7. *a n.*52. *vsq; ad fin.* poſtquam hæc *diſcrimina agrorum* in præcedentibus explicauerat. ſed *Grotius* tamen II, 8, 12. in iure alluvionis, *agrum menſura comprehenſum paris eſſe iuris cum limitato* autumat.

Quod de *medietate fluminis* dicitur, habet coniecturam ex natura rei valde probabilem ac pæne certam: ita vt *Grotius* exiſtimet, iudices illos apud *Marianam* (loco in *Annotatis* indicato) in pronuntiando hanc ipſam naturalem æquitatem ſecutos eſſe. *Mariana* narratio hæc eſt: *ad Hiſpaniæ fines, qua Aquitaniam ad Oceanum attingunt, Fonterrabiæ municipes cum Hondaiæ Aquitani oppidi incolis de Vedaſi fluuii vtrosq; agros interfluentis Galliamq; dirimentis ab Hiſpania, poſſeſſione diſceptabant, vtrius oppidi iuris eſſet, non parum ſæpe armis. In controuerſia à Regibus dati indices, ripa ſua cuiq; oppido attributa fluuium communem fore pronuntiarunt, ſalutari temperamento quieuere tandem ii motus.* Poteſt *communis fluuius* eſſe, quoad æquum ius vtendi toto fluuio ad piſcatum & aliis modis. poteſt & *communis* eſſe, alterutri ad mediũ alueum, à ſua ripa, ſicut in Annotatis ad §. XIII. poſuerat Grotius ex *Iohanne Magno*, exemplum de *terminis* regnorum Sueciæ *in medio freti Oreſundici.* Et iuxta communem Dd. ſententiam flumina ſunt cõmunia vicinorum vtrinq; vſq; ad dimidium aluei, quando nimirum flumen duo diuerſa territoria interluit ac diuidit. ſicut late probat & exemplis illuſtrat *Gryphiander.* Habet tamen diuiſio aluei interdum tantas tricas, vt ſatis cõſtet, naturalem illam æquitatem pactis gentium haud raro temperatam. Animaduertet, quod dixi, qui voluerit cogitare perceptionem vectigalis in flumine, duobus ad medietatem cõmuni. Igitur huc pertinet etiam obſeruatio §. XVIII. §. XVII.

lib. 29. c. 23.

de Inſul. c. 17. n. 97. vsq. ad 110.

§. XVII. Tribus hic memoratis fluminis partibus *aqua*, *alueo*, *ripis*, addidit quartam *Baldus*, nempe *litus*. quem refellit *Gryphiander de inſulis cap*.11.*n*.43. Idem, qui optime explicat, per mutationem ſingularum partium, quando flumen mutatum pro eodem aut nouo haberi debeat *cap*.14. *n*. 103. *&c*.

De *rebus derelictis* §. XVIII. pulchre philoſophantur Hebræi apud *Seldenum*. & apud *Moraliſtas* præcipua quæſtio eſt: *qua pro derelictis haberi debeant*. In quo genere, caute incedit *Leſſius lib*.2. *diſp*.5. *dub*.8. Occurrent plura *cap. ſeq*. quod hinc pendet. de I. N. & G. 6, 4.

Quæ de cetero adduntur, de *dependentia dominii priuatorum*, & *comparatione emphyteuticarii*, & *feudatarii*, illuſtrabuntur, per ea quæ habet *Molina diſput*. 3. *n*. 11. *&c*.

In Lib. II. Cap. IV.

De derelictione præſumta, & eam ſecuta occupatione: & quid ab uſucapione & præſcriptione differat.

Ante omnia hic de differentia vocabulorum conſtare debet: non quidem quaſi *vſucapio* ſit mobilium, *præſcriptio* vero immobilium (vtraq; enim vtrorumq; eſt) ſed quod *vſucapio* acquiſitione dominii per continuationem temporis; *præſcriptio*, exceptione peremptoria

aduerſus eum, qui dominium affectaret, æſtimetur. Quanquam hanc Iuris ciuilis diſtinctionem, non tantum Ius Canonicum permutatione vtriusque vocabuli neglexerit; ſed Doctores quoq; ſiue vtriusq; iuris interpretes, promiſcue vtantur ſæpe his appellationibus.

Fuerunt in hoc argumento valde copioſi & curioſi Theologi morales, id eſt philoſophi, qui legum ciuilium rationes ex fontibus æquitatis naturalis deducere, examinare, & ad viri boni conſcientiam (quæ in Chriſtiano accuratius ſe exerit) accommodare ſtuduerunt. Vix enim in hoc genere, & quaſi extra ordinem, habitu Theologico vere ſic dicto, vtuntur. *à diſp. 60. vſq. ad 80.* In iis, pereximia eſt diligentia *Ludouici Molinæ* qui *viginti circiter diſputationibus*, hoc argumentum executus eſt. Attingentur in ſequentibus aliqua, in quantum ad exempla vitæ congruunt. quæ enim ſubtilius, quàm ad uſum conſuetudinis humanæ exquiruntur; extra propoſiti noſtri limites ſunt.

Quæſtionem illam, *an vſucapio & præſcriptio tantum ſit iuris ciuilis inuentũ, an etiam iuris naturalis & gentium*, aliqui ἀκροθιγῶς, nemo ſatis ſerio, & ſolita his ſcriptoribus diligentiâ tractauit. *tom. 1. diſp. 7. ſect. 1.* *Cardinalis de Lugo*, cum vſucapionis & præſcriptionis originem ab *vtilitate publica* repetiuiſſet, hanc dubitationem ſubjicit: *ſi adeo hoc expediens ad bonum publicum; ergo ex natura rei & ante omnem legem poſitiuam, præſcriptio haberet vim transferendi dominium. nam ipſum naturæ lumen & naturalis ratio dictaret, hoc ita fieri*

fieri debere ad bonum publicum & ad pacem conſeruandam. Reſpondet deinde: *lumen rationis dictare, hoc eſſe valde conueniens & expedire, vt lege poſitiua ſtatuatur, non tamen eſſe bonum adeo neceſſarium, vt ab ipſa naturæ lege, immediate ſtabilitum ſit.* Hæc verba *vel* ita capi poſſunt, quatenus omnibus legibus poſititiis, qua talibus, conueniant; neque enim facile lex aliqua proba ciuilis reperiatur, de qua id non queas dicere; *vel*, quatenus legibus de præſcriptione, magis & excellentius conueniant, ideo ſcilicet, quod æquitati naturali ſint propiores. Inter leges enim ciuiles vna plus & manifeſtius, altera minus nec tam manifeſta neceſſitudine de æquitate naturali participare poteſt. Cur primo illo ſignificatu loqueretur, nihil cauſa habuit. Si altero ſenſu dixit, ſatis apparet, non auſum eſſe eum contraire vulgatæ ſententiæ, & tamen aliquid non vulgare in iure præſcriptionis agnoſcere voluiſſe.

Sicut & alii temperamentum loquendi videntur quæſiuiſſe, quando *præſcriptionem æquitati naturali non repugnare, æquitatem naturalem ſecum habere, iure æquiſſimo & quaſi naturæ lege niti*, ſcripſerunt. Ne diſerte dicerent: *præſcriptio eſt iuris naturalis*. Videndi ſcriptores laudati *Alciato in Tit. Iur. Can. de præſcriptionibus*: & *Magero de Aduocat. cap.* 6. *à* §. 34. *&c.* *Grotius* quoque, cum ab initio capitis rationes æquitatis naturalis indagaſſet, §. IX. magis *ius gentium voluntarium* reſpicere videtur. *tom. 4. q. 2. §. 6. &c.*

vt huc pertineat quod infra dicit II,19,6. *Hæc quamquam ex iure naturæ ortum aliquatenus habeant, accipiunt tamen ex humana lege* (I.G.) *firmitatem quandam* &c. Atq; ita etiam doctiſſimus *Conringius*, in memorabili, & eximie huc pertinente diſputatione, *ſi non naturale, ſaltem gentium arbitrario iure, neglectorum imperiorum iuſtam occupationem conſtitutam & ratam eſſe redditam*, ait.

Plures enim ſunt, qui de *iure gentium* citra ambages pronunciant. Neque tamen omnes eodem modo. *Seldenus*, ad iura gentium interuenientia, vt vocat, refert. Alii de *moribus gentium* loquuntur. Nemo fortius puto, quàm *Hugo de Roy*, qui *vſucapionem, in genere, iuri gentium* adſcribit. *cum in ea ſpectetur rationis naturalis conſtitutum, neceſſitatis humanæ exigentia, & vſus gentium.* (Vide an, qui ita deſcribit, nihil aliud dicat, quàm, eſſe iuris & naturæ & gentium.) *in ſpecie vero, qua talis,* (inquit) *iuri ciuili Rom. adſcribenda eſt vſucapio.* Quando igitur quæritur, *an iuſta ſit lex quæ vſucapionem inter homines inſtituit*, ſatis apparet, non poſſe hoc quæri, ſi de iure naturali proprie ſermo ſit, ſed nec tum ita quæri poſſet, ſi iure naturali rationali confirmaretur illa lex, vt loquitur *Hugo de Roy*. [Notare in tranſitu licebit, appellatione *iuris naturalis rationalis* opus non eſſe, vbi ius animale pro nullo habetur quod *ad lib.* 1. non ſemel oſtenſum eſt.] De ſolo iure gentium voluntario & ciuili quæri poſſet, an iuſte vel ciuitas, vel gentes inter ſe ita

de eo quod iuſtum eſt lib. 3. *tit.* 2. §. 4.

Hug. de Roy lib. 3. *tit.* 4.

ita conſtituerint. ſicut & alias cuiuſuis legis iuſtitia declarari, à iuſta legislatoris poteſtate, & à iuſta eiuſdem voluntate, poteſt. Et legis quidem ciuilis de vſucapione iuſtitiam declarat *Hugo de Roy* multis factis partibus, non alio tendentibus. Deducit enim 1. *à iuſta poteſtate puniendi ſontes.* quamquam is non præcipuus n. 1.
legis ſcopus eſt, ſed acceſſorius: & in hypotheſi, ſtatuti certi temporis, quo quisque rerum ſuarum & poſſit & debeat curam agere. Ad hoc caput plura ex ſequentibus pertinent: vt n. 3.
de conſenſu cuiusuis membri ſocietatis in leges in ſocietate latas: de cultura rebus neceſſaria: de fauore iuſtæ poſſeſſioni à lege addito. n. 4.
quamquam hoc ſatis debile eſt; nec exemplis allatis, non ſatis ſcilicet huc quadrantibus, n. 5.
affirmatur. 2. *ex ſpeciali iuſta poteſtate legis, domi-* n. 2.
nia rerum de vno in alium transferendi ob bonũ publicum. ſiue, vt alii loquuntur: ex iure maieſtatis, vel nomothetico, vel, vt Grotius autumat, eminentis dominii. Sed hic locus lubricus eſt. Ad extraordinaria enim illa & ſubſidiaria ſummæ poteſtatis iura confugere non attinet, ubi ordinariis prouiſionibus ſeres explicat. Quæ autem de præſcriptionibus iure ciuili traduntur, iuris nomothetici ordinariis rationibus ſatis defendi queunt. 3. *ex* n. 6.
iuſta occupatione, adeoq; *derelictione rei.* 4. *ex conuenientia cum iure naturali*, omnes homines n. 7.
ad ea, quæ commune ſocietatis bonum requirit, obligante. 5. *ex conuenientia cum iure gen-* n. 8.
tium. 6. *ex conuenientia cum iure diuino* vel n. 9. & 10.

generaliter, vel ſpecialiter ſpectato. Quæ in ſingulis capitibus & hypotheſibus permiſtis excutere, non eſt neceſſarium.

Potentiſſimi autem momenti eſt in hac quæſtione, præſertim in quantum ad publica pertinet, *derelictio rerum*, adeoq; voluntas derelinquentis, & conſenſio tacita. in qua colligenda & probanda non vno modo videmus pleroſque incedere. Eruditum haud dubie eſt conſilium & ad interiora proficiens ſpecimen, quod in hoc genere *Conringius* dedit, de *Finibus*
c. 19. p. 354. &c. *Imperii*. Quo fundamento probe conſtituto, iam non poterit *præſcriptio* referri ſemper inter *modos acquirendi dominii, qui inuito domino pri-*
v. Leſſ. l. 2. c. 6. pr. *ore fiunt*. Et huius derelictionis reſpectu videtur placuiſſe nonnullis, vt dicerent: aliud eſſe *extingui dominium*; aliud, *transferri*: cum *ibi* originariæ acquiſitioni locus fiat; *hic*, deriuatiua intelligatur. cuius diſcriminis exempla in his diſputationibus non ſolent nulla occurrere: vt fortaſſe probatam aliis ſubtilitatis nomine
Contr. ill. lib. 2. c. 54. n. 10. differentiam, cur riſu & ludibrio exciperet, ſomniiſque annumeraret, cauſam ſatis grauem non habuerit *Fernandus Vaſquius*.

Sed ad ſingula Grotianæ diſputationis capita, aliquid annotabimus. Statim §. I. incommodum illud proponit Grotius ex perpetuitate litium & diſcordiarum, ſi præſcriptio inter gentes diuerſas omnis negaretur: ut oſtenderet, eam rationem, quæ, inter alias, mouit legum ciuilium conditores, vt vſucapionem decernerent, mouere etiam potuiſſe, imo moniſſe.

gen-

gentes, vt ad communicationem mutuam ſiue vſurpandi iuris gentium, idem conſenſu vellent conſtituerentque. Alium ſenſum nemo hinc exſculpſerit.

§. II. Exempla ſiue teſtimonia adferuntur, iam olim *Alberico Gentili* allata pleraq;, & aliis cumulata. *Iſocratis* locus ex *Archidamo* perinſignis eſt, & inde peritus, vbi accurate oſtenditur, iure optimo teneri, quæ tot ætatibus & ſæculis eosdem habuerint dominos. vt parum ſe peritum oſtendat in tractandis veterum ſcriptis *Feldenus*, cum ex voce νομίζουσι (*arbitrantur*) infirmare aſſeuerationis robur inſtituit. ſed ineptum ſit, his immorari. *de I. B. I, 22.*

Illud notatu dignius eſt: ſæpe compendium loquendi eos ſequi, qui in hoc vſucapionis negotio, temporis tantum mentionem faciunt. ſubintelligi enim debent, quæ tempori coniuncta ſunt; vt omiſſio rei, ſiue animus omittendi, ſiue indicia omiſſi dominii, ſicut in *Iſocratea* oratione, ipſo argumenti, quod à tempore petitur, tractatu amplius eluceſcit.

Cumque in auribus multitudinis, & in ſummam, plauſibile ſit *temporis* nomen (quaſi ſcilicet, continuatio temporis lucrifaciat alleganti ceteras probationes) inter ſtratagemata politica eſt, rudiore Mineura in his nominibus verſari, & tanquam generale temporis nomen iactare; explicationibus & adiunctionibus, quæ ſolæ rei per ſe nihil efficienti robur aliquod circumponere queant, vltro vitatis: in locum earum exemplis argumentantium

ſine diſcrimine cumulatis; quo orationi ſpecies & copia accedat. Grande ſpecimen habes in ſcripto Ludouici Gonzagæ Niuernenſium Ducis ad Henricum III. Gall. R. quo Pinarolii & Sauilliani reſtitutionem diſſuadet apud *Thua-*
l. 59. p. 43. *num*; vbi inter alia hæc leguntur: *nec vero Principes ſi rogentur, quo titulo tot prouincias poſſideant, aliud, quod reſpondeant, habere, quàm eas ita à Parentibus accepiſſe. Philippum repoſcentibus Neapolis & Siciliæ regna, Mediolanenſem Principatum, regnum Nauarræ, Placentinam arcem, Cameracum, Brabantiæ Principatum, non aliud reſpondere ſolitum, quàm, ea ita patre accepiſſe. eodem titulo Venetos, multas Auſtriacæ domus ditiones, Mantuanorum Principum, Ferrarienſium & Carrariorum olim, Brixiam deniq; Epiſcopis ademtam retinere. nec ſi rogetur Etruria Dux, vt Senenſium Reip. libertatem antiquã reſtituat, ſi Pontifex, cur Bononiæ, & Anconæ ſtatum antiquum immutauerit, aliud reſponſuros, & ſi lex ſit, vt Principes, quæ à maioribus vſurpata poſſident, reſtituere teneantur, ad ſummas anguſtias pleroſq;, qui nunc late regnant, redactum iri.* &c.

Ita vocabulis temporis, vario conſilio vti videmus homines. ſed cum, vti dictum eſt, in tempore nulla ſit vis ad efficiendum, deuenitur ad coniecturam humanæ voluntatis, quæ præcipuum in hac diſputatione momentum facit. Cumque voluntas non indicata, nullum ius parere idonea ſit, de ſignis & indiciis vo-
adde infr. II, 20, 18. luntatis, quæſtio eſt. Indicatur enim *voluntas*, vel *verbis*, vel *factis*. Apud *Quinctilianum*

(*de-*

(*declam.* 247.) legas: *Promiſit. neq; vnum promittendi genus eſt. voluntas hominum non tantũ voce ſignata eſt.* &c. Et *de verbis* quidem, vt recte *Grotius*, *expedita res eſt.* quotiens enim verbo abdicatur dominium, quæſtio de præſcriptione non inuenit locum. Ergo de conſenſu tacito in omiſſo dominio aut re derelicta, adeoque de voluntate domini rem ſuam apud alium eſſe volentis (id eſt vero præſcriptionis fundamento) præcipue dubitatur. Tunc enim locus dubitationi, & coniecturis. *Regula communis eſt* (inquit *Ioannes de Lugo*) *vt quando de domini intentione non conſtat, coniecturis agatur.* Hæc ad §. III. *de I. & I. tom. 1. diſp. 6. ſect. 10. n. 99.*

Quare §. IV. incipit egregiam philoſophiam, quomodo *coniectura voluntatis ex factis & non factis petatur.* ſub factis enim & non facta contineri, quod §. ſeq. dicitur, omnes ſciunt & tradunt. Exempla ponuntur elegantia. *Quod abiectum eſt animo requirendi*, derelictum non cenſetur, Sic *qui metu naufragii, iacturam fecit, non dereliquit proiecta.* apud *Cardinalem de Lugo*, & *Grotium infra II*, 7, 1. Sequuntur ex iure ciuili, de *chirographo ſ. inſtrumento reddito*, remiſſi debiti tacitum conſenſum ſignificante. non item, *pignore reddito.* vide *Greg. Tholoſ. Syntagm. I. Vniu. lib. 21. c. 6. n. 2.* Ita chirographum cancellatum apud creditorem repertum, præſumptionem creat remiſſi debiti. De *recuſata tacite hereditate* ſequitur. de cuius repudiatæ vel agnitæ coniectura, *vid. Menoch. 4. præſumt. 99. &c.* Ad *contractum priuatũ domini, cum* *v. Vaſqu. C. I. lib. 2. c. 52. n. 6.*

cum poſſeſſore tanquam cum domino, compara exemplum de publicis, apud *Iſocratem*; vbi
in Archid. p.241. edit. Steph. 1604. Lacedæmonii ita argumentantur: *tractauimus cum Perſis de conditionibus: Meſſanam nos iniuſte tenere, neq; Rex Perſarum, neq; Thebani nobis vnquam obiecerunt.* Vnde valide auditur illatio: καίτοι πῶς ἂν περὶ τοῦ δικαίου κρίσιν ἀκριβεστέραν ταύτης εὕροιμεν, τῆς ὑπὸ μὲν τῶν ἐχθρῶν ἐγνωσμένης, ἐν δὲ ταῖς ἡμετέραις δυσπραξίαις γεγενημένης; *quodnam autem accuratius de iure iudicium inuenerimus, eo quod & ipſi hoſtes agnouerunt, & quod in rebus noſtris aduerſis editum eſt?*

In fine huius §. oſtendere vult *Grotius*, ſicut naturalis præſumtionis ſit, quemq; id voluiſſe, quod ſufficienter ſignificauit: ita etiam in vſucapione voluntatem eius, aduerſus quem præſcribitur, fundamentum æquitatis naturalis huic iuri ſubſternere. quod ſcilicet perficiatur *iure gentium*, ad quod mox *acceptilationem* cum Vlpiano refert, quæ tacitam & legalem ſeu intrinſecam, non expreſſam, conditionem admittit.

Addamus hic duo nobilia exempla. Primum ex *iure egenorum ſingulari* apud Hebræos: vbi, ſi pauperes relicta ſibi a domino agri, ſpicilegia partim colligerent, partim negligerent, ea quæ neglexiſſent, tanquam derelicti habita, à quouis occupari poterant. explicante
de I.N.& G. lib.6.c.6.p.699. *Seldeno.* Alterum *Cicero* proponit *l.* 2. *de inuent. c.* 51. quid ſit *nauem relinquere*, cum eſſet lex: *qui in aduerſa tempeſtate nauē reliquerint, omnia amittunto: eorum nauis & onera ſunto,*

qui

qui in naui remanſerint. Per ſe apparet, non intelligi illum caſum, quando in aduerſa tempeſtate dominus nauis digreditur, & miniſtris ſuis aut familiaribus nautiſue regimen & conſeruationem nauis demandat. Tum enim nec amittit ipſe aliquid, nec relicti in naui, ſi non poteſt nauis conſeruari, ad aliquid tenentur. [In quo genere vide memorabilem *legem Petri Arragoniæ Regis*, in *Conſulatu Maris*.] ſed reſpiciebat lex omnino eos mercium dominos & nautas, qui in naue ita ſe conſtituerunt, vt alteri citra alterius voluntatem digredi fas non eſſet: & in eo, qui relinquit, contra hæc conuenta, nauem, deſperationem & nauis & oneris præſumebat, ſiue derelictui habita omnia, declarabat. Sequitur enim exemplum: *Duo quidam, cum iam in alto nauigarent, & eorum alterius nauis, alterius onus eſſet, naufragum quendã natantem & man⁹ ad ſe tendentem animaduerterunt: miſericordia commoti, nauim ad eum applicauerunt; hominem ad ſe ſuſtulerunt. Poſtea aliquanto ipſos quoq; tempeſtas vehementius iactare cœpit, vſq; adeo, vt domin⁹ nauis, cum idem gubernator eſſet, in ſcapham confugeret, & inde funiculo, qui à puppi religatus ſcapham annexam trahebat, nauim, quoad poſſet, moderaretur: ille autem cuius merces erant, in gladium in naui ibidem incumberet. Hic ille naufragus ad gubernaculum acceſſit, & naui, quoad potuit, eſt opitulat⁹. Sedatis autem fluctibus, & tempeſtate iam commutata, nauis in portũ prouehitur. Ille autem, qui in gladiũ incubuerat, leuiter ſaucius facile eſt* p. 197.

ex

ex vulnere recreatus. Nauim cum onere, horum trium ſuam quiſq; eſſe dicit. Hic, ſi lex attenditur, quærendum eſt: an dominus nauis, ita nauem reliquerit, vt deſperarit & derelictui habuerit: an vero in naui remanſerit, quatenus ſcapha vt pars quodammodo nauis conſideratur, & moderamen nauis qualecunque extra nauem maiorem, è ſcapha, voluntatem non relinquendi indicare potuerit. In domino mercium, vt apertior deſperationis coniectura (quomodo enim nauim & merces non haberet derelictui, qui vitam proiicere non dubitauit?) niſi quod metus & circumſtantia periculi, & exemplum digreſſi gubernatoris, conſilium ipſi & mentem eripuiſſe videtur. vnde miſerationis aliquid in eum traheret caſus atrocitas. Naufragus quoq; ille receptus, ſi ad ſeruandam nauim multa contulit, ſine præmio abire non debeat. Ita futurum eſſet, vt iudex in caſu mirabili, & dubitationi non per omnia explicabili obnoxio, legiſlatoris potius mentem, quàm legis verba ratiocinaturus, nulli ex tribus omnia, nulli nihil, ex æquitatis emergentis rationibus forte adiudicaret. Sed in eiuſmodi exemplis commentitiis, ſæpe de induſtria implicantur momenta negotii, & difficultates augentur: ponendo ea, quæ reuera ita fieri non poſſunt aut ſolent. Nauis enim, quæ merces vehit, quæ ſcapham annexam habet, non ſolet aut poteſt, per loca tempeſtatibus obnoxia in fluminibus maioribus, multo minus in mari, ab vno nauta adminiſtrari.

Igi-

Igitur,ſi hîc, præter gubernatorem, nautarum reliquorum miniſteria ponantur, non poterit is caſus emergere, qui fingitur.

§. V. de *ſilentio ſcientis & libere volentis*, ad *coniecturam voluntatis* valido agitur. Ita ſi dominus rei, facile poſſit rem recuperare, negligit tamen & tacet, videtur pro derelicta habere. quo exemplo *Io. de Lugo* vtitur. in iis, *quæ naufragio amiſſa ſunt*, illud de miſſis qui requirerent, de promiſſo μηνύτρῳ, non ita accipi debet, quaſi, vbi hoc non fit, ſtatim animus dominii retinendi abiectus cenſeri debeat. Debebat enim cōmunis humanitatis lex omnes admonere, ne naufragorum bona pro derelictis haberent, ſed ad reſtituēda dominis promtos ſe paratosq; exhiberent. Verū tum demū coniectura derelicti dominii procederet, ſi, vt *Leſſius* figurat caſum, *res fluctibus procul abrepta eſt, & dominus ſciens, vbi ſit quærenda, non curat eam recuperare, vel quia eam parvi facit, vel quia eſſent magna expenſa facienda*. Quam in rem plura ibi legas licet. Et adde *infra* II, 8, 3.

diſp. 6. ſect. 10. n. 99.

lib. 2. c. 5. dub. 8.

Hic locus de ſilentio ſcientis & libere volentis, ſpecioſe tractatur in cauſſa Regii, quod Gonzagis ereptum reddi volebat Wenceslaus Imperator, apud *Antoniū Poſſeuinum*, miſſo ad Eſtenſem, qui detinebat, Legato. cui Eſtenſis reſpondit: *præſcriptam ciuitatis illius poſſeſſionem, quā tot annos in pace habuerit. dediſſe pecuniam, quā nec requirat, nec habere poſſit. Carolum* (Imp. IV.) *dum Italiam teneret, non conſilio, non vi obſtitiſſe, ſed ſilentio annuiſſe. quod enim voluntatis ſumma certius teſtimonium, quàm cum*

lib. 4. Gonzag. p. 418.

nutu

nutu obtemperetur,longiori vſu,ne hiſcere quidē? Gonzagis pleraq; conceſſa, Cremonenſis ac Veronenſis agri : vt quantacunq; iactura vtilitate penſaretur. An ignorationem in eo Imperatore fingi poſſe, qui cum Italiam omnem triumphis luſtrauerit, Mantua apud querentes diu ſubſtiterit, non tamen paruerit? Verum Imperator ſpecioſius iſta, quàm verius dici ratus, non abſtitiſſet propoſito, ſi vires ad exequenda deſtinata adfuiſſent. ſatis enim apparebat, ſi grauioribus mandatis res ageretur, Eſtenſem non obtemperaturum. Vnde ad moderatiora flectendum fuit: de quibus *Hiſtoricus* addit: *neceſſitas honeſtam cauſam habet; & non ſemper iuſtitia locus eſt: ne ſpreta imperia auctoritatem corrumpant; & ceterorum pervicaciam, vt ſecuram, accelerent.* Ne tamen iterum ſilentium Imperatoris obtenderetur, nouo Diplomate, Gonzagam *Vicarium Imperii, non Mantua ſolum, ſed & Regii, atq; adeo adiacentium locorum* conſtituit hæreditaria dignitate. Offendit ea res Eſtenſem, & iam ſimplicius de cauſſa ſua, *non dantis, non accipientis, ſed poſſidentis Regium eſſe*, profeſſus eſt. Igitur ſilentium iſtud Caroli, non fuit libere volentis: ſed ex neceſſitate diſſimulantis & rem differentis. Ea enim erant tempora, quæ omnes controuerſias exequendo agitari non ſinebant. Neque Gonzagæ ſuum Ius ſilentio antea transmiſerant. Vnde noua conſideratio *de ſilentio iudicis, parte non ſilente.* Poteſt enim fieri, vt pars litigans ius ſuum teſtatum faciat, iudex autem ob neceſſitates publicas, & potio-

potiora curarum, cognitionem differat. Quod nec ſilentium, accurate loquendo haberi, nec iuri partis nocere, intelligitur debere.

Conſuetudinis originem & effectum, vt exemplum attingit Grotius, quod ſilentium Imperantium coniecturam voluntatis naturalem ſuppeditet. Atque id eo magis huic loco conueniebat, quia præſcriptioni conſuetudinem comparare, & quoad effectum iuris partim præferre, partim æquare ſolent doctores, qui & inter naturales inducendæ obligationis modos eam videntur referre, cum dicunt: *conſuetudinem eſſe quaſi alterum ius naturale.* Nec multum abit *Ciceronis* illud: *conſuetudine ius eſt, quod leniter à natura tractum aluit atq; maius fecit vſus.* Sed, vt hæc recte intelligantur, notandum eſt: *conſuetudinem* ſæpe ita deſcribi, eo ſignificatu, qui huc non pertinet: de *actu & facultate ſcilicet naturali, absq; omni morali reſpectu*: ſiue *de eo quod fit, aut facile fit.* Huius generis ſunt illa apud *Ciceronem*: *ad Græcorum conſuetudinem diſputare: conſuetudo exercitatioq; capienda: exercitatio, ex qua conſuetudo gignitur: inducta conſuetudo: conſuetudo dicendi. Comœdia eſt ſpeculum conſuetudinis*: i. e. eorum quæ fieri ſolent. Alia, & huius loci, ſignificatio eſt, cum *conſuetudo bona aut probabilis* intelligitur: cui *vitioſa* conſuetudo aut *mala* opponitur. *Ciceroni* elegantiſſime dicitur, *conſuetudo communis ſenſus.* & ἐκ παραλλήλου explicatur: *conſuetudine inſtitutoq; maiorum.* Quæ vox (*maiorum*) vbi additur, proprie huc

 perti-

pertinet, & effectum iuris indicat: ſicut *conſuetudinis ius eſt, quod voluntate omnium ſine lege vetuſtas comprobauit.* Vbi locum habet illud: *vt noſtros mores, legesq́ tueamur, quodammodo naturali iure præſcriptum eſt.* Elegans eſt exemplum, quod *Auctor librorum ad Herennium* ponit: *Conſuetudine ius eſt id, quod ſine lege æque ac ſi legitimum ſit, vſitatum eſt: quod genus id: quod argentario obtuleris expenſum, à ſocio eius rectè repetere poſſis.* Eſt & tertium genus, *in rebus quæ vt fiant aut non fiant indifferenter ſe habent:* neque, vt in priori genere, momenti plus in alteram partem poſſident. Huius generis conſuetudini, quin minus inſit auctoritatis, quàm illi, quæ ratione probabilitatis manifeſta, & quaſi naturali, nititur, in aperto eſt. Quare cum *Cicero* & *Veteres* paſſim, inter *partes* & *ſpecies iuris*, etiam *conſuetudinem* numerant: eo maiorem minoremue cum iure neceſſitudinem habere intelligitur, quo magis minusue cum ſecundo genere congruit. In ciuitate igitur, vt conſuetudo inducatur, patientia & ſilentio imperantium opus eſt. ſed quando cum effectu iuris inducta cenſeri queat, haud æque expeditum eſt. Non definitum eſſe tempus, Grotius fatetur. Sed non debemus prætereuehi ſcopulum, qui hic latet; *Primo* enim longe aliud eſt, ſi conſuetudo *contra legem* inducitur: ac, ſi *citra omnem vllius legis præexiſtentis reſpectum* inducitur. Vbi, quod traditur, *legem ciuilem conſuetudine decem annorum præſcribi*, non poteſt niſi legis ciuilis eſſe. Naturalis enim

Cic. part. c. 37.

lib. 2. c. 13.

enim coniectura voluntatis, qua legiſlator creditur non voluiſſe legem valere, cuius contrarium fieri toto decennio permiſit, naturalem hanc exceptionem habet; niſi appareat temporis cauſa, & peculiari ratione, atq; adeo non ſimpliciter, ſed cum adiunctione, neceſſitatis, ſeu temporariæ vtilitatis, viam increbreſcenti contra legem conſuetudini non præcluſam eſſe. Poſſet in diuturniore bello, etiam decennio longior conſuetudo induci contra aliquam legem: quæ lex ex cauſa peculiari dormiret interim, non extincta eſſet: quinimo, bello profligato vltro reuiuiſceret. Nec tum allegantes conſuetudinem ſiue legi opponentens, facto culpam detraherent, ſed minuerent quodam modo. II. Non diſplicet hic ſubtilitas diſtinguentium ea, quæ contra legem, & quæ *præter legem* inualeſcunt. ſicut aliquando ſub opinione legis aut obligationis obtinet, de quo lege nihil conſtitutum eſt. Talis conſuetudo, cum abſurda & improbabilis non eſt, fauori propior eſt: nec cum altera, quæ cum lege contendit, eodem loco haberi poteſt. III. *Prout* autem *plus minusue probabilitatis eſt in conſuetudine, eo maiori minoriue tempore, vt conualeſcat, naturaliter opus habere videtur.* IV. Adeoq;, *prout plus minus de vtilitate & honeſtate publica trahit, ita dignior aut indignior eſt conſuetudo, quæ in communionem iuris veniat, ſiue inter iuris partes connumeretur.* V. *Quin* autem, *quæ contra aut præter legem inualeſcit conſuetudo, noua lege tolli poſſit, dubio care-*

vide Molinam diſp. 77.

re debet. Cum enim duabus in ciuitate rebus viuatur, legibus & moribus, mores autem quodam modo in ſupplementum legum veniant, cedant neceſſe eſt mores, vbi ipſa lex ſua munia ſupplere, aut amplificare inſtituerit. VI. Niſi quod *conſuetudinis* nomine interdum venit, *ratio æquitatis vtilitatiſq; tam manifeſta, vt legislationis omnis ſupplementum quaſi neceſſariũ haberi debeat, neq; legislatori facile cauſa aut voluntas immutandi obuenire queat.* VII. Talia præſertim ſunt, quæ *voluntate omnium & vetuſtate comprobata, vix vnius ciuitatis finibus coërcentur: ſed apud pleraſq; gentes moratiores pro iuſtis habentur.* Vnde *mores, & conſuetudines* gentium moratiorum, non raro pro vniuerſo iure gentium voluntario vſurpari videas. VIII. Sed nimirum & hic obtinent ſuperiora diſcrimina: neque alio modo *conſuetudines in partem iuris gentium*, quàm in partem iuris ciuilis, vt veteres tradidere, veniunt. IX. Itaq; *vnius & alterius gentis vtilitate manifeſtâ nitens conſuetudo, non ſtatim eo nomine exauditur, quo conſuetudines, iuris gentium parti, deſtinata æſtimantur.* Sicuti nec X. *conſuetudo vnius & alterius gentis contra plerarumq; mores inualeſcens, ſuſtinere nomen conſuetudinis poteſt, vt in diſputatione de iure gentium vſurpatur.* Atq; hinc apparet, quomodo vtilitas ſola, vt ius ſit aut æquum aliquid, efficere nequeat. Etiamſi enim vtilitas huius & illius gentis manifeſta foret, ſi tamen ceteris gentibus impedimento, oneri, damno ſit, denique ceteris nihil proſit, non

poteſt ſortiri nomen vel iuris vel iuri cognatæ conſuetudinis, quando de iure & more gentium ſermo eſt. Pugnat ſcilicet cum honeſtate, paucorum vtilitatem cum plerorumq; vtilitate in conflictum deduci, & inde potius quàm hinc nomina, quæ non niſi ſub iuſti ratione intelligi poſſunt, conſtitui. XI. *Præter gentium mores, conſuetudinem induci, ſenſu caret, nec intelligi poteſt.* Conſuetudo enim (ſubaudi, gentium: de hac namque ſermo eſt) non dicitur, dum à paucis inchoatur, ſed poſtquam à pleriſq; recepta eſt. Et tum non eſſe poteſt præter mores gentium. niſi addas, *priores.* i. e. noua conſuetudo. Sed rebus humanis per tot vices rerum iactatis, inter ea hoc eſt, quæ euenire non poſſe dicuntur. XII. Deniq; *conſuetudinis* nomine (in quo fauor iuris ineſſe videtur) perſæpe abuti per ſtratagema politicum videas Principes Regesque, cum factis, ſtatus ſui vtilitatibus, potentiæ, lucro accommodatis, exemplo quidem non carentibus, ſed approbatione & voluntate omnium nunquam defenſis, prætextum quærunt. De qua arte, multis ſane ambagibus inuoluta, conſtructaque, alius eſt agendi locus.

De *rebus deperditis* (quarum etiam h. §. mentio infertur) *occupatione acquirendis*, digna ſunt quæ requirantur, *Seldeno* conſignata. *de I. N. & G. lib. 6. c. 4.*

§. VI. & VII. *tempus* explicat, in quantum hic conſideratur, & vt ſupra ad §. II. & III. declarauimus. Nimirum vt in priuatis, ita quodam modo in publicis, non poteſt deeſſe occaſio

 de

de iure ſuo teſtandi, illudque profitendi. quod qui non fecerit, ille animum dominii retinendi videtur abieciſſe : tam aſſeuerato conſenſu hominum, vt hæc argumentandi ratio naturali æquitati, vt ante dictum eſt, comparetur. Notabilia ſunt verba *Legis Wiſigothorum de tricennali præſcriptione: Tricennalis*, inquit, *tranſcurſio temporum cum iam ſic conſtanter inoleuerit in negotiis actionum, vt non iam quaſi ex inſtructione humana, ſed veluti ex ipſa rerum proceſſiſſe natura videatur:* & quæ ſequuntur. *Quia* (inquit *Theodoricus Rex in Edicto*) *cuiuis ſatis credimus abundeq́ ſufficere, intra XXX. annos & actiones ſuas rite componere, & eas publico iudicio, vel priuata definitione peragere*, Sicut autem iure ciuili, pro conditione cauſarum, & fauore negotiorum, ab ordinario illo tricennali tempore, ad 40, ad 50, ad 60. annos aſcenſum eſt: ita quæri poteſt, an in publicis etiam produci nonnunquam tempus vltra centenarium debeat. Præſertim ſi ſequamur cum Grotio eorum ſententiam, qui *centum annorum tempus*, non habent pro *immemoriali*, ſeu cuius initii non extet memoria. Certum enim eſt, eos qui centum annos pro immenſo & infinito, atq; adeo immemoriali vt loquuntur, tempore habuerunt, ſpectauiſſe rationem conferendi iuris ciuilis & defectum probationis; vt eius intuitu non extare memoriam dicerent, quod nec à parentibus, nec ab auis in dubio poterat diſci accipique. Quæ ratiocinatio temporis etiam in *Annotatis*, per vſitatiſſimam triplicis γενεᾶς

lib. 10. tit. 2. l. 4.

c. 12.

v. L. Longobard. l. 2. tit. 31.

v. Cuiac. conſult. 54.

con-

conſuetudinem explicatur. Qui autem noluerunt centenario vim immemorialis præſcriptionis tribuere, probationem illam extendi vltra centum annos poſſe, interuentu famæ & auditionis, reputarunt; neq; tamen definire vlteriorem terminum auſi, per generalia hactenus egerunt, vt dicerent, *poſſeſſionem eſſe immemorialem, cuius initium memoriā ſenum, qui modo ſunt, etiam ex auditu & traditione ſuorum anteceſſorum excedat.* &: *præſcriptionem immemorialem probari per teſtes qui dicerent: quod ſemper viderunt & audierunt ita eſſe, neq̃, vnquā contrarium*; & *quod communis eſt & fuit ſemper opinio ac fama de hoc facto, nec extet contrarii vel initii memoria.* Quod etiam non eſt ſtricte ſed ita capiendum: modo vltra centum annos ſit; etiamſi intra ducentos: atque vt memoria non tam de monumentis ſcriptis, id eſt de fideliſſimo memoriæ genere intelligatur (ita enim per multa ſæcula propagari poſſunt omnia) ſed de traditione auditionis (ἀκοῆ ἐξ ἀκοῆς) quæ licet & ipſa retro poſſit extendi ſæpe amplius, amittit tamen ipſa longinquitate auctoritatem. Quo factum eſt, vt in centenaria præſcriptione, titulum eſſe neceſſarium crederent, quotiens præſumptio iuris in contrarium occurreret; in immemoriali autem, titulus vltro præſumeretur, eaque validitas in eſſe diceretur, quæ in iure poteſt maxima intelligi, aut per exempla, legis, ſtatuti, conſuetudinis, poteſtatis Principalis irrefragabilis, declarari. Hæc ſubtilitas, magnæ probabilitatis

Lugo diſp. 7. ſect. 6. tit. 68. Molin. diſp. 76, 3. Dicaſtill. 2, 1, 1, 12, 245.

 ratio-

rationibus nixa, iuri gentium, ſiue etiam naturali, ita accommodanda eſſe videtur: vt, primum, *immemorialem præſcriptionem in publicis maioris auctoritatis eſſe centenaria*; deinde, *centum annorum tempus forte non ſemper & in omnibus controuerſiis publicis ad præſcribendum omnino ſufficere*, ſtatuamus. Ceterum ad ſupplendam hanc philoſophiam pertinet illud *Cardinalis de Lugo*, cum exiſtimat: *non ita requiri temporis longitudinem, vt abſq; ea non poſſit res extrahi à dominio domini ſui, & regulam generalem hanc eſſe: vt quando, ſiue ratione temporis longinqui, ſiue aliarum cauſarum æquiualentium res iam ſit extra poteſtatem domini, ita vt ab illo non poſſit vllo modo recuperari, eo ipſo cenſeatur iam domino carere.*

diſp. 6. ſect. 10. n. 100.

§. VIII. obiectioni occurritur, & fundamenta præſcriptionis naturalia ac perpetua denuo ingeminantur. Sed illud quidem, quod *de peccato alieno derelictione rei extinguendo* affertur, parum ad rem pertinere, etiam Feldenus recte animaduertit. niſi quod Grotius interdum aliqua ex regulis caritatis in foro conſcientiæ admiſcet. Sicut & quod *de onere adminiſtrandorum imperiorum* ſequitur, in conſilii ratione venire poſſet; ius facere non poſſet. Profana autem & impia prorſus videntur, quæ in *Annotatis* ad ſenſum Antiochi comparantur his verbis: *Eius animi videtur fuiſſe Ionathan Saulis filius.* cui autem id videbitur? an illi, qui meminerit, Ionathanem tam diligenter in Codice Sacro purgari omni ignauiæ nota, aut cuius-

cuiuscunq; eiusmodi cogitationis, præter ſenſum & mandatum Dei? dum vnius Dei voluntate ſcilicet, ſemel cognitâ, acquieſcit; regnoque paterno, cuius naturalis amor haud dubie de cetero inerat animo eius, ſola reuerentia diuini imperii cedit. Putes, accedere hanc gloſſam, ad illud profanum philoſophandi genus, quo *Campanella*, Dauidem occaſione rapiendæ dominationis vſum, aduerſus Saulem, contra explanatiſſima Scripturæ teſtimonia, dicere non eſt veritus. Qui pro Grotio aliquid dicere vellet, quid aliud poſſet, quàm hoc? *Ionathanem acquieuiſſe ſane voluntati diuinæ; huic tamen pietati, adiunxiſſe illam ex modeſtia ſcitis cogitationem; præclare ſecum agi, quod Deus graue & lubricum cuncta regendi onus alienis potius, quàm ſuis humeris impoſuiſſet.* Igitur fraudi fuerit, conciſe locutum eſſe.

Arati conſilio exemploq;, non ita vtitur Grotius, quaſi ea hiſtoria præſcriptionis prorſus validæ & penitus efficaciter oppoſitæ ſpecimen haberet. Iniquum enim iudicabat Aratus, à præſentibus poſſeſſoribus priſtinos poſſeſſores (aut eorum poſteros, qui ante tyrannidem i. e. ante 50. annos tenuerant poſſeſſiones & bona) peremptoria exceptione ſeu præſcriptione ſubmoueri. ſed cum reſpectus bonæ fidei etiam in præſentes poſſeſſores quoſdam aliquid fauoris traheret, non directa iuris via, ſed tranſactionis æquitate, rem componendam, & vtriſq; ſatisfaciendum iudicauit. ſicut deſcribit *Plutarchus in Arato*, & explicat *Cicero in officiis. lib. 2. c. 23.*

Ratio potiſſima quam Aratus attendit, & Grotius laudat, eſt ea, quod præſentibus poſſeſſoribus præſcriptionis more (an & lege ciuili?) ſe tuentibus eripi poſſeſſiones, & reſtitutis exulibus reddi nequirent, ſine perturbatione reipublicæ. vnde intelligi detur, præſcriptionis fauorem in multo longiori tempore non ſine ratione gentibus placuiſſe. niſi enim præſcriptioni locus daretur, omnium inter ſe gentium crebra & inexplicabilia diſſidia imminere. Quare etiam *Ærodius* hoc lemmate propoſuit factum Arati: *Longo interuallo reſtitutione facta, poſſeſſoribus tutis præſcriptione, quid de bonis quondam eorum, qui reſtituti ſunt, obſeruari debeat.* & huc accommodauit etiam *Albericus Gentilis*. *Bodinus* ad ἀμνησίας exempla retulit, de quo alibi.

decret. lib. 1. tit. 11. d. 2.

Albericus Gentilis duas mouet dubitationes, & ſolvit hoc loco. 1. *Non valere in publicis præſcriptionem inter Principes, ſi ſubſit impedimentum.* poſſet enim Princeps aliquis dicere: cum non fuerit mihi copia iudicis, ut in priuatis diſceptationibus, ſed armorum tantum arbitrium & Mars iudex in talibus ſibi locum vindicent, an potui contra potentiorem armis diſceptare, meque & mea omnia in caſum irreuocabilem dare? Reſpondet: *primo*, ſatis rudi minerua: audendum aliquid eſſe; *deinde*, moderatius, eſſe alia remedia, quibus Principes animum retinendi iuris ſui declarent. Et huc pertinent, quæ *Grot.* §. VI. notauit. potuit enim aliquis ad arbitros prouocare, potuit ſcripto edi-

de I. B. lib. 1. c. 22.

edito ius ſuum docere; aut quocunque modo iuris ſui teſtationem edere: potuit ſibi aduerſus metum alterius potentiæ, querelis ad medios & neutrarum partium allegatis conſulere; cuius rei occaſio ſane nunquam deeſſe poteſt: quin videamus, infirmiſſimum quemque aduerſus potentiſſimos ius ſuum, apud alios, amicos aut neutro inclinatos, profiteri. 2. obiicitur apud Gentilem; quod Princeps aliquis poſſit dicere: *ſibi ſuperiorum temporum præſcriptionem & deceſſorum negligentiam non obeſſe debere ſuo iure ſcilicet, non alterius vtenti.* Hic nihil aliud reſpondet, quàm generale illud & à multis dictum: abſurdum fore, ſi negata præſcriptione æternæ lites manerent. ſed agendum eſt diſtinctius. Et de negligentia quidem punienda, ſupra dictum eſt, non id præcipue ſpectari ab iis, qui præſcriptionem, tanquam patronam pacis & tranquillitatis humanæ tuentur. Imo, quaſi per compendium, ſi quis exceptionem hanc velit repudiare, illi poſſe reponi; cur tu aut tui nullam tanto tempore idoneam voluntatis ad retinendum dominium ſignificationem edidiſtis? vobis imputate, ſi quid moleſtum eſt. ſi pœna hæc videbitur, vos eam vobis conſciuiſtis. Sed videatur adhuc manere difficultas. Declarauerint idoneis indiciis, voluntatem derelinquendi, deceſſores: videbitur ſucceſſor improbans eorum factum, non teneri: quando *regna & Principatus, non vt priuata patrimonia à deceſſorum voluntate, ſed à lege & conſuetudine in ſucceſſores*

res veniunt. De his enim nunc ſermo ſit: poſtquam ſupra conſtitit, regna quædam in patrimonio eſſe poſſe. Adhuc tamen videndum erit, verane regna ſint, an mixtæ reſpublicæ, aut præter nomen regium nil habentes. In mixtis non potuit, qui partem monarchicam ſuſtinuit, plus derelinquere, quàm habuit: multo minus aliquid ab eo derelictum videbitur, quando alienare & derelinquere aliquid etiam lege publica, aut conſuetudine nota certaque vetatur. Accedit: quod in mixto ſtatu, ex monarchia e. g. & alia forma, lege interdici poteſt, ne pars monarchica, etiam ſibi delatum ius, ſuo arbitrio transferre audeat. Atque hæc ſatis equidem certa & plana videntur; partis voluntatem, præſertim lege conſtrictam, aduerſus totum, non poſſe allegari. De regibus nomine, non re, nulla hic eſt quæſtio. De ſolis ergo regnis vere ſic nominatis ſupereſt dubitatio. Hic dicendum eſt: 1. etiam in iis quæ lege, non patrimonio ſunt delata, niſi in delatione facultas hæc fuerit diſerte reſtricta, efficaciter poſſe reges omittere dominium in partem regni, ex neceſſitate & vtilitate publica: adeoque ſucceſſores teneri acquieſcere facto ſumma ratione geſto: quod & in dubio tale præſumendum eſt. 2. Populo quidem non relinqui exceptionem aduerſus tales verorum regum actus, hinc conſtat: quod in actus Regis, qua talis, conſenſiſſe populum, ex ipſa ſocietatis ſeu ciuitatis talis conſtitutione apparet. neque adeo, vt alterius, ſed

1, 3, 8.

vt

vt eiuſdem perſonæ moralis actus tales haberi fas eſt. ſed ad ſucceſſores reges pertinet quæſtio, vt dictum eſt. Quid hi facient, 3. vbi non dubitanter (quid enim tum pro deceſſoribus obtinere debeat, dictum eſt) ſed euidenter conſtat, non fuiſſe probam & idoneam rationem derelinquendi dominii, ſed mera ignauia factam omiſſionem; & tamen tempus ad præſcribendum ſufficiens interceſſerit? Hic *primum* exiſtimo, tales caſus vix dari. Nam in tanto tempore, quis credat omnes Principes eadem ignauia egiſſe, vt quod primus male omiſiſſet, inſequentes non reuocatum cuperent: nullam denique rei male omiſſæ, atque adeo iniuriæ ſuæ teſtationem ederent? Quod ſi tamen omnino ita eueniſſet, *ſecundum* erit, vt tempus ad præſcriptionem ſufficiens definiatur. Sicuti enim ne tum quidem tranquillitas rerum humanarum, ſiue ſalus reipublicæ generis humani, patitur in infinitum vindicari, quæ male ab initio omiſſa ſunt: ita de centum annis ante dictum eſt, quod forte non in omnibus rebus & cauſſis ad præſcribendum ſufficere debeant. Quo loco, tentandum erit, ſi qui caſus ita queant deſcribi, vt pro exceptis merito habeantur conſenſu gentium, aut per idoneas rationes haberi debeant; tum, ſi qua ratio iniri poſſit ad temporis determinationem nota certiore ſignandam. Video hic tricas vix extricabiles: ſed meditationem huius diſputationis fructu non carere in hoc argumento, credere auſim. *Tertio:* quamuis quæſtio conſilii à

iure

iure ſedulo diſtinguenda eſt, iniuſtum tamen conſenſu habetur, corrigere ea, quorum correctio plus in rempublicam damni infert, quàm remedii; ſiue ad quæ mutanda, ſine ſummo rerum omnium diſcrimine, via non patet. Qui enim rempublicam hoc modo in caſum dant, non imprudentes modo, ſed iniqui, habentur. Quamquam hæc, vt in ciuilibus pleraque, non ſimplices aut faciles ſæpe habent explicatus, vt diſcriminis & commodorum proba ineatur æſtimatio.

Expoſitis coniecturis naturalibus, & remotis quæ obſtabant, præſcriptionem ad ius gentium voluntarium §. IX. ita refert, vt ob præſumptionem æquitatis naturalis, ex iure naturæ reuera ſurgere, & ad id referri; aperta autem & legis auctoritatem habente formula, iuri gentium tribui intelligatur. Quo loco non poſſum diſſimulare, me de receptiſſima quidem, ſed non ſatis accurata loquendi conſuetudine, qua aliquid *& iuris naturæ & iuris gentium voluntarii* dicitur, non adeo magnificè ſentire. ſi præſertim illam philoſophiam ſequimur, quæ *lib.* I. & *in prolegomenis* eſt ſignata: vt *iuris naturæ* dicatur, quod ex certis principiis certa argumentatione deduci poteſt; *iuris gentium*, quod ita deduci non poteſt, & tamen vbique obſeruatur. Vt hæc *ἀντιδιῃρημένως* ſe habeant, *ἐκ παραλλήλου* dici non debent. Ad euitandos igitur abuſus, & loquendi licentiam, I. ponendum fuerit: id quod iuris naturæ eſt, non poſſe dici etiam iuris gentium, niſi ius gen-

gentium aliquid addat, quod modo iam indicato, cum res in terminis iuris naturalis adſtrictius coërcetur, deduci non poteſt. Vt, ſi quis dicat; vſucapionem eſſe iuris naturalis, non modo quod naturæ non repugnet, ſed quod fundamenta, quibus nititur, ſint dictamina æquitatis naturalis; de re derelicta, de voluntate idoneis ſignis declarata, de ſocietate non perturbanda: eſſe autem iuris gentium, ratione definiti certo modo temporis; ſiue quid aliud acceſſit, in definienda ratione poſſeſſionis perpetuæ, quod à voluntate gentium pendere intelligeretur. Quare Grotius hic, vbi de iure gentium pronuntiat, tam ſignate ponit, *poſſeſſionem quæ memoriam excedit, non interruptã, nec prouocatione ad arbitrum interpellatam*, tanquam lege gentium ad transferendum dominium idoneam. Ita Cicero, *ius ciuile*, quod in prædiis malitiam fraudemque vindicat, *ductam à natura* pronuntiat. Sane malitiam fraudemque vitari in omni vitæ commercio, natura iubet. eſtque adeo hoc iuris naturalis, vbicunque præcipitur ac ſancitur. ſed ius ciuile addit, quomodo hoc dictatum naturæ, hic & iſtic, in his illisue negotiis, pro conditione reipublicæ & temporis in rem præſentem transferri debeat: oſtendit, quæ genera malitiæ & fraudis ſint habenda, & quomodo vindicanda. Ita fit vt ius ciuile à natura ducatur. 2. ſunt qui putant, quicquid eſt iuris naturæ, recte etiam iuris gentium dici: eo quod ius naturale ſpectet naturam rationalem in ſe con-

3. *offic.* 17.

conſideratam; ius gentium eandem, in ciuili ſocietate ſeu republica conſtitutam. ſed hæc conſuetudo loquendi ad ὑπόθεσιν operis Grotiani parum eſt idonea. 3. Solent etiam in vulgari illa formula, *hoc eſt iuris naturæ & gentiũ*, ita verſari, vt *vel* iuri gentium ius naturæ vt fundamentum ſubſternere; *vel* iuri naturæ ius gentium vt complementum addere velint. Id quod nec ſemper, nec eodem modo, & paribus momentis, fieri poſſe aduertet, qui rem altius putauerit. Ne dicam de ἀκειβολογίᾳ, quam ſupra tetigimus. 4. Quare nec illius conſuetudinis hic vſus aut reſpectus eſſe poteſt, cum ius gentium pro iure naturæ ſumitur, ſiue cum eo permutatur, aut ius ciuile quodpiam ſignat. 5. Rectius itaque fortaſſe ita ageretur: *Hoc eſt iuris naturæ, quod gentes ex naturæ dictatu agnoſcunt: hoc eſt iuris gentium, quod vtilitatum ſuarum reſpectu conſenſus gentium libere conſtituit: hoc ius gentium, naturam non habet repugnantem, à iure naturæ longius propius abeſt* (ſunt enim non vnius generis, vt alibi explicatur, quæ iuris gentium dicuntur) *huic iuri naturæ, gentium ius ſuperaddit hoc aut illud: hoc ius naturæ, gentes ita interpretantur: hoc ius gentium originem trahit ex his illisue rationibus iuris naturalis: in hoc iure partem natura, partem voluntas gentium conſtituit.* &, ſi quæ confuſioni vitandæ aptiora occurrent.

Et, quandoquidem hic de poſſeſſione non interrupta agitur, videndi ſunt *Doctores* & *Moraliſtæ*, de modis interrumpendæ præſcriptionis.

Inter-

Interrumpitur enim præſcriptio vel *naturaliter*, ob ceſſationem tituli, aut poſſeſſionis ciuilis: vel *ciuiliter* per actum iuridicum. quod fuſe explicat *Cardinalis de Lugo*. Nobilia ſunt *tom.1.diſp.* exempla talium diſputationum apud *Liuium*, *7.ſect.8.* quæ hic laudantur: vbi Sulpitii quidem actio *n.150. &c.* (35, 16.) robuſtior eſt: Maſaniſſæ autem rationibus (34,61.) valida ſunt,quæ opponi poſſunt. Ex ſuperioris ſæculi hiſtoria huc repeti poteſt, illuſtris controuerſia de poſſeſſione Friſiæ, quam non interruptam docere contendebat Carolus Auſtriacus, poſtea Imperator: interruptam vero demonſtratum ibat Carolus Gel- *1517.* drus apud I. *Iſacium Pontanum*. Inter alia ibi le- *Hiſt. Gelr.* gas: *quid ad rem, quid hiſtoriæ produnt, Hollan- lib. 11. p.* *diæ Comites Friſiam ſæpe inuaſiſſe, interdum et- 672, &c.* *iam ſecundante fortuna, partes aliquas parere ſibi coëgiſſe? itaq; nihil differunt ius aliquod habeas, an ius opprimas? ex conſenſu hominibus imperes, an inuitis domineris? tranquille poſſideas, an poſſeſſionis cauſa oppugneris? Nam quis adeo omnium Comitum Hollandiæ totam poſſedit Friſiam? quis ſine armis & vi quicquam omnino eius tenuit? quis aliquid trans Fleuum poteſtatis ſuæ fecit, quod non aut ipſe aut ſucceſſor eius rurſum amiſerit? Negare præterea quiſquamne queat, totos proximos annos centum omnia inter Fleuum & Amaſum ſine Principe ac Domino fuiſſe, libertatemq; illibatam tenuiſſe?*

A §. X. ſequuntur quæſtiones, de nonnullis ad præſcriptionem pertinentibus capitibus. Ac de *iure* quidem, *nondum natis per derelictionem*

 maio-

maiorum decedente, diſtinctè videndũ eſt. Aliter enim facto parentum & maiorum intelligitur nondum-natis aliquid decedere extra quæſtionem præſcriptionis; aliter res conſideranda venit in præſcriptione. Ibi enim obuia eſt & vtilis diſtinctio eorum, qui nondum quidem nati ſunt, exiſtunt tamen in rerum natura (ſicut poſthumus nondum natus, in rebus ei vtilibus pro nato haberi poteſt, & infans qui in vtero eſt, perinde ac ſi in rebus humanis eſſet cuſtoditur, quotiens de commodis ipſius partus quæritur) & eorum, qui nec concepti ſunt, in ſpe tamen propinqua, vt generari ex certa perſona poſſint, conſiderantur. Quæ diſtinctio in quæſtione præſcriptionis locum non inuenit. Agitur enim hic non de aliis naſcituris, quam qui poſt longiſſimum tempus ex poſteris naſci poſſunt. At, quomodo extra præſcriptionem locum inueniat iſta conſideratio, in Maioratibus, illuſtre exemplum habes apud *Ludouicum Molinam*, qui *diſputatione* 634. quærit: *Maioratus eſſe ne poſſit in pendenti, aut non, ſed ab vltimo poſſeſſore tranſeat irreuocabiliter ad proxime vocatum ex exiſtentib⁹, etiamſi poſtea naſcatur alius proximius vocatus.* vbi ex alt.
n. 2. *Molina de primogen. lib.* 3. *c.* 10. *n.* 1. obſeruat: *hanc quæſtionem non excitari de eis immediatius vocatis, qui tempore mortis vltimi poſſeſſoris, aut delati maioratus, erant iam concepti, licet nondum eſſent nati: qui enim concepti iam erant, pro natis, ad effectum vt ad eos maioratus ſpectet, ceteriſq; poſterius vocatis præferantur, reputantur: filii quip-*

quippe ſtatus attenditur, vel penes tempus conceptionis, vel penes tempus natiuitatis &c. ſed talem ſcilicet caſum ſpectari, cum tempore transeuntis Maioratus, vnus ex tunc exiſtentibus immediate ſit vocatus, & poſtea concipiatur & naſcatur aliquis, immediatius poſt vltimum poſſeſſorem vocatus.

De *nondum natis, quoad totum populum*, itidem ratione carere arbitror, ſi quæratur. Fingamus enim caſum, ſi populus dicat: ego video, ante centum amplius annos, ante ducentos, maiores noſtros omiſiſſe & derelictui habuiſſe per ignauiam aut imprudentiam, ea, quæ nec omitti nec derelinqui, idonea ratio erat. iisne carebimus, quæ male conſulti maiores temere omiſerunt? Manifeſtum eſt, hoc loco non quæri, de pactis maiorum (ea enim alterius loci quæſtio eſt) ſed de præſumta voluntate derelinquendi. Multa ſane hic petitoribus obſtabunt. *Primo* enim non parentes tantum accuſabunt (quod & ipſum graue eſt) ſed auos, & abavos. *Deinde*, infortunium potius ſuum, quàm eos, qui præſcripſerunt, criminari poterunt. poſtquam præſertim (*tertio*) malæ fidei quæſtio ipſo temporis tractu ſublata cenſetur. Quam ſi tolli non poſſe, velis credere, *quarto* Chriſtiana tamen diſciplina monebit, ne Deo mutanti ſtatum populorum, per inania & quæſita ex antiquo vocabula, contendas obluctari. Quid ſi occaſio, vetera recuperandi offeratur? *quintum* hoc eſt, quod moneri oportet. lubricū eſt *occaſionis* nomen. occaſio ſine titulo iuris, non exaudiri debet apud bonos & prudentes.

nemo eſt ſubiectorum populorum, quin aliquando poſſit ſpeculari occaſionem rebellandi, legitimum imperium exuendi, res nouas moliendi. nam de occaſionis definitione (ad quæſtionem ſcilicet conſilii pertinente) nihil dicam. Quin potius, *ſexto*, vna voce præcidam; fieri non poſſe, vt populus hoc prætexto, ſalua veritate, vtatur. An tanto tempore, nihil interuenerit pactionum, tranſactionum, aliarum denique actionum, quibus populi ſtatus à maioribus acceptus, in præiudicatum iuerit? quod vbi factum eſt, ceſſabit de præſcriptione quæſtio, ſi accurati eſſe velimus. Hæc de populo, vt populo, loquimur.

Cuius aliam conſiderationem caſus à Grotio, non ſatis forſitan perſpicue, propoſitus ſuppeditat. Ait: *ſi populus, à cuius voluntate ius regnandi proficiſcitur, voluntatem mutet, iis qui nondum nati ſunt, vt quibus ius quæſitum nondum eſt, nullam facit iniuriam. ſicut autem populus expreſſe mutare voluntatem poteſt, ita & tacite creditur mutaſſe.* Populus *à cuius voluntate ius regnandi proficiſcitur*, non eſt omnis populus. bello enim ſubactis non poterit idem iuris eſſe, in conferendo iure regnandi. *Populus ſi voluntatem mutat*; quando & vbi & quomodo? non poteſt aliud exemplum, quàm regni, quod populus certæ familiæ ſub lege ſucceſſionis detulit, intelligi. in electione enim de iniuria nondum natorum quæri nequit. Ergo, ſi ſequentia addimus, caſus integre propoſitus hic eſt: ſi in regno ſucceſſione deferri ſolito, non exiſteret, qui ſuccedere poſſet, & paren-

parentes (vt hic loquitur) ex quibus ius ad ſucceſſionem habituri, naſci poſſent, hoc ius in expectatione poſitum derelinquerent, ibi tum, ſi alius derelictum ius occuparet,& imperium in aliam familiam, aut ejusdem familiæ alium gradum inferret, neque populus obſiſteret, ex præſumta populi voluntate præſcribere, qui occupauit, poſſet. Exemplum hiſtoricum huius caſus affertur in *Annotatis* de Ludouico IX. Gall. R. qui deſponſando filiam, Alphonſi Regis Caſtellæ filio, dimiſiſſe ſiue abdicaſſe videbatur pro ſe & liberis ius quod in Caſtellam, matris Blancæ nomine prætendere poterat. Sed in hoc exemplo,ex parte Regis Galliæ, non tam eſt tacita derelictio, quàm pactio. vt de occupatione forſitan iuris derelicti fruſtra ſuſcipiatur ſermo. Iam de populi voluntate quoq; dubitari poteſt, an ei ſuperfuerit in hoc negotio facultas nominandi aut optandi regis. Multæ enim ſolent mutationes in his talibus interuenire.

Addit *Grotius:* aduerſùs dictamen iuris naturalis, iure ciuili introduci poſſe fictionem, qua vetetur occupatio aduerſus nondum natos. Vt ſi lege regni alicuius dictum ſit: non debere regnum ad aliam familiam tranſire, donec in regia familia ſint, qui ſuccedere poſſint: vſu autem veniat,vt rex improlis ſit; neq; habeat conſanguineos, non debebit decerni ſucceſſio alii vel familiæ, vel homini, donec ſpes conſequendæ prolis ſupereſt, niſi quod, ſub conditione ſtatui poſſet, ſi improlis

decedat rex, tum, nec aliter, illum aut iſtum fore ſucceſſorem. Hactenus enim priuata vtilitas familiæ, cui fauet lex, publicæ vtilitati innexa eſt.

Ex diuerſo exempla iuris lege ciuili introducti, quod vno actu alienabile non ſit, certi tamen temporis lapſu amitti queat, ponuntur Feuda, Maioratus, & res fideicommiſſo obnoxiæ. De *Maioratu* vnus inſtar omnium eſſe poteſt *Lud. Molina, quinq; & octoginta diſputationibus* hoc argumentum perſecutus. Querelam aduerſus maioratus, moribus legibusque Hiſpanicis receptos, habes apud *Fernandum Vaſquium*. C. I. 1, 8, 8. & 9.

§. XI. Producitur philoſophia de vſucapione, ad *acquirendum imperium ſiue ſummam poteſtatem, eiusue partem; tum inter diuerſas reſpublicas, tum in eadem republica.* De priori genere crebræ & notæ controuerſiæ; ſubiicieturque aliquid de exemplis ſub finem capitis. Poſterius genus, non minimas habet in definiendo difficultates. Pone exemplum reipublicæ ſeu populi libertatem amantis & magni elatique animi, ibi imperium ab initio per plura ſæcula reges, vere ſic dicti, obtinuerint, euenerit autem, vt facilius ſe & quietius ſecuriusq; imperare crediderint, ſi de iure regio aliquid remitterent, populique aut optimatium iuri adiicerent, ſiue, quam ſoli tenuerunt poteſtatem partirentur, conſilio & ſenſu Theopompi ſcilicet vtendo in inſtituendis Ephoris, de quo 5. polit. 11. *Ariſtoteles*. Non ſtatim iſta perſcribuntur legi-

legibus, formulis, conuentionibus. id enim ſi fieret, nullus quæſtioni de longinquitate temporis locus eſſet relictus. primum aliquem talis conſilii (nec publice demonſtrati, ſed domi deliberati) auctorem ſequitur ſucceſſor; hunc item alii: quin & non imitari tantum primum exemplum ſed ſuperare & augere aliqui ſtudent; ita poſſet fieri, vt ex imperio ſimplici euaſerit mixtum, & diu perdurauerit. imo poſſet fieri, ut mixtura inualeſcente, admiſſi in partem ſummæ poteſtatis, pleraq; ſibi trahant, teneantque; imagine tantum poteſtatis, ſiue etiam auctoritate loco poteſtatis apud vnum relicta. Ex diuerſo: fuerit aliquis princeps loco & auctoritate in republica, non poteſtate: in regimine ſcilicet polyarchico: aut tenuerit dictaturam militarem. traxerit autem in ſe paulatim ſummæ poteſtatis pleraque, & in ſucceſſores tranſmiſerit; qui & ipſi longo tempore inualuerint. Hic tacitum conſenſum præſumi, atque adeo opinionem iuris gigni, rationis eſt. Quare, cum tandem, res in legem ſcriptam per modum conuentionis redigitur, videmus laudari conſuetudinem antiquam & perpetuam, & iuris elogiis varie honeſtari. In hac diſputatione, quæ difficulter ad liquidum perducuntur, iſta ſunt: *an ſine contradictionibus & contentionibus, res geſta ſit: an, etiam exortis certaminib⁹, conſenſio tamen ſemper eodem modo & in eundem finem terminata, curſum vſucapiendi non impediuerit: an conſenſio tacita pro abſoluta haberi debeat, aut ſubaudita conditione, ſi pars*

 qua

quæ plus accepit, in moderato & conſueto ſui iuris vſu permanſerit.

Diſtinctio *ciuilis & herilis imperii*, in hac diſputatione, quantum ad acquiſitionem eiusque effectus, parum loci habet. imperia enim non minus quàm dominia acquiruntur, & amittuntur.

In *nupera controuerſia Anglicana*, tyranni inſeſſores regni negabant, Regibus Angliæ vnquàm ius regium plenum fuiſſe. contra quos, etiam ſi alia argumenta tanto numero non adeſſent, etiam ſi oſtendi poſſet, aliam antiquitus formam obtinuiſſe; valide tamen defendi poterat; iam à tempore memoriam excedente, ab aliquot ſæculis, Reges Angliæ liberam & abſolutam poteſtatem tenuiſſe.

Sed *quanto tempore hic opus ſit*, non ſatis expeditum eſt. Sicuti enim, vbi tempus, quale dictum eſt, decucurrit, vix dubitabilis videtur veritas: ita an de iure ſuo ante tale tempus, in his caſibus nemo poſſit certus eſſe (quemadmodum *Bodinus*, non recte, opinor, ſtatuit; tyrannidem ante centum annos in iuſtum Principatum migrare non poſſe) non omnes eadem dicunt. Ex vna parte, reipublicæ videtur ſumme periculoſum, ſi ius ſummæ poteſtatis tam diu ſit in incerto: ex altera, rebus nouis opportunum haberi poteſt, ſi tempus modicum ſufficere ad mutationem eiuſcemodi credatur, qua ſumma poteſtas aut eius pars ab his ad illos migrat. Licet enim coniecturæ ſupplere videantur, quod tempori deeſt; dubi-

dubitari tamen queat, an conieᶜturis robur augeri aut minui interpretando, ſatius ſit. Fauet conieᶜturis in ſimili negotio *Grotius* §. *ſequente*. Cumque in mixto ſtatu, multa huius generis eueniant, an in quæſtione temporis dicendum eſt, quod in re alia dixit *Grotius: vbi eadem ſit vtilitas communis corporis & partis* (ſicuti, cum reſpublica niſi ſub imperio vnius, aut alia mutatione, non poteſt ſalua eſſe) *facile etiam ex ſilentio non longi temporis, conſenſum & populi & partis interueniſſe videri: præſertim ſi neceſſitas appareat?* An dicendum; quod in mutatione reipublicæ, tempore non longo, cum maximo tamen effectu mutationis eueniſſe cernitur, iuris titulo, ob perturbatum reip. ſtatum, venditari; aut temporis præſertim allegatione demonſtrari non poſſe; ſed aliis de voluntate & conſenſu præſumtionibus niti? ſicut §. 14. diſputatur. ſed nimirum ſupra dictum eſt, non eſſe nudam temporis conſiderationem in hoc negotio & in tempore non longo, intra limites abnutiuos ita inceditur: ſi coniecturarum ſatis eſt, non obſtat temporis, cum immenſo comparati, anguſtum ſpatium. Ita frequentia actuum in tempore non longo, videtur ſupplere maiorem temporis modum, in quo rariores actus. 2, 6, 8.

In mixto Reipublicæ Romanæ ſtatu, modo pars Ariſtocratica, modo pars Democratica, ita præualuit, vt alterius iura ad ſe traheret. omnia obtentu iuris agebantur, & conuentionum vel expreſſarum vel tacitarum. Ingens rei non per-

perſpicuæ documentum, quod viri doctiſſimi vix audent pronuntiare, aut diuerſum ſentiunt de Rep. Romana illis temporibus: aliis, Ariſtocratiam, aliis Democratiam appellantibus.

§. XII. transfertur hæc quæſtio ad leges ciuiles de præſcriptione. præcedentis enim paragraphi parte poſteriore quæſitum eſt, quid de ſumma poteſtate eiusue partibus acquirendis vel amittendis fieri poſſit vſucapiendo & præſcribendo, ſecundum iura gentium, & coniecturas naturales. Nunc §. XII. & XIII. an in eodem genere ius ciuile locum habeat, exponitur. Nam leges ciuiles potiſſimum reſpiciunt, qui quærunt: *an iura maieſtatis præſcribi poſſint.* ſicut ex ipſa eorum diſputatione apparet: quam ingenti numero Doctorum negantium & affirmantium conſerit *Arniſæus.* Et *Vaſquius* cum diuerſas Doctorum ſententias retuliſſet, addit: ſententiam quæ ſtatuit præſcribi poſſe ius ſuperioritatis aduerſus Principem, eſſe *de iure communi Romanorum veriorem.* nimisq; inhæret iuris ciuilis veſtigiis *Leſſius*, cum ait, *exemtionem & libertatem à ſubdito contra Principem præſcribit cum titulo* 40. *annis; ſine titulo, tempore immemorabili.* Et *Ludou. Molin.* totam hanc quæſtionem, veluti ex neceſſitate ad legem ciuilem adſtringit. niſi quod, ob nodos & difficultates quasdam, adiguntur ad extremum, ius gentium reſpicere: ita vt dicant, affirmantes præſcriptionem, niti non præſcriptione ciuili, ſed ea quæ eſt iuris gen-

de Iur. Mai. lib. 2. c. 2. §. 5.

C. l. 1, 2, 14.

lib. 2. c. 6. dub. 12.

diſp. 74.

gentium. Vnde etiam in *Schützìano opere Iuris publici* (in quo multa accuratius ſolito examinantur) ad ius gentium revocatur diſputatio. *Vol. 1. diſp. 3. th. 31. lit. b.* Præfertur ſic quoq; ibi negatiua: ob rationem deniq; adiectam. cuius grauiſſimum momentum eſſe poſtea dicemus. ſed res explicari tamen poterit, etiamſi fateamur: gentibus pleriſque Europæis placuiſſe, vt præſcriptioni hic quoque locus eſſet; conſideratis, quæ ante diximus. Neq; enim crude hic verſandum eſt. Sed Grotius nunc loquitur de lege ciuili, qua ſe ipſum obligare, nemo recte dicitur: quod infra repetitur II, 20, 24. nam ſimilitudo à *votis* petita parum hic quadrat: illa enim obligatio ad Deum refertur. ſicut etiam iuſiurandum, quod ſibi quis iuraſſe dicitur, accurate loquendo eodem pertinet. Quod addit Grotius, *tempus lege definitum non ſufficere ad acquirendum ſummum imperium aut partem eius:* intellige, *propter definitionem legis.* id eſt, non ſufficit in hac cauſa, quia lex ciuilis dixit. nam tempus *coniecturis naturalibus* inſtructum, de quibus mox ſequitur, iam aliam ſubit æſtimationem. poſſuntq; coniecturæ naturales interdum eiusmodi eſſe, vt temporis ratio non in primis habeatur. Neque vlla obſcuritas coniecturarum, locum inuenit. neque enim, vt rebellibus aut defectoribus patrocinia parentur, ſed vt tranquillitati humanæ conſultum eatur, in quantum per bonas rationes naturalis æquitatis fieri poteſt, hæc eſt diſputatio inſtituta.

§. XIII.

§. XIII. Diſtinguuntur *ea, quæ ſunt de natura ſummi imperii*, partes neceſſariæ (vt §. *praced.* vocat) iura maieſtatis, *proprietates naturales*; ab *iis, quæ ſeparari poſſunt naturaliter* (ſalua ſcilicet manente natura & integritate ſummæ poteſtatis) *aut ſaltem cum aliis communicari.* In priori genere, non eſſe locum legibus de præſcriptione ciuilibus, dictum eſt. in poſterioribꝰ eſſe, ait. Vnum ponit exemplum, de non appellando: ſed adiecta ἐπιπλήξει & correctione neceſſaria. de qua re diximus in *Diſſertatione de iudiciis.* Exempla plura habes apud *Arniſæum* (hac hypotheſi ſcilicet, vt quæ communicari in talibus queant, etiam præſcribi poſſe, intelligas) & *Scholaſticos*: vbi in primis quæſtio *de Tributis, de bonis Principis, de bonis Coronæ.* Videantur *Leſſius, Molina, de Lugo.* & *alii.*

de I. M. 2, 2, à n. 7. ad fin.

In hac diſputatione voces *communicandi*, & *iurium maieſtatis*, ſatis confuſe vſurpari videas. *Iura maieſtatis non poſſe communicari*, imo ne vnum quidem poſſe communicari, vt maneat prior forma reipublicæ & ſimplex ſtatus; certum eſt. vt haud dubie indoctiſſime agant, qui dicunt: maieſtatem non communicari poſſe; ſed iura maieſtatis communicari poſſe, ſalua & integra manente maieſtate. id quod alibi oſtendimus. Igitur, ſi voce *communicandi* ſtricte & accurate vellemus vti, in priuilegiis conceſſis non communicat maieſtas (niſi latiore ſignificatu) quæ ſua & propria ſunt; ſed ſua & propria exercet per eum, cui priuilegium dedit. Habeat Comes Palatinus poteſtatem priui-

priuilegio acceptam, creandi poëtas, magiſtros, licentiatos. conſtet autem eum aſinos & prorſus indignos his titulis ornaſſe. an nullum erit Principis conceſſoris in hoc arbitrium? tam illud quidem potens & efficax eſt, vt Princeps poſſit reuocare & abolere illos in tam indignis hominibus titulos: & in ipſum creatorem aſinorum hunc priuilegii abuſum vindicare. Nimirum cum priuilegia concedere, ſit pars iuris maieſtatici (vt vocant) nomothetici, non abdicaſſe cenſetur hoc ius, qui in nonnullis per alium exercet.

§. XIV. Ex iis, quæ ſupra dicta ſunt, fluit definitio quæſtionis, de perpetua vindicandi ſe in libertatem vi erreptam poteſtate: quam inter colores & prætextus armorum ſæpe iactari videas. notæ ſunt diſputationes apud *Tacitum* Arminii & Segeſtis 1. A. 58. & 59. tum Tencterorum & Agrippinenſium 4. Hiſt. 64. & 65. cum ἐπιεικείᾳ c. 74. Supple hanc philoſophiam ex Grotio *infra* II, 22, 11. & *ſupra* 1, 3, 8. I, 4, 15. & 16. Ceterum inſtitutam hanc contra Vaſquium diſputationem proſequitur doctiſſimus *Conringius in opere de Finibus c. 19. p. 367. &c.*

Quod in fine §. dicitur, de præſumpta imperii derelictione, *primo* inter ea eſt, quæ vix accidere poſſe videntur; vt Princeps plane quaſi exire de imperio, omniaque iura poteſtatis tranſmittere velit. Futurum enim videtur, vt, ſi ipſe obliuiſcatur ſe Principem eſſe, alii tamen meminiſſent. *Deinde*, ſi omnino eueniret talis caſus, patientia vnius Principis non ſtatim extingueret ius totius Familiæ. Ad

Ad extremum §. XV. ait: ea quæ meræ facultatis ſunt, vt iure ciuili præſcriptioni non ſint obnoxia (quæ tamen regula limitatione reſtringitur. *v. Theſ. Loc. commun. Iuriſpr. Tabor. cap. 64. axiom.* 12.) ita etiam iure gentium non præſcribi. Exempla memorabilia petes ex
p. 174. & 175. *Alberici Gentilis de I. B. lib. 1. cap. 22.* Vnde etiam patet, hanc quæſtionem e. g. de luitione pignoris, non eſſe indubitabilem.

Subiiciemus nunc in materia tam nobili, vnum & alterum exemplum diſputationis ad Imperium noſtrum pertinentis. Statim enim plerique, in hoc argumento, ad eas prouincias & principatus, quibus detractis Imperium ſubinde imminutum eſt, oculos adiecerunt. Et ſicut *Leſſius* aliique, in fauorem exemtorum proniores, quicquid ius ciuile præſcribentibus concedit, vltro largiri inſtituerunt (cum tamen meminiſſe deberent, rem bello amiſſam bello repetere eſſe rem meræ facultatis, cuius præſcriptioni iura ciuilia, vt modo dictum eſt, non abunde fauent) dum modo Eccleſiaſticam Pontificis potentiam exciperent: ita pro bonis ciuibus feciſſe credendi ſunt, qui opertis oculis condonanda Imperii decora non exiſti-
de cauſſ. exemt. concl. 7. colleg. I. P. vol. 1. diſp. 3. th. 31. marunt, & in alteram ſe partem tranſtulerunt. Inter quos *Zachariæ Vietoris*, & *Iuſti Sinolt Schützii* honorifica facienda eſt mentio. Sed quia hic quoq; non ſufficere credebatur, generalibus niti, & auctoritatem potius, quàm rationem in conſilio habere, data eſt occaſio
in opere de Fin. Imp. doctiſſimo *Conringio*, paulo diligentius ingrediendi

diendi penetralia argumenti, & ad exempla ſingularia ſtudioſius deſcendendi. Nos,vt dixi vnum tantum & alterum exemplum proponemus, non definiendi animo, ſed vt ad definiendum alii incitentur.

Celebris eſt quæſtio de *Pruſſia* ab Imperio auulſa, & ad Polonos translata. In qua & plurima alia concurrunt, & præſcriptionis titulus venditatur. de quo ſolo agere animus eſt. Nam altera quæſtio, an Pruſſi ſe potuerint, euitandæ tyrannidis cauſſa,Polonis tradere, absque conſenſu Imperii, pertinet ad ea, quæ *infra* II,6,5. diſputantur. Sintque per nos iura cetera nunc ſuo loco relicta. Præſcriptioni autem locum non eſſe,ex dicendis conſtare poterit. Facta eſt illa ſeceſſio anno 1454. Non opus eſt nobis de interiectis annis multa diſſerere. Quàm non habuerit Germania animum dimittendi huius membri Imperii, declarant comitia Auguſtana anni 1500. in quorum *Receſſu* (*art.* 40.) *primo* animaduertitur, tum demum Polonos, protectionis titulo (is enim color valde lenibus conditionibus ab initio eſt adornatus) ad vlteriora vti voluiſſe, & *iusiurandum exigere tentaſſe,quod Imperii Germanici iuribus præiudicaret* : *deinde*,teſtationem diſertis verbis factã eſſe,*Ordinem illum pro Germanica natione inſtitutum eſſe,& ad neminem alium,quam ad S.Imperium Rom, pertinere. tertio*, viam & rationem iuris gentium obſeruatam eſſe, allegata *admonitione* ad Regem Poloniæ, & oblata *indicii* copia. Anno 1507. in Comitiis Conſtantienſibus Fride-

v. Alex. Gagu. de ſcr. Polon. tom. 1. rer. Polon. p. 59.

Fridericus Pruſſiæ Magiſter per legatos expoſuit, quo in periculo Prouincia Imperii verſaretur. Igitur 1510. Poſnaniæ legati Cæſaris Maximiliani & Imperii comparuerunt, cum Poloniæ & Hungariæ legatis & magiſtris Pruſſiæ ac Teutonici Ordinis. Ibi petitum eſt, vt Pruſſia tota, & Pomeraniæ pars, à Caſimiro Poloniæ Rege ante 50. annos ablata, Ordini reſtitueretur, & iuramentum fidelitatis, & militiæ onera remitterentur. Polonis contra cauſſantibus, ſe Pruſſiam partim ſponte deditam, partim armis occupatam ac defenſam, iure optimo tenere, & iuſiurandum fidelitatis & ſubiectionis ex fœdere (1466. inito) exigere. Et tum quidem re infecta diſceſſum eſt. Poſt Fridericum anno 1511. electus Teutonici Ordinis Magiſter Albertus Brandenburgicus, fidem iuratam Polono poſtulanti dare recuſauit, Polonorumque armis per diuerſa terrarum diſtractis, Pruſſiæ ſuæ per ſex annos quieta poſſeſſione gauiſus eſt. Manauit ſane fama, Maximilianum Cæſarem in Regio illo concilio 1515. Sigiſmundo Poloniæ Regi promiſiſſe, ſe Teutonici Ordinis Magiſtrum deſerturum, ſi fidem iurare Polono nollet. ſed, etiamſi talis conuentio priuatim facta eſſet, iuri totius Imperii nihil decederet. Vnde Poloni ipſi apud *Sleidanum*, eam conuentionem ad Domum Auſtriacam; ex peculiaribus cauſis, non ad Imperium referunt. Et Albertus conſtanter, mandata Imperii & Pontificis aſſeuerauit, ne fidem iuraret Polonis, Germanicæque nobilitatis, & mul-

Chytræ. chron. lib. 6. p. 169.

Cromer. l. 26. Chytr. p. 176.

Id. p. 185. Io. Lud. Dec. tom. 2. rer. Polon. p. 329.

lib. 20. pr.

multorum Principum auxiliis promiſſis nitebatur, vsque ad tempus illati à Polonis belli anno 1520. Et de Maximiliani alia voluntate poſtea *Chytr.* 1548. conſtare dixit Magiſter Pr. Interea indu- *p. 211.* ciis interpoſitis, rem trahi neque per arbitros componi, Polonis conducibile viſum eſt. Ivit tamen ipſe Albertus, & in Comitiis Nori- *Id. p. 213.* bergenſibus (vbi & inter Principes Imperii locum ſuum tenuiſſe dicitur apud *Sleidanum*) cauſſam Ordinis, Imperii Ordinibus commendauit. Et continebatur Capitulatione Imperatoris Caroli V. vt auulſa reuocarentur ad *Artic. 9.* Imperium. Sed abſentia Cæſaris, bella inteſtina & ſeditiones Germaniæ non permiſerunt, vt aliter, quàm legationibus, apud Polonos de *Sleidan.* induciis prorogandis, quamquam fruſtra *lib. 5. fin.* ageretur. ita Albertus tandem, imparem ſe cernens, Pruſſiam à Polono Feudi nomine accepit, & Dux Pruſſiæ factus eſt ex Magiſtro. *Chytr. l. 11.* Acta ipſa & formulas *Prilusius* exhibet in *rebus* *tom. 1.* *Polonicis*. Cum hæc 1525. acta eſſent, Ordo re- *p. 224. &c.* clamauit, & Waltherum Cronbergium elegit Magiſtrum, cuius interpellatione Cæſar Carolus commotus, tranſactionem illam, velut in detrimentum Imperii factam reſcidit, & nullius eſſe momenti d. 14. Nouembris 1530. pronun- *Sleid. l. 7.* tiauit. Cum autem Albertus in propoſito maneret, proſcriptus fuit à Camera, ſolicitante Walthero Cronbergo, qui aduerſus Legatum Poloniæ iterum ſubinde in Comitiis Ratisb. *Id. lib. 8.* ius Ordinis & Imperii defendit. Cumque Polo- *an. 1532.* nus crebris interpellationibus nihil impetraret

addeFrãc. Mennen. delic. equ. ord. de abolenda proſcriptione, in Comitiis Auguſtanis 1548. iterum inter Polonos & Wolfgangum Magiſtrum Ordinis diſceptata quæſtio eſt. & delecti, qui cognoſcerent, cenſuerunt: ſententiam in Albertum pronuntiatam eſſe tuendam: ſed tamen, quoniam executionis permagnam eſſe difficultatem videbant, ad Cæſarem omnia reiecerunt. Extat *lib. 20.* apud *Sleidanum* tota ab ouo repetita controuerſia. Et poſt hæc, licet maximis impedimentis interuenientibus, non ſequentes tantum Cæſares, in hunc diem recuperanda, quæ Imperio ſubtracta erant, ſuam operam obligarunt, ſed Comitialibus ea de re deliberationibus actum eſt. Vid. *Receſſ. Auguſt.* 1566. *artic.* 125. & 126. *tum Spirenſ.* 1570. *art.* 105. 106. 107. *Auguſtan.* 1582. *artic.* 46. *Ratisbon.* 1603. *artic.* 28.

Ex hac ipſa narratione poteſt intelligi animum recuperandi non ita eſſe amiſſum, vt præſcriptioni locus detur. Edita eſt ſæpius ab Imperio Rom. teſtatio, vt vidimus, ſui iuris: quod, etiamſi illis variis modis factum non eſſet, inſignis tamen vis eſt in Capitulationibus Cæſareis, quibus ſemper inſeritur ſtudium & propoſitum recuperandi, quæ imperio decerpta ſunt. Quæ vtique Cæſaris & totius Imperii vox eſt; prorſus idonea ad ſupplendas cotidianas & anniuerſarias repetitiones & legationes. Quæ nec requiruntur ad præuertendam ac interpellandam præſcriptionem: &, vt mores ſæculi ſunt, ſpernuntur à poſſeſſoribus,

qui

qui neminem niſi Martem audiendum cenſent. Quamuis igitur tempora & ſecuritas Imperii ſæpe diu non ferant arma ſumi ad repetenda ablata; Capitulatio tamen vltro interpellat pro Imperio. Certe ad præſcriptionem, viam intercludit. de qua ſola nunc nobis ſermo eſt. An enim conſenſus aliunde coniectari aut demonſtrari queat, alterius diſputationis eſt. Et, an licuerit Prutenis ſe ſubtrahere Cruciferis, an ſe ſubtraxerint, an ipſi Cruciferi ſe potuerint ab Imperio auellere; an Pruteni, etiamſi licuiſſet illis Polonicam opem ambire, in præiudicium Imperii potuerint valide contrahere: infra erit diſquirendi locus. Sicut & illa quæſtio alterius generis eſt: an ſatius ſit & reipublicæ conducibilius, quædam relinquere in eo ſtatu, quo ſunt, quàm in priſtinum vindicare? Hæc enim conſilii ſunt, non iuris: de quo nunc agitur.

In cauſſa libertatis Belgicæ, quàm non recte præſcriptionem temporis allegauerit *Grotius in Batauia antiqua*, oſtendit *Conringius*. Sed inſignis eſt confeſſio ipſius *Grotii in libro XVI. Hiſtor. in rebus anni* 1607. Refert ibi Rudolphi II. Imperatoris literas ad fœderatos Ordines, in quibus ait: *differri rumoribus, paci ipſos cum Philippo rege & Alberto imminere, ſed velle inprimis rempublicam ſuam liberam pronuntiari: mirari, nihil ſe de tanta re monitum, cum Belgica omnis Imperii Romani feudum eſſet & portio. Viderent ergo ne quid ſuo iniuſſu inchoaretur, quod feudi legib⁹ prohiberetur.* Subiicitur reſponſum

De fin. Imper. cap. 28.

Ordinum,in quo *de feudo* (inquit porro Groti⁹) *ſilebatur: quia & refellere odioſum,& fateri inglorium. Nec minus Philippus & Albertus, ad quos paria de ſuo iure Imperator ſcripſerat,reſpōſo,nihil ſe moliri, quo ius cuiuſquam deterius fieret, iuris diſputationem ſilentio transmiſerant. Certe Geldriam vtcunq; Egmundani inuitis Imperatoribus diu tenuere; veteres Principes in fide ac clientela Imperii habuere, qui Tutores primū, dein Comites,mox Duces appellabantur.Traiectinos quoq; Pontifices,qui & Tranſiſalanā rexerant, quibusq; in profanæ ditionis iura Carolus V. ſucceſſit, ſacramentum Cæſaribus dixiſſe in comperto erat.* Poſt multa interiecta,agnoſcit Caroli V. pactionem (ſuperioris ſæculi ſcilicet anno 48. factam, anno 60. confirmatam denuo) qua *Geldria & Traiectum pro indubiis Imperii feudis, cetera* tamen *etiam Batauorum Belgarumq; pro parte Imperii Germanici haberentur, conferrent ad publicas neceſſitates,eſſent in tutela Germaniæ, iusq; haberent ſuffragii in conuentibus:* quæ ſane ſufficiunt ad probandum membrum Imperii,etiamſi addatur, *integra de cetero libertate.* Confitetur quin etiam, *ex hoc fœdere* (notabis aduerſus ea quæ in *Epiſtola* quadam ab *Iſaco Grutero* publicata & Grotio attributa longe aliter diſſeruntur) *Batauos Philippi* Principatu aduerſus Hiſpanorum iniurias opem Germaniæ inuocaſſe: & Bredano colloquio ab Arauſionenſi dictum, Hollandiam & Zelandiam ad Imperium Germanicum pertinere. Id quamquā dicat, *captandæ Germanorum gratiæ factum,*

mox

mox tamen iterum, faſſus vinculum, ad alium exemtionis titulum decurrit: *ſed coacti*, inquiens, *nullis inde auxiliis, ſibimet præſidio eſſe, eo ex tempore aliena & ipſi onera detrectant.* Et quid clarius, quàm exemplorum comparatio? quando *Europam fere omnem Byzantinis ſe Imperatoribus, cum aduerſus barbaros non defenſa eſſet, SVBDVXISSE, & Ciuitatum Italiæ libertatem contra Imperatores EODEM IVRE niti,* diſſerit. Monemus autem, & hoc loco omitti à nobis alias quæſtiones, de diuerſis libertatis Belgicæ titulis: quando de ſola præſcriptione ſermo eſt.

In Lib. II. Cap. V.

De acquiſitione originaria Iuris in perſonas: vbi de iure parentum: de matrimoniis: de collegiis: de iure in ſubditos: ſeruos.

De *iure Parentum* agit à §. I. vsque ad VIII. Diſtingui alias poteſt *officium* parentum (quod in generatione, nutritione, inſtitutione verſatur) a *iure* parentum, quod *imperii* & *poteſtatis* nomine ſignari ſolet. *Poteſtas*, aliquando ab *auctoritate* differt: cum *hæc* perpetua ſit; *illa*, ſolui videatur. Quare contentionum ea occaſio eſt, ſi auctoritas vocabulo & æſtimatione poteſtatis induatur. Et *ius* quidem *parentum* ſanciri lege naturali, diuina, ciuili; dubio caret.

De *naturali iure* potiſſima hic quæſtio. Quod nemo negare poteſt: ſed non eodem modo omnes explicant; *vel* ab origine, *vel* ad perſonas, *vel* in duratione. Comparatio potius eſt, eaq; ſatis longinqua, quàm ratio, ſi quis dicat: patrem eſſe dominum corporis, ex quo proles generata eſt; ideoq; in ipſam prolem conſequi imperium. Neq; ciuilibus legibus tantum, aut pactis matrimonialibus, ius parentum regi, recte ſtatueris. Poſſent enim in his aliqua eſſe quæ iuri naturæ parum conueniant. Sane in ciuitatibus, ut alia, ita patriæ ſocietatis iura, legibus conſtituuntur. Non tamen propterea quæſtio de iure naturæ tollitur. Veriſſime & planiſſime Grotius imperium in liberos, acquiri parentibus ait *generatione*. Parentes habent ius & imperium in liberos, quia parentes ſunt, id eſt, quia generarunt; eoque ipſo, ſe ad conſeruandum & educandum, quod generatum eſſet, obligarunt. Educatio imputatur liberis, ſed vt officium; iure in liberos, iam per generationem conſtituto. Vnde & liberis primus obligationis aduerſus parentes titulus eſt, quod vitæ ſuæ, poſt Deum, auctores, habent parentes. Præclare *Philo*, *parentes Deum quodammodo referre gignendo*, ait. Alter titulus, tuendæ ornandæque vitæ, ad hunc primorem accedit. Vnde *Idem Iudæorum doctiſſimus* in explicando præcepto de honorandis parentibus, *eos qui parentes negligunt* (τὺς γονέων ἀλογῦντας) *apud duo tribunalia vere naturalia damnari* ait: impietatis apud diuinum, διότι τὺς ἐκ τῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι παραγαγόντας, καὶ κατὰ

de Decal.

τῦτο

τοῦτο μιμησαμένους Θεὸν, quod eos à quibus cum non eſſent, acceperunt vt eſſent, Dei ſcilicet in hoc imitatores, debito honore ſpoliant; inhumanitatis apud humanum, quod contemnunt illos quibus pro beneficiis nulla poteſt idonea gratia referri. In quibus beneficiis Parentum, etiam *generatio*, poſtea magnifica ῥήσει demonſtratur: quæ ſcilicet honeſtioris & ſanctioris æſtimationis eſt, quàm vt ita de ea loqui fas ſit, ſicut de brutorum animantium generatione.

Recte & bene etiam illud à Grotio aſſeritur §. I. quod ius naturæ *vtriq; parenti* tribuat ius in liberos, non patri modo, ſed & *matri*: quæ & ipſa, vt pater, honorari (honor ille imperium in liberos complectitur) iure naturæ iubetur. Scimus hoc non tantum ex iure naturæ diuina promulgatione repetito; ſed ſciuerunt etiam ethnici. Illuſtris eſt locus erudititiſſimi *Interpretis Græci Rhetoricorum Ariſtotelis*, vbi explicat illud Philoſophi: *ſi lex ſcripta cauſæ quæ agitur, repugnet, confugiendū ad legem communem, id eſt naturalem.* Legis ſcriptæ ponit exemplum: ὅτι ὁ νόμος λέγει, υἱὸς μητέρι οὐχ ὑπόκειται, *dicit lex; filius matri non ſubiectus eſt*, aduerſus hanc, inquit, *vtendum eſt lege communi ſiue naturali:* ἄλλος φυσικὸς νόμος ἀναγκάζει τοῖς γονεῦσιν ὑποκεῖσθαι, *alia lex naturalis cogit parentibus ſubiici.* Neque imperio Patris, matris imperium tollitur, ſed ex alio capite iuris naturalis in ſocietate coniugali, fœminam in poteſtate mariti conſtituente, limitatur & reſtringitur. Et peccaret ſane maritus in ius naturæ, ſi matrem omni

ad lib. 1. p. 27. a.

omni imperio in liberos excluderet. Sicut & ex diuerſo, de matrimonialibus pactis, quæ omne imperium in vxorem marito adimunt, cur parum præclare ſentiant, iuris naturalis & diuini interpretes, cauſarum abunde habent. Quousq; autem obſequi parentibus fas ſit, infra Grotius ipſe declarabit.

Erudita & Philoſopho digna eſt declaratio imperii patrii, per diuerſa tempora, & ætatis *part. poſt. §. 8. & 9.* interualla, à §. II. vsq; ad VII. quam repetit & explicat *Cl. Io. Eichelius* in eximio commentario *de iure naturali parentum & liberorum*. Adde omnino definitionem ætatis memorabilem apud *Caſſiodorum Var. I*, 38.

Feldeno in iis, quæ ad §. III. notat, vix concedenda eſt illa hypotheſis, quaſi hæc res ex iure amicitiæ tantum interpretanda eſſet, vago præſertim illo, nec ſatis explicato; cum potius debeamus ius patrisfamiliæ in totam familiam, cuius partes & liberi ſunt, in oculis habere. ex quo etiam ius coërcendi, ſi ab illo iure, per generationem quæſito diſceſſeris, illuſtrari poteſt §. IV.

An liberi à parentibus vendi poſſint, quod §. V. & VII. monetur, fuſe in utramq; partem diſputat *Eichelius* parte operis iam laudati prio- *l. 2. cap. 5. dub. 4.* re à §. 22. vsque ad 26. *Leſſius*, non modo quid Patri, ſed etiam quid matri in hoc genere liceat, diſquirit. Negantium ſententia verior videtur. cuius æquitatem ſecutus eſt Rex *Theo- c. 94. & 95. doricus* in *Edicto ſuo: parentes, qui cogente neceſſitate filios ſuos alimentorū gratia vendiderint,*

ingenuitati eorum non praiudicant, homo enim liber pretio nullo æſtimatur. Nec pro pignore filii à parentibus alicui dari poſſunt: & ſi ſciens creditor ingenuos pro pignore à parentibus ſuſceperit, in exilium dirigetur. Operas enim tantum Parentes filiorum, quos in poteſtate habuerint, locare poſſunt. Lex etiam Wiſigothorum: *Parentibus* lib.5.tit.4. *filios ſuos vendere non liceat, aut donare, vel op-* c. 12. *pignorare. perdit quoq́ pretium, qui à parentibus filium comparauit.*

In ſacra miniſteria parentes *deuouebant* liberos. apud *Virgilium*, Pater Dianæ filiam vouet: 11. Æn.

Ipſe pater famulam voueo.

vbi *Seruius: bene*, ipſe pater: *quia auctoramenti poteſtatem niſi patres non haberent.* adde ſequentia, quamquam corrupta.

In §. VI. diſtinguit Grotius, inter *debitum parentibus iure expletorio & ſtricte*, & *debitum iisdem κατ' ἀξίαν*, quia ſic decet, *pietatis & obſeruantia debito*, vt vocat. Mihi in hac oppoſitione non valde placet illa philoſophia. Pietas enim & obſeruantia debetur parentibus iure naturali præceptiuo, in eo gradu ac ordine, adeoq; perpetuitate, qua poteſt aliquid deberi vlli homini iure optimo maximo. Id nos vel Sacræ literæ doceant. neque dubitant Interpretes, *Honoris* vocabulo etiam obſequium comprehendi. Et *cultus* vero, & *obſequium* limitatur *primo*, per ordinem iuris naturalis naturalem, quo Deo debita ita anteponuntur iis, quæ hominibus debentur, vt hæc illis cedere, Deoque magis quàm hominibus obediendum eſſe, vltro

intelligatur. *Altera limitatio* iuris naturalis eſt
ex ordine ad ciuitatem ſiue ciuilem ſocietatem
relato: vbi quæ ciuitati debentur, naturaliter
anteferri iis, quæ parentibus debent liberi,
ſumma ratio eſt. Id quod in ordine eorum quæ
1. Offic. debentur, non omiſit notare *Cicero*. Igitur re-
gis, vt regis, voluntati factoue non poteſt in-
tercedere parentum voluntas, aut imperium.
Hinc *impotentiam matris* Liuiæ, non Tiberius
modo ſed Reſpublica grauabatur apud *Taci-*
1. A. 4, 5. *tum.* Agrippinam autem Neronis matrem in
4. A. 57, 4. Principatu ſe imperioſius gerentem, primum
5. A. 1, 5. arte deludunt interiores aulici apud *Tacitum*
(13. A. 5, 3.) deinde apertius cupiunt infringi
potentiam eius (14. A. 1, 5.) incautius tamen, &
parum memores, immanem Neronis animum
freno potius quam calcaribus indigere ad
exuenda matris imperia: quæ nefarius homo
denique parricidio diſſoluit. Vnde nec *Cardani*,
nec *Clapmarii* inconſulta facilitas probari
poteſt, parricidium illud excuſantium & de-
fendentium. Ludouicus XIII. Galliarum Rex,
matris ex aula ſeceſſu, ſuam auctoritatem in
lib. 2. p. 163. regno ſtabilitum iuit: apud *Gramondum*.
&c. edit. Hæc ad vim & poteſtatem imperii, paterno
Amſterd. arbitrio debilitari neſciam pertinent: ma-
1653. nente interim perpetuo obſeruantiæ debito,
etiam ſi filius magiſtratu præditus, aut Rex ſit.
Nota eſt Salomonis maternam auctoritatem
1. Reg. 2, 19. multo cultu agnoſcentis hiſtoria. In conſpectu
matris ſedere, niſi ipſa iuſſerit, ne reges qui-
dem Perſarum ſolebant: ſicut colligas ex ſer-

mone

mone Alexandri apud *Curtium*. Qua in re 5, 2, 22.
diſtinguit *Taurus* Philoſophus publicam & priuatam vitam: *In publicis*, inquit, *locis atq; muneribus atq; actionib⁹ patrum iura cum filiorum, qui in magiſtratu ſunt, poteſtatibus collata, interquieſcere paululum & conniuere: ſed cum extra rempublicam in domeſtica re atq; vita ſedeatur, ambuletur, in conuiuio quoq; familiari diſcumbatur, tum inter filium magiſtratum & patrem priuatum publicos honores ceſſare, naturales & genuinos exoriri.* Vnde & ipſe patrem priuatum præ filio magiſtratu, aſſidere iuſſit, tanquam inter priuatam actionem. *ap. Gelliũ lib. 2. c. 2.*

Quærunt etiam, an aliqua ex cauſſa, e. g. ob expoſitionem, ob neglectam educationem, ob acerbitatem iniuriarum, obligatio liberorum erga parentes expirare poſſit. Lege ciuili multa hic conſtitui poſſunt, ad puniendam patrum ſæuitiam. ſed in naturali illo & perpetuo debito laxando, nolim eſſe facilis: neque vlla parentum iniuria tanta videtur, quæ omnem obſeruantiam parentibus debitam extinguere poſſit. Hinc illa: *ames parentem, ſi æquus eſt: ſi non, feras.* cuius generis plura allata ſunt *ſupra*. Circa expoſitum potuit fieri, vt ab educatoribus obligaretur, ne genitoribus cognitis quædam officia & obſequia præſtaret. animo tamen propoſitum obſeruantiæ ſemper ineſſe debuit. Legesq; ad pœnitentiam, genitoribus, & ad integrandam neceſſitudinem patriam cum liberis viam demonſtrarunt: quando ſciuerunt: *expoſitum qui agnouerit, ſolutis alimentis recipiat.* Ius 1. 4. 4. f. *Sen. contr. IV. 26.*

Ius vitæ & necis parentibus in liberos, lege ciuili quarundum gentium attributum fuiſſe §. VII. oſtendit. cuius rei crebra mentio. Apud
Excerpt. *M. Senecam: quomodo fieri poteſt, vt tibi poteſtas*
Contr. III.3. *vitæ neciſq; aut in fratrē ſit, aut in filium non ſit?* Sed apud Romanos mitigauit illum rigorem dies, & conſuetudo humanior, ſub Imperatoribus, qui illam acerbitatem *impietatis* nomine damnarunt, neque in atrocitate patriam poteſtatem conſiſtere debere definiuerunt. Iure
Num. 30. diuino (vt hic etiam annotatur) parentibus
4. & ſeq. poteſtas dabatur in vota liberorum, quamdiu pars erant domus paternæ. non autem in vitam. Id enim male colligit *Bodinus* ex *Deut.*
lib. 1. de 21,18. *&c.* vnde potius diſcas, præter coërcitio-
rep. c. 4. nem modicam nil licuiſſe in liberos parentibus: & ſi meruiſſent, à magiſtratu capitali ſupplicio plectendos fuiſſe, non à patre. Extat etiam temperamentum imperii patrii memorabile in N. T. *Coloſſ.* 3,21. Incautus ergo iterum eſt *Bodinus*, quando optat reduci illam antiquam ſeueritatem quarundam gentium; propter crebram impietatem liberorum & ingratum in parentes animum: quippe non metuendum eſſe, ne patres illa poteſtate abutantur, propter ſtimulum naturalem amoris, acrem ſcilicet in parentum pectoribus. Sed præterquam, quod *quæ apud concordes*
Tac. 1. A. 55. *vincula caritatis, incitamenta irarum apud infenſos* ſunt, etiam rationibus reipublicæ non conuenit, ut licentia tanta parentibus concedatur.

Ex-

Expoſita acquiſitione iuris originaria in perſonas ex *generatione*; §. VIII. orditur alium iuris acquirendi titulum, *ex conſenſu*; de quo ampliſſima eſt tractatio vsque ad §. *vltim.* Et de conſenſu quidem *conſociationis* agit vsque ad §.XXVI. inde de conſenſu *ſubiectionis*. In *conſociatione* primo omnium conſiderat *Matrimonium*. de quo *Theologi*, *Iureconſulti*, *Philoſophi*, ampliſſimis agunt comentariis. Nos veſtigia Grotii κατὰ πόδα ſequemur. cuius *deſcriptionem matrimonii* merito imperfectam exiſtimauit *Feldenus*. Ita enim conſtruxit hanc definitionem Grotius, vt diuortiorum licentia, & polygamia cum ea ſtare poſſent. Hinc eſt, quod fidem, ſiue vinculum fidei, à fœmina tantum exegit, nec ad virum reciprocauit. cum tamen naturaliter mutua ſit illa obligatio: quam & Apoſtolus explicat, non modo ex iure diuino poſitivo, ſed ex naturali. ipſa enim ratio dictauit, vt in hoc differret matrimonium ab aliis concubitus & coniunctionis generibus, quod mutua inter maritum & vxorem obligatio eſt, de poteſtate in corpus, & cetera mutui auxilii fide. Sane quicquid Philoſophi de recta conſtitutione matrimonii olim tradiderunt, ea non poſſunt locum habere in polygamia. *Ariſtotelis* egregia eſt philoſophia, qui originem huius ſocietatis à natura repetit: non eo modo, ſicut reliqua animantia ſibi ſimile generare concupiſcunt, ſed à dictatu rectæ rationis ſeu appetitu ordinatiore & intelligentia mutui ſubſidii inſtructo: quatenus ſcilicet homo penitus intelligit, quomodo à diui-

diuino numine, viri fœminæq; natura ad communionem mutuam facta ſit. Vide locum notabilem 1. *œconom.*3. cum autem ſocietas ſit vel æqualium vel inæqualium, ordinem hic facit ſexus diſcrimen & præſtantia, tum finis matrimonii. Quis enim non videat barbari moris eſſe, & præter naturam ſexus, quando apud Ægyptios

in Euterpe c. 35. (teſte *Herodoto*) fœminis virilia, viris muliebria munia erant diſpertita? Ita apud Cannares, populum Peruuianũ, feminæ operis ruſticis aliisq; maſculis laboribus occupantur, dum viri domi deſident, trahunt penſum, texunt, atq; alia mulierum officia facere minime erubeſcunt. de-

l. 10. *c.*10. ſcribente *Io. de Laet in Nouo Orbe*. In imperio quoque maritali, ſi naturam velimus ducem ſequi, facile reperientur, quæ probãda ſint. Ius eſſe marito, *de domicilio conſtituere*, ait hic *Groti*⁹. Recte. quia vxor maritum elegit, non tantum cui poteſtatem in corpus ſuum traderet, ſed etiam, quem auctorem vellet ſequi in comparandis & diſpenſandis vitæ auxiliis adminiculisq;. Ad quem finem obtinendũ pertinet etiam, domicilium conſtituere. Sed, vt in aliis, quæ ſunt poteſtatis maritalis, ita in hoc, temperamentum æquitatis naturalis obliuione tranſmitti non debet: ſine quo, in hac quoq; ſocietate, ſumum ius ſumma iniuria dici poſſet. Quare & ab omni ſeruili conditione vxor debet remoueri, & conſilium eius, in rebus, quæ ad ipſam pertinent, nequaquam ſperni. Quod bene annotatum à *Feldeno* arbitror. neq; nullæ hic occurrunt quæſtiones apud Theologos, qui conſcientiam erudiunt.

In

In §.IX. de *Polygamia* & *diuortiis* agit, & à ſolita ſibique tantopere adamata hypotheſi incipit: quaſi polygamia Noua demum Lege eſſet vetita. vbi Chriſti contrarium docentis nota & clara, Theologisque abunde explanata diſciplina eſt. cuius diſputationem de *Diuortiis* itidem commodius explicauit *Io. Buxtorfius in diſſertatione eruditiſſima de ſponſalibus & diuortiis*. Diuortia enim in V. T. permiſſa fuiſſe, plures cum Grotio exiſtimarunt: præſertim ex *Deuteronomii* 24.*v*.1,2,3,4. alii, qui negabant, valde ſudarunt in reconciliandis quæ pugnare videbantur apud *Euangeliſtas Matthaum* & *Marcum*, cum præcepto *Moſis*. ſed rei expediendæ viam aperuerunt, *Pagninus*, *Tremellius*, & ex *Rabbinis*, *Abarbenel*; quam Buxtorfius in laudata modo diſſertatione prorſus explanauit, oſtenditque; non duo præcepta, vt vulgo interpretati ſunt, contineri loco Moſaico, ſed vnicum: atque adeo tres priores verſiculos de facto humano loqui, ſuſpendiq; à particula *SI*; quartum præcepto diuino conuenire.

Quod autem *Polygamiam natura non repugnare*, Grotius ait, partim *ratione* ſe putat niti; partim *auctoritate*. *Rationem* in definitione matrimonii, merito repudiata, poſuit; dum obligationem de poteſtate in corpus non reciprocauit. quod tamen faciendum eſſe, ratio dictitat in matrimonio, etiam in terminis naturalibus ſumto. neque aliter conſtat ratio pacti, & repenſatio fidei: niſi vxorem ſeruili loco velis habere, quod ſine flagitio fieri ne-

nequit. Imago huius rei etiam in quibusdam brutis animantibus obſeruari ſolet, ſi cui placet illum declarandi modum adhibere. Nota ſunt columbarum coniugia. Et quandoquidem in iure naturæ explicando, quotiens dubitatio oritur, nemo præſidium S. literis certius demonſtrabit, quæ & repetunt ius naturæ & explicant: præceptum de adulterio non committendo, rem non ſinit eſſe dubitabilem. nemo enim vnquam dixit aut dicet, ad fœminas tantum id pertinere. ſi ergo ad vtrosq; coniuges pertinet, maritus committet adulterium, quotiens fidem matrimonii dederit alteri, aut in thorum receperit alteram fœminam, inuita ea, cui poteſtatem in ſuum corpus fide interpoſita primum dedit. Quid ſi ergo conſentiat vxor, cui fides data eſt? Primo non eſt quod credatur, vnquam hoc futurum, vt fœmina conſentiat iniuriæ ſuæ; niſi vi metuq; adacta, aut imbecillitate ac defectu iudicii mora. neutro autem ex fonte ius oriri poteſt. vnde exemplum Aſiaticarum fœminarum non poteſt vtiliter adduci. illæ enim non vt coniuges, ſed vt ſeruæ habentur. itaq; voluntatis præſumtio impeditur causâ perpetua, tyrannide maritorum. quo accedit conſuetudo tolerandi, etiam iniqua; quæ mentitur imaginem iuris, non teſtatur de iure. Deinde, etiamſi prorſus voluntaria eſſet conſenſio vxoris, non careret tamen vitio. quod in marito manifeſtius etiam eſt, ſi conſentiret, vt vxor plures admitteret veluti adiutores, quale quid de Lituanorum

vete-

veterum nobilibus fœminis refert *Æneas Sylu. deſcr. Europa c. 20.* Quis non videret; hanc polygamiam plurium virorum vnius vxoris, proficiſci à conſenſu vitioſiſſimo, eius viri, qui nec viri nec mariti nomine dignus eſſet? Jus enim naturæ, quod Deum habet auctorem, non poteſt vllius voluntatis humanæ arbitrio aut conſenſu imminui tollive: ſemper ergo reclamabit conſcientia, decedentibus perturbationibus, in prima uxore: fides mihi data eſt vni irreuocabiliter & in perpetuum, niſi à me prius violetur. Hæc enim naturaliter inſunt matrimonio: nec ciuili demum legislatione ſanciuntur. niſi velimus matrimonium, aliter quàm hominibus dignum eſt, animo concipere. videatur *Arniſæus de iur. connub. c. 4. ſect. 2. §. 31. & 32.* Auctoritates partim ſunt *Gentium*, partim *hominum*. In *gentibus* non adeo magnum momentum facerent Ethnici, ſi ſoli eſſent; niſi quod videatur aliquis ratiocinari poſſe: ſi ius naturæ polygamiæ repugnat, non potuit vis eius ignorari ethnicis: at hos rigorem iuris naturalis in hoc genere ignoraſſe, vel hinc conſtat, quod in licitis plerumq; matrimonium vnius cum pluribus vxoribus numerarunt. Sed quæ hæc ignorantia? Non alia videatur, quàm affectata illa, qua idola diuino cultu affecerunt, ſcortationem in religionis genus verterunt, ſenes mactarunt, homines immolarunt, infantes expoſuerunt, & interfecerunt, aliaque contra ius naturæ perpetrarunt totæ nationes, etiam ex iis, quæ moratiores haberi

vellent. Naturam enim veri matrimonii, quæ polygamiam reſpuit, non ignotam fuiſſe recte cogitantibus, & rationi potius, quàm prauæ conſuetudini auſcultantibus, non ex *Ariſtotele* tantum, vt ſupra dictum, ſed plurimis antiquis demonſtrari poteſt. Legantur, quæ in *Annotatis* ipſe Grotius affert: vbi agnoſcit, multis quoq; ſapientibus probatam vnius viri & vnius feminæ coniunctionem, & addatur, ex *Euripidis Andromacha:*

v. 909. *κακὸν γ' ἔλεξας, ἕν' ἄνδρα δίσς' ἔχειν λέχη.*
malum vero eſt, quod dixiſti: vnum virum habere duas coniuges.

Plus eſt auctoritatis in *Hebræorum* more; & in *Polygamia Patrum*. eſt hic nodus haud dubie indiſſolubilis: ſicut doctiſſimus & modeſtiſſimus quisque Theologorum agnoſcit & fatetur. ſiue enim de *diſpenſatione* aliqua diuina, ſiue de *næuo & peccato*, quod Deus tolerauit, loquaris: vel incerto niteris, vel inexplicabili difficultate te indues. vt cogaris tandem dicere, Non liquet. Hæc res induxit *Grotium*, vt *Bernhardi Ochini* & *Rabbinorum* argumenta repeteret; hæc præclaris etiam viris perſuaſit, vt licitam fuiſſe in vetere T. polygamiam, & in N. demum prohiberi cœpiſſe, crederent. Inter
quæſt. 67. in Geneſ. quos *Theodoretus* de Abrahamo loquens, nihil peccaſſe eum, ait, „*cum neq; natura neq; lex aliqua tum polygamiam interdixiſſet*. ὔτε τῆς φύσεως ὔτε νόμυ τινὸς ἰσχυρῶς τηνικαῦτα τὴν πολυγαμίαν κωλύοντος. *Durandi, Caietani, aliorumq; Scholaſticorum*, polygamiam iure naturæ licitam affir-

affirmantium, non eſt opus cumulare nomina. Fecit id *Thomas Sanchez:* & horum ſententiæ alios oppoſuit, iure naturæ interdictam polygamiam cenſentes. Quibus ipſe ita accedit, vt medio tamen itinere incedere velit: & aliquo modo iuri naturali polygamiam fateatur aduerſari, *quatenus ſit contra concluſiones ab ipſis primis principiis iuris naturæ deductas.* Diſtinctiōne illa, in multis careri non poteſt, quam *Grotius* etiam adhibuit ab initio operis. Sed quando *Sanchez,* præcepta decalogi pro principiis iuris naturæ habet, manet adhuc quæſtio, vtrum polygamia non prohibeatur illo præcepto, quod adulteria & impuras coniunctiones alias vetat. Deinde illud expediendum eſt, quam prope & certa euidentia, vel minus prope nec tam euidenti conſequentia ex principiis iſtis aliquid deducatur. ſicut illam ſubtilitatem executus eſt *Grotius II,20,43.* à poſteriori rem diiudicant, qui dicunt: ſi polygamia primis iuris naturæ principiis repugnaret, non potuiſſet Deus circa illa diſpenſare, ſiue polygamiam diſpenſando concedere. Sed quod Deus hoc fecerit, nondum demonſtratum eſt, &, ſilente ſcriptura ſacra, ſcientifice, vt loquuntur, definiri nequit. Adde *Selden, de Iur. Nat. & Gent. lib. V. c. 6.*

lib. 7. de matrimon. diſp. 80. n. 5. &c.

§. X. Conſenſum parentum in matrimonio iungendo, iure naturæ neceſſarium eſſe, aut, vt Imperator loquitur, *ratione naturali ſuaderi*, pro communi ſententia obtinuit: quam Theologi, Iureconſulti, Philoſophi repetunt. Hinc

v. Gerh. de coni. §. 64. Paul. Cypr. de iur. connub. cap. 6.

Hinc *Thuanus* (*lib.* 19. *p.* 590. *&c.* *&* *de vit. ſua lib.* 2. *p.* 27. *&* 37.) cum retuliſſet legem latam, ne contrahere nuptias liceret citra parentum conſenſum, addit: antea valuiſſe licentiam clandeſtinorum coniugiorum, magna iuris gentium (naturale intelligit, ſiue naturalem rationem, quæ apud gentes peræq; cuſtoditur, & earum legibus approbatur) atq; adeo diuini iactura. Hoc poſito, nulla dubitatio ſupereſt de ordine. iure enim naturæ mater non excluditur, ſed patri in conflictu ſententiarum poſtponitur (niſi patris iniqua, matris æqua voluntas, ſententia iudicis declaretur) & patri mortuo, hactenus quaſi ſuccedit ita, vt & Tutorum voluntati, voluntas matris in hoc negotio præferatur. Quæ naturalis ratio valuit in me-
Lib. IV. c. 9. morabili diſceptatione apud *Liuium.* Sed hic quæri ſolet: 1. *vnde & quomodo hoc iuris naturalis ſit.* 2. *de præſumta voluntate parentum.* 3. *de diſcrimine liberorum & parentum.* 4. *de caſibus quibusdam ſingularibus & quaſi exceptis.* De *prima* quæſtione res non eſt adeo expedita. *Grotius*, *Feldeno* approbante, ait: officii quidem eſſe, vt parentum conſenſus impetretur, non autem id requiri neceſſitate iuris. alii dicerent: honeſtatis eſſe non neceſſitatis. in quo genere loquendi interdum obſcuritas ineſt: honeſta enim non ſunt vnius generis gradusque. De fœminis certe ius naturæ ſatis arguunt, quæ in *Annotatis ad h. §. Grotius* affert. Nam, quæ de libertate in matrimoniis neceſſaria adiiciuntur, iniquæ parentum voluntati opponuntur, &

vio-

violentæ, cum abhorrentes ab hoc aut illo fœdere obſtringere, aut cupientes ex cauſis non idoneis arcere matrimonio volunt. Et hi quidem à *priori* ius indagant, honeſti tamen vim non eodem modo interpretantes. Aliqui autem à *poſteriori* ius naturæ hoc ipſo demonſtrari credunt, quod plerasq; apud gentes in legem iuit, neceſſitas exquirendi conſenſum parentum. Qui dicunt, iuris naturæ eſſe quidem, conſilium parentum circa matrimonium requirere; non item, ei conſilio parere: illis concedenda quidem eſt vtilitas huius conſultationis, quam deſcribunt; ſed, quantum ad auctoritatem iuris, non accuratè cuſtoditur ſtatus quæſtionis. diuerſitas enim non niſi ad iniuſtam parentum voluntatem pertinet. Aliàs, ſi neceſſe eſt conſulere, neceſſe eſt etiam conſultis parere, non iniqua volentibus. idem enim eſſet, non conſulere, &, conſultis non parere: Ratio enim vna eſt nec mutatur, dum quæritur de poteſtate & iure parentum circa matrimonia liberorum: neque conſilium hic cuiuslibet conſulere valentis ſpectatur; ſed conſuluntur ii, quibus parendum eſt. ceterum hunc locum, de conſenſu parentum naturaliter neceſſario, optime mihi videtur tractaſſe *Eichelius*. Ex veteribus *Comici* multa diligentia hoc agunt. *Terentius* inſtar omnium eſſe poteſt: apud quem crebra quæſtionis expoſitio: præſertim in *Phormione*, ad ſummum eueſta.

ap. Thom. Sanchez. de matrim. diſp. 23. n. 10.

de iur. par. & l. part. 1. §. 37. & 38. & part. 2. §. 18.

Præſumi autem, *ſecundo*, voluntas parentum, & recte præſumta dicitur, ſi parentes com-

communiter & crebris vſurparunt ſermonibus: ſe, ſi filius aut filia eligant connubium cum perſona honeſta, aut honeſto officio ſiue opificio prædita, non interceſſuros: ſi, de iudicio ſenſuque parentum in eiusmodi negotiis abunde conſtat; ſi abſentia moras diſſuadet; aut occaſio ſubito oblata differri rem non patitur. & ſi quæ huius generis poſſunt incidere alia.

Quanquam *tertio*, filiabus hic minus licere debet, quàm filiis. quod & *Grotius*, vt dictum eſt, agnouit. Vnde naturalem ſequi rationem *Tit.10. l.2. de vi.* videtur *Lex Angliorum & Werinorum*, quando ad vim quodammodo refert, *ſi quis puellam, inſcio patre eius, vxorem duxerit, & indotatas nuptias pœnæ loco ſancit: ſi libera fœmina, ſine voluntate patris aut tutoris, cuilibet nupſerit, perdat omnem ſubſtantiam, quam habuit vel habere debuit.* Adde *Capitul. Carol. lib. VII. tit.* 359. & *Legis Burgundionum Additamentum primũ t.* 14. Præſertim ſi filia ſit adoleſcentior. Omnino enim *ætas* in hac dubitatione diſcrimen non paruum generat. Ita filius ætate virili matura, adde, & officio, præditus, licet obſeruantiam erga parentes nullo debeat tempore finire, facile tamen excuſatur, ſi domui ſuæ conſulendum ducenda vxore, non adhibito Parentum conſilio, iudicauit. Jam, ſi parentes ætate aut ingenio hebetiores, parum iudicare poſſunt de rationibus & vtilitatibus liberorum, totiusue domus: iuri naturæ non aduerſabitur, ſi ipſi conſulant ſibi filii.

Ca-

Caſus varios proponunt *Dd.* in quibus non abunde diſcerni videas, quæ à iure naturæ, vel ciuili, vel Canonico veniunt. Vbi opera danda videtur (*quarto*) vt quæ præcipit natura, cum illis quæ ſuadet naturalis ratio, vel vt decora, vel vt tutiora, vel vt meliora; non confundantur. cuius diſcriminis mentio in *Prolegomenis* à *Grotio* non eſt præterita. Facit autem hanc rem minus expeditam, quod iſta, quæ conuenire magis quàm præcipi dixeris, validiore iuris prætextu haud raro indui, etiam à grauiſſimis viris, olim & hodie videmus: prout fortius aut remiſſius loqui, pro ingenio & propoſitis eorum, cum quibus res eſt, pars conſilii fuerit. Ita, qui conſcientiam volunt, more Chriſtianis maxime conueniente, in tuto locare, iuris naturalis ratiocinandi conſuetudinem petunt interdum ab obſeruatione euentuum; quos ſi congruere vident conſtantius & ſæpius, ac definitionibus Scripturæ iuuari; libentius vt de dictatu iuris pronuntiant. Colliguntur exempla filiarum, quæ parentibus inconſciis aut inuitis, amoribus implicitæ, abſtrahere animum monitæ non potuerunt: ſecutis nuptiis nec inhoneſtis, nec omnino abſurdis, caſus tamen multiplices & varii coniunctos inuitis aut tandem conſentire quaſi coactis parentibus coniuges perſequi videbantur. & ſane raro aliter videas euenire. hinc extrueretur monitum: matrimonia inuitis & præteritis parentibus contracta exagitari non vnis caſibus, quaſi in vltionem iuris & officii

naturalis non ſatis reuerenter habiti. ſicut *Philo* de inceſtorum matrimoniorum pœna ſentit in *Annotat. ad* §. *XI.* Hæc atque talia ſicut ratione non carent, ita cautiſſime tractari debent: ne conſcientiis, quibus conſultum itur, noui iniiciantur laquei. Ceterum, ad hunc locum pertinent in *Sanchezii de matrimonio opere diſputationes à 22. vſq; ad 27.*

Quæ §. *XI.* habentur, explanatæ ſunt veritatis. niſi quod hypotheſis de *diuortiorum* & *polygamiæ in V. T. licentia* ſubeſt. Tulit tamen nefandi flagitii exemplum hoc ſæculum in Gallia, vbi Rapiſtagnus Vicecomes Paulini, *ann.* 1616. & Caſtelperſia de Panato, Reyneſii vxor, tanquam matrimonii tabulas ſignarunt, viuente Reyneſio. ſed exitu tragico. Deſcribit rem totam *Gabr. Bartholomæus Grammondus lib.* 2. *Hiſt. p.* 139. & 141. *edit. Amſtelod.* vbi cum antiquo Meſſalinæ & Suilii facinore comparat facinus.

In §. *XII.* ad *pudorem naturalem* bene deducit diſputationē, tanquam ad præcipuam cauſam. neque aliud videntur velle, qui aliter loquuntur, & reuerentiam ſanguinis in ore habent. pertinentq; huc ipſa verba S. Scripturæ *Leuit.* 18. *v.* 3. & 24. *vſq; ad fin.* vbi ad τὸ ἄγος & τὰ βδελύγματα, quæ exterminium populis quibuscunque afferunt, referuntur inceſta matrimonia. Ipſa quoq; phraſis de reuelatione turpitudinum, non inepte huc refertur à *Leſſio* & *l.* 4. *c.* 3. *aliis.* *Theodoretus* autem *qu.* 24. *in Leuit.* inter *d.* 11. §. 78. tam manifeſto hominum conſenſu damnata ponit, vt nonnullos faciat obiicere, cur Deus

vetue-

vetuerit, quæ nunquam euenire ſoleant? quem enim matri aut pecori miſceri velle? reſponderque exemplis Perſarum aliorumque allatis. Eſtque imago huius rei etiam in beſtiarum nonnullis: vti ad exempla allata addi poſſunt, quæ *Hieronymus Rorarius in erudito opuſculo, quod animalia bruta melius homine ratione vtantur*, collegit. Quamuis enim & Diogenis Chryſippique in contrarium tendentia argumenta, etiam ap. *Ouidiũ, Myrrha* repetat; *Metam. X, 9.* & *Seldenus* (*de I. N. & G. lib.* 1. *c.* 5.) eleuet huius generis imagines, ac in dubium vocet, in quantum, ſcilicet iuris proprie dicti ſenſus beſtiis denegandus eſt: non repudiari tamen omnino debet ille mos, (vt à principio diximus) quo imagines quædam & ſimulacra in brutis ad commendandum ius naturale conquiruntur. Et de ſenſu conſenſuque omnium gentium ac hominum non deprauatorum, eximia ſunt, quæ *Grotius* hîc attulit.

§. XIII. Venire hæc interdicta à iure naturali, oſtenditur, deſcriptione Moſaica de pollutione Gentium, vt modo dictum eſt: &, quia, humano generi aliam legem naturalem, quam illam mentibus inſcriptam, & à Moſe repetitam, Deum dediſſe, de quâ ex ſcriptura nihil, ex traditione autem tantum conſtet, hactenus nondum probatum eſt. Quare & matrimonium priuigni cum nouerca, naturali iuri repugnare, recte ex illis, quæ hîc adferuntur, demonſtrari videtur. Dicit quidem *Grotius: communem illam exiſtimationem, ſi à neceſſario*

 natu-

naturæ dictato non trahat originem, trahere ex veteri aliqua traditione, quæ rurſus à diuino aliquo præcepto arceſſenda ſit. Poſſis inuicem dicere: quæ naturalis pudor damnat matrimonia, ſiue à quibus contrahendis natura rationalis non deprauata abhorret, illa omnino neceſſario naturæ dictato interdicta videri. Qui naturalem pudorem audit, vocem naturæ iubentem audit. niſi velimus, pudorem naturalem aliter ac ita definire, vt extenuentur, quæ ad exaggerandum omnibus hactenus viſa ſunt pertinere. Deinde, & illud non omnino expeditum eſt, an omnis traditio vetus, ſi concederetur, iuri vere naturali opponenda, & ad legem tantum poſitiuam reſtringenda ſit. Traditiones enim videas ferri, etiam de ſenſu iuris naturalis, ſiue de iis, quæ iuri naturali per rationes euincentes inſunt, adeoq; de diuino præcepto naturali. Non cadere poſſe in hominem ſanum, quod Seleucus commiſit, etiam noto *Rhetorum* lemmate conſtat: *Demens, qui filio ceſſit vxorem.* apud *M. Sen. Excerpt. Controu. lib.6. decl.7.* &
epiſt. 13. *Ariſtanetus in Eroticis*, ad caſum amatorium tragico affinem figurandum, pro vxore, pellicem narrationi per omnia ad id exemplum accommodatæ inſeruit: ſic quoq; tamen, factum tale vt rem malam & duram, non minus quam naturali ſcilicet iure damnatam, profeſſus.

Mox *graduum* nomina, in prohibitis ex inſtituto Scribarum matrimoniis, accuratius enu-
part. §.17. merat *Buxtorfius de Sponſalibus. & de Hebræorũ* ſententia videndus eſt *Selden. de I.N. & G. lib. V. a cap. 8. vsq; ad 12.* *Idem*

Idem etiam *cap.*8. de *matrimoniis Fratrum & Sororum* (quorũ mentio ap.*Grotium h.& ſeq.*§.) tractat: quæ aliqui ad indulgentiam Diuinam, alii ad exceptionem, legi latæ additam aut inſitam, intuitu ſcilicet neceſſitatis (de qua etiam *Auguſtinus de C. D.XV,*16.) referunt. voluntate diuina accidiſſe illa matrimonia, non eſt dubitandum. Rationes illius voluntatis curioſius exquirere, forte ſupra humanæ ſapientiæ modum fuerit. cuius non immemor fuit *Theodoretus*,dum ſobrie ratiocinatur,*Cur Deus ex vno tantum pari hominum, vniuerſas gentes prodire voluerit. ſi enim*, inquit, *rebus à Deo ad hunc modum ordinatis,innumeræ tamen perpetrantur cædes,quo non proceſſura fuit audacia,* εἰ ἐκ διαφόρων βεβλαστηκέναι πατέρων ᾠήθησαν; *ſi ex diuerſis originem Patribus traxiſſe crederentur.* *Quæſt. 43. in Geneſ.*

§. *XIV.* De Jacobi & Amram matrimoniis, videantur *Seldenus de I. N. & G. lib. V. c.* 9. & *Buxtorfius de ſponſalibus part.*1.§.19.& 20.Ceterum, quomodo aduerſus legem de inceſtis matrimoniis inde ab antiquo varias apud gentes peccatum ſit, longâ diſſertatione oſtendit *Seldenus de I. N. & G. l. V. c.* 11.

§. XV. *Concubinatus* paulo diligentius diſtingui debet. Nam *concubinatus* illa exempla (quando hanc vocem huc produci videmus) inter ſeruum & ancillam, inter liberos & ſeruos, inter ciues & peregrinos, inter inæquales denique, quatenus per omnia ritu & conſilio coniugii iunguntur; iure naturæ verum omnino ſignificant matrimonium: quicquid leges ciui-

ciuiles, ex aliis ſuaſoriis cauſis, huius aut illius reip. honeſtati vtilitatiue conducere ſanciant. 4. de benef. 35. Notum eſt illud *Senecæ: promiſi tibi filiam in matrimonium; poſtea peregrinus apparuiſti: non* lib. 43. c. 3. *eſt mihi cum externo connubium.* Apud *Liuium* legas, ex militibus Romanis & ex Hiſpanis mulieribus, cum quibus connubium non eſſet, natos: vnde poſt manumiſſionem, libertinorum colonia Latinis prodiit. At vero alius eſt *concubinatus*, qui fugâ matrimonii, incontinentiæ cauſa contrahitur; pacto mutuæ fidei. ſed vt hic iure naturæ matrimonium habeatur, definitio matrimonii recte conſtituenda eſt, vbi aliquid in *Grotiana* philoſophiâ deſiderari, diximus. Melius enim conſtituta definitio, non patietur, affirmari hanc quæſtionem. Nec nihil trahunt de naturali ratione leges ciuiles, lib. 1. c. 2. §. 29. &c. de iure matrisfamiliâs decernentes. *de quibus vide Gryphiandri Oeconomica, Legalia.*

§. XVI. Exemplis declaranda ſunt, quæ alias non ſatis omnibus patent. Quod ſcio præſtiturum virum doctiſſimum, qui huic ipſi Grotiano operi manus admouit.

§. XVII. vsque ad XXIII. agit de iure, quod ex conſenſu, ſiue conſociatione in *collegiis* oritur naturaliter. Vt hæc recte congruant illis, quæ deinceps ſequuntur de conſociatione in *ciuitatem*, recurrendum eſt ad illud Ariſtotelicum, *τὰ πράγματα φυόμενα σκοπεῖν.* Nam Collegia quidem, extra ciuitatem, hodie non dari, dixeris. In Ciuitate ipſa, conſociationum perfectiſſimâ, inuitus loquor citra hiſtoriam. niſi

quod

quod illa quæſtio huc redit, in quo illi, qui ciuitatem condiderunt, ſecuti ſint naturæ & rationis, dictamen. Atque hic, *maior pars* eſt, quamcunq; ciuitas, dum conſtitueretur, talem fecerit. ſi enim *vni* omnis ſumma poteſtas eſt tradita, ille maiorem partem, imo omnes partes ſuſtinebit: quatenus totius Ciuitatis perſonam, morali æſtimatione, refert. Sin *Ariſtocraticum* erit regimen, ratione totius ciuitatis, optimates habebunt ius maioris partis, vt hic accipitur: ſed ita habebunt, vt, ſiue omnes conſentiant, eo iure ſtetur; ſiue Optimatum pars maior conſentiat: quod exemplum propius iam ad originem huius iuris accedit; licet non aliter, quàm quatenus optimates referunt ius maioris partis, h. e. integri. In *populari* autem republica origo huius philoſophiæ paulo manifeſtius ſe pandit: vbi æqualitas iuris fundamenti loco ponitur; adeoq; non ſupereſt modus expediendi negotia ciuilia naturalis, niſi ſtetur inter pares plurium iudicio. quamquam hîc quoq; *pars maior* non vno modo definiri poteſt & ſolet: poſſunt enim & hîc pauci agere, ſed nomine & mandatu omnium. Hæc ex hypotheſi & ad hypotheſin *Grotii*, qui ius maioris partis ad ciuitates quoq; communiter pertinere voluit. Siue autem ſocietas aliqua, extra ciuitatem ſumatur, pertinebit huc illa quæſtio, quid pactum illius ſocietatis (quæ enim ſocietas initur ſine pacto?) habeat iuri naturali conueniens aut inde ortum: ſiue in ciuitate, exempla Senatus, & Collegia Iudicum con-

conſiderentur; quæ in his vel facta ſunt vel ſtatuta, examinari ſolent poſſuntue ad naturalis iuris æquitatem. ſicut in *Iudicio* de *paribus tabulis* declarare quodammodo ſtuduimus, explicando *Calculo Mineruæ*. Exceptiones & Dubitationes partim ſuppeditabit *Bodinus*; partim diſputationes iuniorum temporum in *Rebus Germanicis*, quæ alium habent locum. Interea male & factioſe deſcribi *maiorem* & *ſaniorem* regni Gallici partem videas apud *Thuanū l.*81. Sicut & in numerandis ſententiis, difficultates occurrunt: ſicut apud *Thuanum*, cum altera ſententia alterā vno calculo vinceret, fremebant pleriq;, *qui fraudē in recenſendis ſententiis factam dicebant, & eorum ſententias numeratas, qui deliberationi ab initio non interfuere; quod vt contra morem & leges factū; non ferendum eſſet.* Et de ſuſpenſo paribus ſententiis Senatus Luteriani iudicio vide *Thuanum lib.*35.*p.*251.

lib. 3. *de rep. c.* 7.

p. 11. *f.*

lib. 28. *p.* 36.

Ad §. XX. annota illud Senecæ: *Quotiens duobus eſt communio, poteſtas eius tota ſit, qui præſens eſt.*

Excerpt. contr. 7. 4.

§. XXI. Ordinem inter ſocios tempus fere conſtituit. intellige, ſi, vt de ſociis, ſermo eſt, cetera ſcilicet, quantum ad hanc ſocietatem, æqualibus. Nam ſi collegium aliquod conſtet, partim ex Nobilibus, partim ex aliis; & Nobilibus præ ceteris locus aſſignatus ſit, vel lege collegii, vel more ciuitatis; tum nouum Collegam, Nobilem, Nobilibus in eodem collegio aliis poſteriorem, non-Nobilibus prio-

priorem locum tenere, verum eſt. Quod *de ordine Chriſtianorum regum & populorum in Conciliis* additur, caute accipi debet, & κατὰ τὸ εἰκός. Neq; valere iſtud, vel ipſe *Æneas Sylvius*, poſtea Pius II, qui huius ſententiæ præcipuus auctor laudatur, in conuentu Mantuano oſtendit, cum nec Reges Regibus nec Duces Ducibus concedere vellent, lege editâ; *ne vel poſtpoſiti detrimentũ, vel prælati lucrum honoris iuriſue aliquod ferrent.* Nec aliter *Tridentini Concilii Patres* faciendum iudicarunt, *ſeſſion.7. ann.1546.7. Ianuarii; & ſeſſione 25. ann. 1563. 4. Decembris.* Adornauit de cetero pro cauſa Hiſpanica id argumentũ *Chifletius in Vindiciis Hiſpanicis capite vltimo:* & *in Luminib. prærogat. lum.* 15. Res eſt tricis & ſalebris plena, Principum de loco controuerſias diſceptare. In quo negotio cumulate potius quàm accurate verſatus videtur *Fernandus Vaſquius, in proœmio Illuſtrium Controuerſiarum: momenta rationum* ponderauit *Freinshemius de Præcedentia Electorum & Cardinalium Diatriba 2:* in formam artis & methodi diſputationes huius generis redegit, in *opuſculo poſthumo* mox publicando *Iacobus Gothofredus.*

Comment. Pii II. lib. 3. p. 64.

§. XXII. Ariſtotelico illi, *ſi poſſeſſionum cauſa inita eſt ſocietas*, addi poteſt: aut ſi in ſocietate non poſſeſſionum cauſâ initâ, æſtimatio tamen & dignitas ſociorum, ex modo poſſeſſionum ſiue opibus ac potẽtiâ pendi conſueuit. Sic qui plures Principatus poſſidet, plura inter Principes ſuffragia alicubi habere queat. Et quod in æſti-

æſtimandis menſoriâ proportione ſententiis, non id modo ſpectetur, *quantum quisq; in commune præ aliis impendiorum conferat*: exemplo ſunt Comitia Imperii noſtri, vbi ſeptem aut octo Electorum ſuffragia tantum habent ponderis, quantum in proximo collegio ſeptuaginta amplius ſuffragia demum æquauerint.

§. XXIII. Alibi tractatur de imperio & ſumma poteſtate in ciuili conſociatione, ſiue de iure corporis in partes, aut eorum, qui corporis ius in ſe translatum accepere. Quod *leges* de omnibus rebus, actionibus, perſonis ciuilem conſociationem participantibus, adeoque eo ipſo poteſtatem legislatoriam agnoſcentibus (ſiue conciſius, *actiones* tantum velis nominare) præcipere poſſint, dubium non habet. Sed in quæſtione conſilii, etiam *Plato* noluit de omnibus rebus leges ferri, de quibus poſſunt
p. 1183. ferri, laudante *Bodino 6. de Republicâ cap. vlt.*

§. XXIV. Legem Argiuorum de non mutandâ ciuitate *Ouidius* refert *Metamorph. XV.*
fab. 1.

— — prohibent diſcedere leges,
pœnaq; mors poſita eſt patriam mutare volenti.

Ceterum non conſtituuntur eadem lege ciuiles ſocietates: ſed maiori minoriue libertate. Igitur ex ipſa deſcriptione ſiue diſciplina conſociationis, quam ſequi naturale ius iubet, hæc quæſtio definienda erit: &, in dubio tantum valebit, quod hîc annotat *Grotius*.

§. XXV. Addi debent ex *libro tertio*, quæ in *Annotatis* indicantur.

§. XXVI.

§. XXVI. Subiectionis ex conſenſu nobiliſſimam ſpeciem *arrogationem*, de qua *h.* §. ignobiliſſimam *ſeruitutem* ponit; de qua à *ſeq.* §. *vsq. ad vlt.* De *arrogatione* agunt pleriq;, qui *adoptionem* explicant. Sit inſtar locorum communium collectoris *Tholoſanus in Syntagm. Iur. Vniu. lib.*10. *cap.*6. *Scholaſtici* quoque, cum de patria poteſtate agunt, explicant idem argumentum. vid. *Ludou. Molina de Iuſt. & Iure tom.* I. *tractat.* 2. *Diſput.* 227. Paternum offi- p.986.&c.
cium naturale ſolui non poſſe, quando pater in adoptionem alteri dat filium, in fine §. addit *Grotius.* Tentauit hunc locum Demea in *Adelphis Terentii* act. I. ſc. 2. v. 57. *alienus non ſum*: & annotaui quædam *ad v.*33. *στοργῆς* enim inter parentes & liberos cauſa perpetua eſt jure naturali & diuino. Vnde nec arrogatione (ſi accurate agendum eſt) tollitur illa mutuæ pietatis neceſſitudo: ſed poteſtatis effectus ciuiles tantum mutantur.

§. XXVII. Tanguntur hinc tituli ſeruitutis perfectæ, in quam vel ſe ipſe quis tradit, h. §. vel natiuitate incidit, §. 29. vel delicto §. 32. Nam de ſeruis iure belli redactis *infra lib.* 3. *c.* 7. Et in commercio ſeruorum, ſiue in ſeruis vendundis emundisq; præſupponitur titulus. Qua de re late diſputat *Ludouicus Molina De I. & I. tract.*2. *diſp.* 33. *vsq. ad* 37. Addatur *Cardinalis de Lugo tom.* I. *diſp.* 6. *ſect.* 2. *n.* II. *&c.* *Seldenus* autem *de I. N. & Gent.* agit de *ſeruis Hebræorum, tum ex ſui venditione, tum ex addictione fori, lib. VI. c.* 7. &c. *de prole ancillæ ac ſeruæ, cap.* 8.

Si autem in vlla re opus fuit monere, hîc profectò monendum eſt: Scriptores etiam philoſophos & doctrinis abunde præditos, plerumque loqui populariter; intelligi autem velle, ſicut ſapientiæ ſcita & vincula patiuntur. Quod in diſtinctione illa Ariſtotelica vſu venire videmus, cum *natura ſeruos*, & *lege ſeruos*, in medium producit. Quem variis modis conciliare nituntur *Iureconſultis*, omnes natura liberos, neminem natura ſeruum eſſe, ſed contra naturam iure gentium ſeruos fieri ſiue ſeruitutem conſtitui, affirmantibus. Et quod *Ariſtoteles* quidem, ad *facultatem & aptitudinem ſeruiendi*, adeoque ad qualitatem, ſeruum naturâ retulerit; Jureconſulti autem *conditionem ſeruorum & ſtatum* attenderint; ille in definiendo ſeruo *miniſterium & imperium*; *hi ius quod in ſeruitute & libertate eſt*, ſpectauerint; operoſius oſtendere aggreſſus eſt *Daniel Heinſius in erudita ad Richterum Iureconſultum epiſtolâ.* Sed ipſum rerum ſingularum naturam requirenti, neutra ex parte ſatisfactum videbitur. Igitur vt probe diſtinguantur in hac quæſtione ea quæ ſunt iuris, ab iis, quæ ſunt facti, origo & natura ſeruitutis à principio repetenda eſt. Non enim res in expedito erit, ſi dicamus, Ariſtoteles ita definiuit ſeruum, Jureconſultus ita definiuit: dixerit enim vterque, quod ſuo inſtituto opportunum erat; dixerit nec omnia, nec eadem eodem ſemper pertinentia. Ne minus perſpicua ſint, quæ dicemus, ſeorſum conſideranda erunt in ſerui-

tute,

tute, *Imperium in ſeruos*, & *Dominium in ſeruos*: tum etiam *Ius Naturæ*, *Ius Gentium*, & *Ius ciuile* circa ſeruos.

Quando de *imperio in ſeruos* ſermo eſt, vulgo obtinuit, vt ceu Ariſtotelica ſententia propugnaretur, naturam dare ei imperium, qui ad imperandum eſt aptus, in eum, qui non eſt aptus ad imperandum, ſiue qui nec ſe nec alios regere idoneus eſt. Sed, ſi hoc de iure accipimus & de origine iuris, falſum eſt. Imperium enim natura, proprie loquendo, absque pacto & mutua conuentione aut commutatione, ſimpliciter non dat, niſi in infantes, pueros, & furioſos, furioſiſue proximos: qui cum nullo modo ſe ſuasq; actiones regere queant, vt imperio aliorum regantur, ad quos cura de talibus ordine ſpectat, naturale eſt. Imperium porro in liberos, ſiue filios filiasque, tanquam partem Parentum, & familiæ, etiam poſtquam adoleuere, Natura ſancit, quatenus ratio ſocietatis Patriæ ſeu Domeſticæ poſtulat. Qui autem imperium affectant, quaſi naturâ domini, in eos, quos non deceat eſſe niſi ſeruos, id eſt ingenio hebetiore præditos, facto mero nituntur, non iure vel naturæ vel gentium, quod & *Grotius* notauit *infra II*, 22, 12. Figurata enim ſunt & oratoria, quando de hominibus lubidinem potius quàm rationem vitæ ducem ſequentibus, prauosque mores nullâ honeſti cura æmulantibus, cum poëtâ dixeris:

Reges & dominos habere debet,
qui ſe non habet.

Et in republica, cum ciuitas vitiis & diſſidiis ſe perditum it, mirum non eſſe creditur, ſi ſeruitutis jugum externus hoſtis imponat: eo, quod ordo fatalis, ſiue diuina voluntas ſoleat haud raro iacturâ libertatis punire tales; tum quod abuſos libertate & imperio, non indigne pati exiſtimes, ſi ſubiugentur, etiam vbi ſubiugantes non iuſte agant. Nam ex eo, quod alius libertatem ſuam ſeruili animo fert, neq; ſe vt oportet regit, alteri ius ſubiugandi aut ſeruum faciendi, non naſcitur. Falſiſſimum præterea eſt, totas nationes dari, ſeruili ingenio præditas, quod de Barbaris Græci per ſummam iniuriam extulerunt; cum plerumque culti Græcorum mores (vt iactabant) incultæ barbariæ collatione ſuperarentur. Neque etiam rectè δυλικὸς ſiue ἄξιος δυλεύειν habetur, quicunque non eſt ἡγεμονικὸς. Inter eum enim, qui eſt ingenio ad imperandum aliis, ſiue ad regendum ſe aliosque idoneo, & eum qui magis ad ſeruiendum eſt idoneus, quàm ad imperandum, aut plane non ad imperandum aptus, multi ſunt gradus interiecti: neque, ſi accurate agas, quiſquam ita deſcribendus eſt, quod ſibi conſulere, ſe regere nequeat, niſi infantes & furioſi ſtolidiue, de quibus ante. Sed nec imperium recte definit illa ſententia. etiamſi enim velis dicere; conuenientiæ eſſe, rationi naturali non repugnantis, ſi, accedente cauſa jus parere idoneâ, pareat ſapientioris imperio minus ſapiens: nondum conſtitueris imperium, vt in ſeruum, vt herile. Ita enim

& vxor

& vxor in contrahendo matrimonio, mariti tanquam ſapientioris & ad regimen domus inſtructioris, imperium ſubit, non tamen vt ſerua, heri. Neq; ſolo affectu hæc imperia diſtinguuntur, ſed neceſſitudinis gradibus; quos natura probat ac deſcribit. Nam de cetero, licet philoſophi interdum eodem modo hic ratiocinentur, tanquam de imperio naturaliter competente viris; ingens tamen diſcrimen occurrit, quod imperium mariti in vxorem non niſi conſenſus vxoris conſtituit; ſeruis autem etiam inuitis imperare volunt eos, qui ingenio imperatorio ſunt. Jam, ſi natura ſeruum iubet eſſe, qui corpore potius quàm animo valet, neq; ſe aliosue regere poteſt; euenire queat, vt talis eſſet pater, ingenio autem præſtarent liberi: atq; ſic liberi, vt primum ingenio vti poſſent, ius haberent imperandi Patri tanquam ſeruo. Quæ haud dubie monſtroſa ſunt. Equidem ordinem imperandi & parendi, etiam in primis illis ſocietatibus, naturalem eſſe, fatendum eſt; ſed non vno modo. Naturalis ratio poſtulat, vt parentũ imperium agnoſcant liberi, tum quia parentes habent auctores vitæ, tum quia pars ſunt domus; ad eum finem, donec egreſſi domo patria, ſuis rebus ipſi ſuperſint. Naturale eſt, vt vxor imperium aliquod mariti agnoſcat, ſed præcedente contractu matrimonii: in quo tamen contractu natura monſtrauit, rationem talis ſocietatis non aliter ſatis conſtare, niſi imperium aliquod, quale ſcilicet &

quantum ad finem ſocietatis ſufficit, marito daretur. Non æque facile, & intra eosdem lares, herilis imperii origo reperitur. Hoc enim exoriri non potuit, niſi poſtquam ex alia familia domoue, aliquis vel paupertate vel aliis cauſis adductus, ſuam operam addixit huic patrifamilias, ſub pacto victus accipiendi & obſequii præſtandi. Hoc pactum non poſtulat aut præcipit natura, ſed approbat, ſiue non impugnat. Et hinc eſt, quod *Grotius* perfectæ ſeruitutis hanc deſcriptionem extruxit: *ſeruitus perfecta eſt, quæ perpetuas operas debet, pro alimentis & aliis quæ vitæ neceſſitas exigit*: adiecitq;, *quæ res ſi ita accipiatur in terminis naturalibus, nihil habet in ſe nimiæ acerbitatis.* Neq; mutantur hi termini naturales; etiam ſi originem herilis imperii & ſeruilis obſequii à *belli iure* repetas, quod plerique maluerunt facere. Jus enim interficiendi in bello, neq; promiſcue competit in omnes, qui a partibus hoſtium ſunt; neq; in captiuos, ex præterito valet. Nam & ius naturæ captis parci vult; & cum jam ſeruorum numero adiecti ſunt, pactum interueniſſe intelligitur de imperio tolerando & victu accipiendo: non in infinitum & pro arbitrio heri, ſed intra terminos naturalis æquitatis; ne gentibus quidem prorſus ignoratæ: quamquam nomine juris gentium liberalius multa prætexi ſolent.

Nunc ergo, vt cœpimus dicere, disquirendum fuerit, *quale & quantum ſit, aut natura approbante,*

probantè, eſſe poſſit, imperium. Hic primo amoliendi ſunt, qui omni imperio ius vitæ & necis ineſſe, ſatis importune contendunt. Sicut enim *de omni ſummo imperio ac ciuili*, id vere dicitur: ita fallit de imperiis ſumo minoribus. Talia ſunt in ciuitate, imperium patrium, maritale, dominicum. In ſummo etiam in ciuitate imperio, poteſtas in vitam hominum, non crude & pro lubitu imperantium ineſſe intelligitur, ſed in quantum delicti modus, & neceſſitas finis ſpectatur. Vt autem imperium herile, extra ciuilem conſociationem conſideretur, nihil attinet. Etiamſi enim concipias Herum ſegregem, pluribus ſeruis imperantem, extra ciuitatem, nondum ei ſtatim ius vitæ & necis in ſeruos tribueris. Similitudinem quidem imperii agnoſcunt nonnulli in ſocietatibus primis & ſimplicibus, ad ciuile imperium; ſicut Ariſtoteles de imaginibus imperii regii, & ariſtocratici, in familia, mentionem iniicit. Sed idem iuris, nemo ex hac qualicunque comparatione exſculpſerit. Et quia de primis rerum progreſſionibus plus videre nobis licet, quàm illis, quibus omne tempus ante τὰ Τρωικὰ, ἄδηλον habetur; videmur affirmare poſſe; antiquos illos, quibus ius naturæ Deus ipſe interpretabatur ſingulari communicationis genere, nunquam imperio herili ius vitæ ac necis deputaſſe. Multo minus in conſtitutis ciuitatibus fieri potuit, vt, quod ſummi imperii proprium erat, ſubordinato tribueretur, niſi vicaria poteſtate, eaq; legislatio-

tione ciuili expreſsâ. Imperio itaque herili, ex ſuis originibus repetito, ineſt quidem facultas regendi, & coërcendi, ſed concluſa & reſtricta, partim neceſſitate finis in ſocietate herili ſpectati, partim harmonia & contextu corporis ciuilis. Sic e. g. inſtitutâ ſemel ciuitate, nemo poteſt vere dicere: ad finem ſocietatis herilis, neceſſarium eſt, vt hero ius vitæ & necis, in ſeruos tribuatur. imo vero id neceſſarium non eſt, cum ſocietatem iſtam tueatur ſocietas perfectior, & imperium minus ac particulare, ſuppleat maius & in ciuitate vniuerſale imperium. Neque ſane ius fas fuerit, vt pars ſibi vindicet jus totius.

§. 28. Quapropter vere *Grotius* negat, imperio herili jus vitæ & necis contineri. Si quid aliter *jure ciuili* ſtatutum eſt, illud non eſt huius loci. & quod *jus gentium* plerique in ore habent, cum de impunitate dominorum ſeruos male vexantium & interficientium loquuntur, illud partim ius proprie dictum non habendum eſt (quatenus ius licentiæ ſiue impunitatis, verum jus non eſt) partim ex falsâ hypotheſi, ſiue nimis laxâ interpretatione iuris bellici, originem trahit; partim facto & praua conſuetudine nititur. His enim fontibus debentur, extra terminos naturales, quæ vulgo circa extenſionem imperii herilis iactari videas.

Dominium (quod *proprietatis* vocant) *in ſeruos*, potiſſimum conſpici volebant ethnici, quod ſerui, vt aliæ poſſeſſiones venderentur, quod

quod nihil ſibi, omnia dominis acquirerent, & quæ ſunt huius generis alia. Apud *Dionem Chryſoſtomum* conquiruntur τεκμήρια Orat. 15.
ſeruitutis, quibus à libero ſeruus diſcerni poſſet; in his præcipuum & ἀναμφίλογον ponitur: ὃν ἄν τις κεκτημένος κυρίως, ὥσπερ ἄλλο τι τῶν αὐτοῦ χρημάτων, ἢ βοσκημάτων, ὥστε ἐξεῖναι αὐτῷ χρῆσθαι ὅ, τι βούλεται. οὗτος ὀρθῶς λέγεσθαί τε καὶ εἶναι δοῦλος τοῦ κεκτημένου. *quem quis herus poſſederit, ita vt liceat eo vti, ad quodcunque velit, ſicut alia re ſua aut pecoribus ſuis, eum recte & dici & eſſe ſeruum poſſidentis.* Sed hæc comparatio cum aliis rebus poſſeſſis (& nominantur mox; *domus, prædium, equus, bos*) non eſt crude accipienda: dominium enim in ſeruum, exercendum intelligitur, vt in naturam congenerem, vt in hominem, excluſis vſibus, homine indignis. Ipſa venditio ſeruorum, ſi ſeruitus intra terminos naturales, vt *Grotius* loquitur, accipiatur, fundamentum non inuenit. ſiue enim quis ſponte ſe dediſſet in ſeruitutem, niſi mos venditionis publico in vſu erat, dominum elegiſſe videtur certum, non incertos in infinitum dominos, ſiue bello iuſto iuſtè captus eſt aliquis, volenti venum ire dominumq; mutare, annuere queat herus; ſed inuitum vendere, præſertim iis emtoribus, qui ſæuitiam in ſeruos, iuris genus putant, durum fuerit. Rectius & æquitati naturali conuenientius, captor, ſi captiuorum operâ non vult aut non poteſt vti, eos dimiſerit, & in libertatem ſibi conſulendi reſtituerit: ſiue gratis, ſiue pactione alicuius mercedulæ, in quan-

tum dimiſſo fuerit poſſibile exſoluere, ſua aut ciuitatis ſuæ ope. Nam illa vulgaria hominum vendundorum emundorumque commercia multum habent inhumanitatis. Ita enim per omnia debere haberi ſeruum, etiam vbi ſeruitus in vſu eſt, ne cum iumentis ac pecudibus aliisq; rebus poſſeſſis in eodem cenſu ponatur, ipſa ratio dictitat. Nec male ſeruus ille ad herum, apud *Philemonem*.

ap. Stobæ. cap. 147.

κἂν δοῦλος ᾖ τις, οὐδὲν ἧττον, δέσποτα,
ἄνθρωπος οὗτός ἐστιν. ἂν ἄνθρωπος ᾖ.

Etiamſi ſeruus quis ſit, here, homo tamen is eſt, ſi homo ſaltem fuerit: ſufficit ſcilicet hoc nomen aduerſus iniuriam. Pulcre autem tractatur hic locus de vendendo ſeruo apud *Libanium ex perſona Hyperidis pro Demoſthene:* cum præceſſiſſet; in *vendendo ſeruo cunctamur & curioſi ſumus.* ſequitur de *emtore* conſiderando: ſi Peloponnenſis, ſi Græcus, ſi Byzantius, ſi Perinthius, emtor, venderem. φιλοῦντας ἕξει δεσπότας. καὶ, χάριν εἰδότας. ταχέως ἐλευθερωθήσεται. *habebit dominos amantes, & grate habentes quæ ſeruus fecerit: cito libertatem accipiet.* Hæc ſcilicet ad temperamentum iuris herilis naturale pertinent. Vnde & ſenſus ille æquiorum dominorum animis inſitus, de *perpetuitate* ſeruitutis remittendâ, pleraſque apud gentes. Bonos enim ſeruos manumitti, & libertatem tanquam ſeruitutis præmium & mercedem accipere ſolenne erat: malis perpetuitate ſeruiendi quaſi in pœnam cedente. Expreſſit hæc omnia *Simo Terentianus.*

Decla. 17.

Ego

Ego poſtquam te emi, à paruulo vt ſemper tibi *Andr. act. 1. ſc. 1.*
Apud me IVSTA & clemens fuerit ſeruitus,
Scis. feci ex ſeruo vt eſſes libertus mihi,
Propterea quod ſeruiebas liberaliter.
Quod habui ſummum pretium perſolui tibi.

At, inquis, nihil ita differet ſeruitus à famulatu hodierno, pactione operarum & mercedis conſtante? Bene. & hoc ipſum voluerunt veteres, quotiens à moribus & conſuetudine ad naturalem rationem, ſeruitutem voluerunt reuocare. *Ciceronis* notus eſt & celebris locus: *ſeruis, non male præcipiunt, qui ita iubent vti, vt mercenariis; operam exigendam, iuſta præbenda.* *1. offic. 13.* Et hoc iuſtitiæ deputat; quæ erga omnes homines, hominumque genera & gradus, conſeruanda eſt, vt amplius explicat *Seneca Epiſtola XLVII.* Nec aliud voluit *Dio*, cum diceret: χρὴ δεσπόζειν ἐπιεικῶς. ſine æquitate enim tali, ius heri in ſeruum ſumma eſt iniuria. Vnde lex Hebræa ad hos terminos, quos naturales vocat *Grotius*, ferè reduxit ius herile, ſeruiſque tolerabiliorem fecit conditionem ſuam, partim vindicibus aduerſus ſæuitiam dominorum demonſtratis; partim libertatis per interualla recuperatione, tum variis præceptis & ad humanitatem incitamentis: de quibus Sacer Codex. *Philo* etiam legem de ſeruis per vim occiſis explicans, repetit: θεράποντες τύχῃ μὲν ἐλάττονι κέχρηνται, φύσεως δὲ τῆς αὐτῆς μετὰ ποιοῦνται τοῖς δεσπόταις· τῷ δὲ θείῳ νόμῳ κανὼν τῶν δικαίων ἐστὶν, οὐ τὸ τύχης ἀλλὰ τὸ τῆς φύσεως ἐναρμόνιον. *de ll. ſpecial. p. 798.* *Serui fortuna quidem inferio-*

feriores, naturâ vero pares dominis ſunt. lex autem diuina regulam iuſti æquiq́ʒ, non fortunæ ſed naturæ congruentiam facit. Et alibi aduerſus ſuperba Herorum nomina imperiaque in hanc ſententiam diſputat: μισθωτός ἐστιν, ὦ ἄνθρωπε, ὁ λεγόμενος δοῦλος, καὶ αὐτὸς ἄνθρωπος ὤν, ἔχων πρὸς σὲ τὴν ἀνωτάτω συγγένειαν. *Mercenarius eſt, ò homo. qui ſervus dicitur, & quidem homo & ipſe exiſtens, eoq́ʒ nomine ſumma te cognatione attingens.* Et mox: ὡς μισθωτῷ προσφέρου, τὰ μὲν διδοὺς, τὰ δὲ λαμβάνων. παρέξει μὲν οὖν ἐκεῖνος ἀοκνότατα τὰς ὑπηρεσίας ἀεὶ καὶ πανταχοῦ μηδὲν ὑπερτιθέμενος, ἀλλὰ φθάνων τὰς σὰς ἐπικελεύσεις τάχει καὶ προθυμίᾳ. σὺ δ' ἀντιδίδου τὰς τροφὰς, καὶ ἐσθῆτα καὶ τὴν ἄλλην ἐπιμέλειαν. μὴ καταζεύξας ὡς ζῶον ἄλογον, μηδὲ πλείοσι καὶ βαρυτέροις τῆς δυνάμεως ἄχθεσι πιέζων, μηδ' ὑβρίζων, μηδ' ἀπειλαῖς καὶ ἐπανατάσεσιν εἰς χαλεπὰς δυσθυμίας ἐφελκόμενος. *Tanquam cum mercenario age; alia quidem dando, alia inuicẽ accipiendo. nam ille quidem miniſteria ſemper & vbiq́; nihil cunctabundus ſtrenue obibit, alacritateq́ʒ & celeritate tua iuſſa praueniet: tu vero rependes ei alimenta, & amictum; ceteramq́ʒ de eo curam ſuſcipies. minime vero iugum tanquam animali bruto impones, neq́ʒ pluribꝰ maioribusq́ʒ quàm ferre queat oneribus premes, aut contumelia afficies, minisue & terroribus graues ei angores incuties.* Adiiciuntur alia, interpretandæ & commendandæ æquitati in ſeruos naturali idonea. Chriſtiani quoque, ſublatis, quæ aliunde acceſſerant ſeruitutisque & nomen & rem exaſperauerant; non exemplis

de ſepten. & feſt. p. 3182.

plis & conſuetudine, ſed ratione naturali metienda herilia imperia dominiaque, additis ex ipſa Chriſti diſciplina præceptis, argumentisque, demonſtrare ſtuduerunt. Quod autem attinet ad *Busbequij*, de ſeruitute vtiliter reuocanda, conſilium, cuius in *Annotatis*, *Grotius* meminit, id quo pertineat, non obſcurum eſt: nempe aduerſus *mendicantes*, & vagari temere ſolitos. Addit, *præſertim publicam ſeruitutem*, ſe ſpectare: ſcilicet; ſi nihil habentes quod agant, & vagæ mendicitati inhiantes, in ſeruitio publico teneantur, publice opus faciant. Addit de *iuſta & clementi ſeruitute* ſe loqui. ſequitur, *qualem Romanæ leges præſcribunt.* Id vnum eſt, de quo dubitari queat. illas enim Chriſtianis duriores viſas eſſe, ſatis conſtat. niſi quod in *ſeruis pœna* facilius viderentur locum inuenire. Poſſet ad eundem, quem nonnulli ſpectant, ſcopum perueniri: ſi homines otioſi & inopes ad opus faciendum publice pro victu, adigantur: facinoroſi, ſed durioribus legibus, itidem in opere publico teneantur, potius, quàm extra territorium iudicis ablegati, alibi mendicis graſſatoribus, & facinoroſis ſe aggregent, nouamque ſcelerum ſeriem auſpicentur. Sed redeundum eſt ad id, quod agimus.

Liquere enim nunc arbitror, *naturâ neminem ſeruum eſſe:* quotiens nobis ſeruus & dominus, vocabula iuris ſunt, ſicut in hac diſputatione eſſe debent. Vnde nec originem ſeruitutis ab hiſtoria, quatenus licuit, arceſſentibus

tibus tantum audaciæ fuit, ut naturæ ductum allegarent: ſed ad factum aliquod humanum, vnde conſecuta eſſet ſeruitus, ſuas cogitationes retulerunt. Apud *Dionem Chryſoſtomum* diligenter enumerantur *modi inducta ſeruitutis.*
orat. 15. in his *antiquiſſimus* dicitur (παλαιότατος, πρεσ-
pag.242.e- βύτατος ἁπάντων τρόπος) *vnde ceteri modi pende-*
dit. Pariſ. *rent, ſi quis quem bello aut latrocinio, captum pro*
gr. l. *ſeruo detineret.* τοὺς γὰρ πρώτους γενομένους δούλους, οὐκ εἰκὸς ἐκ δούλων φῦναι τὴν ἀρχήν· ἀλλὰ ὑπὸ λῃστείας ἢ πολέμου κρατηθέντας, οὕτως ἀναγκασθῆναι δουλεύειν τοῖς λαβοῦσιν. *Qui enim primi facti ſunt ſerui, eos non eſt veriſimile ex ſeruis ab initio natos, ſed latrocinio bellone victos, vt captorib⁹ ſeruirent, coactos eſſe.* Ex tali facto, latro quidem nullum ius conſequitur: victor autem belli iuſti, quod ius habeat interficiendi omnes in poteſtatem redactos, vulgari potius errore, & inde diſperſo rumore per gentes increbuit, quam vera aliqua iuris, quod natura dictat, explicatione. Vnde non promiſcue, nec in omnes, ius dominii nactus cenſeri debet victor ex eo capite, quod cæde ſibi licitâ permutaſſet ſeruitutem, & libertatis iacturam victos quàm vitæ maluiſſet facere. ergo ex alio capite, victos ſeruos poteſt facere? Hic ſi ad eam rationem aut ſimilitudinem velis reſpicere quæ in ſeruis pœnæ conſpicitur; occurretur tibi non leuibus momentis: multa eſſe, quæ non promiſcue patiantur omnes victos eadem pœna plecti (loquamur enim nunc ita comparationis cauſa, quamquam alias pœna proprie dictæ alte-

alterius generis ſit) tum, non ſemper ad conſequendum ius ſuum quaſi ad modum debiti exigendi à victis, opus eſſe ſeruitutem captis imponere. Sed ita gentes tamen conſenſerunt, captos iuſto bello, non iniuſte in ſeruos redigi? Hic ergo iam *alius fons eſt iuris:* & quidem ita æſtimandus, vt nec præiudicare iuri naturæ poſſit, nec ſecure & auide citra diſtinctionem arripi debeat. Qui accurate vellet agere, forte diceret triplicem eſſe de iure gentium ſentiendi loquendiq; rationem: *primo*, vt eſt gentium aliquo vſu humanitatis excultarum plerarumq;, neq; à iure naturæ longe diſcedit; *deinde*, vt eſt, plurium gentium ius ciuile poti⁹, quàm proprie dictum ius gentium; *tertio* vt mores & facta potius quàm ius multarum gentium notat, quamuis illi mores & facta iuris nomine prætexantur. In *primo* genere, non præſumendum eſt in dubio, gentes voluiſſe iuri naturæ contraria, aut ab eo longe diſcedentia ſtatuere; adeoque iuſto etiam bello non niſi moderatam nec inhumanam ſeruitutem probaſſe, id eſt, quæ ad naturæ & rationis dictata exigi ſe pateretur. Licet enim ius naturæ nemini ſeruitutem primo decernat, à conſequenti tamen ſeruitutem contractam moderatur, & ex internis ac domeſticis principiis interpretatur, ſicut ante oſtenſum eſt. In *ſecundo* genere, ad vtilitatum ſuarum rationes ius naturæ liberalius vel trahere vel interpretari vel etiam præter propter illud decernere gentes ſolent: ſicut & in ſingulis ciuitatibus

bus ad hunc modum iura ciuilia, vt de aliis rebus, ita de ſeruis conſtituebantur. *Tertium* gen⁹ late patet, & ſolâ auctoritate exemploque ius ementitur; vt quæ vulgo apud gentes in imperio dominioque in ſeruos aſpere, duriter, ſæuè fiunt, iuris gentium nomine præſcribantur. cum præſertim gentes diſſimulare talia, propter vtilitatem aliquam ſuæ reipublicæ videantur. quæ diſſimulatio, pro diuerſo habitu temporum rerumque, modo ad ſecundum genus propius accedit, modo tertii generis cenſum ſubit, meroque facto æſtimatur. Apparet ex his, non eſſe obuium aut ſimplicem intellectum eius locutionis, cum circa ſeruos aliquid *iure gentium* fieri dicitur. interdum enim ius impunitatis, id eſt, vera æſtimatione nullum ius, intelligitur. quod in pluribus argumentis non ſemel *Grotius* monuit. Apparet amplius: nomine & obtentu iuris gentium, non deleri aut tolli ea, quæ circa ſeruos faciendos & tractandos, ius naturæ præcipit, apud ipſum *Grotium* III, 14. contra III, 7. Vt huius generis tricæ & confuſiones ſub exemplo cognoſcantur, iuuerit inſpexiſſe quæ *Fernandus Vaſquius* diſputat de illa quæſtione: *an ſeruitus iuſta etiam ex bello iniuſto oriri poſſit?*

Controu. illuſt. lib. 1. *cap.* 9. §. 14. *&c.*

§. XXIX. De prole ſeruorum captiuitate in hanc conditionem redactorum, agit amplius *lib. III. c.* 7. §. 2. Sed quid iure naturali hac in re ſit conueniens h. l. diſquirit: & hac occaſione, illam regulam, *quod partus ventrem ſequatur*, ex inſtituto, non à naturâ venire, oſtendit

ſtendit rationibus, & (in *Annotatis*) diuerſitate inſtitutorum legumque. addi debet *II*, 8, 18. *& Selden. de I. N. & G. VI*, 8. Eſt autem hic potiſſimum quæſtio de *ſeruitute voluntaria*: vbi ponendus eſt caſus dubitationis; & quidem extra mores legesque: qui enim ibi, vbi mos aut lex eſt, ſeruitutem in liberos tranſire à parentibus, ſe in ſeruitutem tradidit, videtur vtique conſenſiſſe in prolis ſuæ ſeruitutem. Sed ſi extra hæc ita dubitetur; hic ſe tradidit cum vxore in ſeruitutem, neque de futura prolis conditione quicquam dictum eſt, quid iuri naturæ propius videtur? putandusne eſt tacite prolem eadem conditione damnare voluiſſe? poſſis dicere, hanc voluntatem in parentibus non præſumendam, ſed interpretationem, vt in re odioſâ, reſtrictius faciendam. an autem hinc ſequatur, quod *Grotius* dicit, dominum tum demum teneri ad libertatem proli reddendam, ſi pro alimentis, quantum ſatis eſt accipiat; illud hac de cauſſâ dubitabile fit, quia qui ſeruos coniugatos recipit, neq; de prole probabiliter extiturâ nominatim aliquid paciſcitur aut excipit, is alimenta etiam proli promiſiſſe videtur, non vt ſeorſum imputanda, ſed vt partem in parentum alimentis comprehendenda. Quo ſenſu peculiari compenſatione opus non eſſet. Sicut apud *Hebræos, addicto, vxori eius & liberis ex ea ſuſceptis, victum, veſtitum, & domicilium præſtabat dominus, cui tamen neq; hi neq; illa ſeruiebant. Selden. VI*, 7.

De *fuga ſerui voluntarii*, etiam infra III,7,6. & diximus aliquid in *Milite captiuo*. Quanquam ſerui bello facti, alia hîc cauſa videtur, quàm voluntarii, notante etiam *Vaſquio Controu. Illuſtr. lib.* 1. *c.* 9. §. 21. *&* *c.* 10. §. 1.

§. XXX. De *imperfectis ſeruitutibus* ita hic agit, vt oſtendat, illas, licet legis ciuilis inuenta ſint, naturali quoque æſtimatione pro plena ſeruitute aut plena libertate haberi non poſſe. Et de libertis quidem apud Romanos, diuerſorum temporum diuerſa inſtituta fuerunt. & diſtinguitur apud *Suetonium libertas*, & *libertas iuſta*. ridetur etiam *libertus*, *ius ingenuitatis*, mutato nomine affectans. Vide quæ de libertis ciuitatis capacibus aut incapacibus habet *Arniſæus relect. Polit. lib.* 1. *cap.* 5. *ſect.* 10. §. 17. &c. Apud Germanos veteres, (teſte *Tacito in Germ. c.* 25.) *liberti non multum ſupra ſeruos erant*. Diſtinguit notabiliter, *libertos plenam libertatem adeptos*, & illos, *qui adhuc obſequiis erga patronos tenerentur*, Synodus Toletana apud *Burchardum*. *Quicunq; libertatem à Dominis ſuis ita percipiunt, vt nullum ſibimet in eis obſequium patronus retentet; iſti, ſi ſine crimine capitali ſunt, ad clericatus ordinem ſuſcipiantur, quia directa manumiſſione abſoluti eſſe, noſcuntur: qui vero retento obſequio manumiſſi ſunt, pro eo quod adhuc patrono ſeruituti tenentur obnoxii, nullatenus ſunt ad eccleſiaſticum ordinē promouendi, ne quando voluerint eorum domini, fiant ex clericis ſerui.*

in Aug. c. 40.

in Veſp. c. 23.

lib. 2. *c.* 25.

Statu liberi, qui ſtatutam in tempus vel conditio-

ditionem, libertatem habent, & quorum conditio ambulatoria eſt, vt loquitur *Papinianus l. 37. D. de ſtatu lib. Gloſſarium vetus: ſtatu liber*; ἐλεύθερος χρόνῳ κατὰ διαθήκην ἀφεθείς. *ſtatu libera* (hactenus enim recte *Vulcanius* corrigit) ἐπικεκαμμένη τὴν ἐλευθερίαν.

Nexi, ob æs alienum. an & aliam ob cauſam? Ita *Iacob Gothofr.* in Notis ad Tab. IX. fragm. XII. Tabb. vbi *nexos* à *ſeruis* diſtinguendos eſſe traditur. Nam eorum, vt & addictorum, temporaria ſeruitus ſolutione eius, quod debebatur, expirabat.

Addictus deſcribitur & à *ſeruo* luculente diſtinguitur apud *Fabium Quinctilianum, de Finitione: Circa propria & differentia, magna ſubtilitas. vt, cum quæritur, an addictus, quem lex ſeruire donec ſoluerit iubet, ſeruus ſit; altera pars finit ita, ſeruus eſt qui eſt iure in ſeruitute; altera, qui in ſeruitute eſt eo iure quo ſeruus; aut, vt antiqui dixerunt, qui ſeruitutem ſeruit. Quæ finitio etiamſi conſtet æquo, niſi tamen propriis & differentibus adiuuetur, inanis eſt. Dicet enim aduerſarius, ſeruire eum ſeruitutem: aut, eo iure, quo ſeruum. Videamus ergo propria differentiaq; liberorum, quæ libro quinto leuiter in tranſitu attigeram. Seruus cum manumittitur, fit libertinus: addictus, receptâ libertate eſt ingenuus. Seruus inuito domino libertatem non conſequitur: addictus, ſoluendo, citra voluntatem domini conſequitur. Ad ſeruum nulla lex pertinet: addictus legem habet. Propria liberi, quæ nemo habet niſi liber, prænomen, nomen, cognomen, tribum: habet hæc addictus.* Inſtit. orat. lib. 7. c. 3. cap. 10.

Glebæ adſcripti, *aſcriptitii glebæ*, ὁμόδουλοι τῷ ἀγρῷ, qui cum agro ſeruiebant domino & cum fundo alienabantur. non plane ſerui ſed quaſi ſerui. deterioris conditionis, quàm coloni cenſiti: vt oſtendit, & loca de aſcriptitiis & originariis colligit *Tholoſanus Syntagm. I. V. lib.* 14. *cap.* 10. §. 9. *& lib.* 18. *cap.* 23. §. 6. & 7. Addi poteſt *Cuiac. ad lib. IX. Cod. tit.* 47. & *Perezius ad eund. tit.* qui, Gallorum *hommes de main morte* (de quibus mox) accipit. Ad mores autem Germanorum retulerunt, qui de *propriis Germanorum hominibus* ſcripſerunt, vt commentario ſingulari *Huſanus*, *Gailius de pignorat. obſ.* 8. *Arniſæus relect. polit. lib.* 1. *c.* 3. *ſect.* 9. *Wehnerus voc.* Leibeigen/ *Lehmannus*, *Stumpfius*, *Goldaſtus*, deſcripti, pluribus nominibus additis à *Beſoldo in Theſ. pract. v.* leibeigen/ & *Speidelio voc. eodem.* vbi & recentiorum controuerſ. mentio. *Gryphiander* exiſtimat, magis eos ex ſeruis Romanis, quàm ex moribus Germanorum participare *œconom. legal. lib.* 1. *c.* 4. §. 23. elegans in vtramque partem quæſtio, copiâ & contentione rationum. Adde omnino *Acta Lindauienſia, anno* 1643. *edita*, vbi multæ huc pertinentes quæſtiones non indiligenter tractantur.

De *ſeruitute Hebræorum*, *& redeunte dominio ſui ſeu libertate*, videnda quæ *Seldenus* habet de I. N. & G. lib. 6. c. 7. 8. 19.

Peneſtæ non eodem modo accipi ſemper, ſciunt, qui veteres legerunt. Ad *imperfectæ ſeruitutis* conditionem retuleris, quæ de primis Pene-

Peneſtis apud Theſſalos, & pactione reciproca horum cum illis memorantur. Interdum enim vox tribuitur bello ſubactis plenamque ſeruitutem ſeruientibus. vid. *Athenæus lib. 6. c. 7. Pauſan. in Lacon. Strabo lib. 6. & 8. Suidas* v. *πενέσται.* &c.

Manus mortuas, diuerſo ſenſu legi conſtat. *Bodinus lib. 1. de Reb. c. 5.* de occaſione ſublatæ ſeruitutis differens, *Principes Chriſtiani*, inquit, *paulatim ſeruitia manumiſerunt, exceptis operis & iure ſucceſſorio, ſi liberti ſine liberis mortem obirent; quos quidem manus mortuas etiam appellamus.* Et ſubinde: *Quod legimus Ludouicum Regem, eum, inquam, qui Hutinus vſurpatur, anno 1313. ſeruos omnes accepto pretio manumiſiſſe, id ego interpretor de libertini generis hominibus, quos manus mortuas appellamus; qui liberantur beneficio Principali ab eo ſeruitutis vinculo, quo quidem extra patroni territoriũ vxorem ducere bonaue prohibentur alienare.* Interdum *Manus mortua* legis nomen eſt, aut pacti, conditionisue, ſicut vides *in Gloſſario Lindenbrogii ad Codicẽ LL. antiquarum. In Gallia*, inquit *Gryphiander, manus mortua dicitur, quando grex ita datur, vt nunquam moriatur, notatione a contrario, vt apparet, cũ rectius man⁹ non mortua diceretur. Germani vocant* Eiſern Vih/wehrung/ *quaſi pecora perpetua & æſtimato data.* Videantur *Wehnerus voc.* Eyſeren Vihe/ & *Beſold. Theſ. Pract. v. eod.* Apud *Miræum in Diplomatibus Belgicis lib. 1. c. 80.* Henricus II. Lotharingiæ Brabantiæque Dux à ſeruitute manus mortuæ aliisque one- *in œcon. leg. lib. 1. cap. 17. §. 220.*

 ribus

ribus anno 1247. ſuos vaſallos liberat. verba Diplomatis ſunt: *terram noſtram, quam nunc poſſidemus, ab illa exactione ſiue extorſione, quæ vulgariter dicitur Mortua manus, abſoluimus & quitamus. Antonius Dadinus Alteſerra* aliam ſignificationem ex Anglicana hiſtoria affert: *legem porro ad manum mortuā vocarunt, quod res ſemel quæſita Monaſteriis, velut mortuæ commercio in perpetuum eximuntur, & hanc legem tenaciſſime in Anglia ſeruari, ſcripſit Polydorus Virgilius.* Vnde illa, ad *ius ammortizationis* refert.

De Ducib. & Comit. prou. Gall. lib. 1. c. 18.

§. XXXI. De *publica ſubiectione perfecta*, ſupra egit I, 3, 8. & 12. de *imperfectâ I, 3, 21. & ſeqq.* Addendus *Bodinus de Rep. I, 9.*

§. XXXII. Dixerat ſupra: *ius in perſonas originarie acquiri generatione, conſenſu, delicto.* De prioribus egit: nunc addit aliquid, de *ſubiectione ex delicto*, vbi *ſubiectionis* vocabulo videtur *ſeruitutem* notare: ſiue *capitis ſummam* præſcriptam, ſiue verba *huius §. pleraq;* ſpectes. Et quæ ad priuatam quidem ſeruitutem pœnalem ſpectant, facilius ſe explicant, & ad religionem iudicis ac iudiciorum pertinent. Quare pro modo delicti, vt ipſe monet, vel perfecta vel imperfecta (vbi rurſus diuerſis gradibus locus eſt) ſeruitus decernitur; ac interdum quidem in perpetuum, interdum ad tempus; vt antea in addictis vidim⁹. cuius generis in *Lege Baiuuariorum* conſtituitur, *vt alodem quidem & vitam ſine capitali crimine* (ibi expreſſo) *nemo Baiuuarius perdat; cetera vero quæcunq; commiſerit peccata, quouſq; habet ſubſtantiam componat ſecundum*

Tit. 2. c. 1.

dum legem; ſi vero non habet, ipſe ſe in ſeruitio deprimat, & per ſingulos menſes vel annos quantum lucrare quiuerit, perſoluat cui deliquit, donec vniuerſum debitum reſtituat.

Inter exempla ſeruitutis pœnalis priuatæ, nominantur hic *feminæ, quæ ſe ſeruo alieno iunxiſſent.* de quibus in *Senatusconſulto Claudiano* conſtitutum erat à Claudio Imperatore apud *Tacitum*, & poſtea amplius à Veſpaſiano apud *Suetonium*. Sed *Taciti* quidem locus *Veſpaſ. c. 11.* pæne pro deplorato eſt. Quare *Curtius Pichena*, *12. A. 53.* manum abſtinere, ſanum conſilium cenſens, id tantum annotauit, in *Codice Florentino* abeſſe illa verba, *& qui nati eſſent*; legique *in ſeruitute ſui conſenſiſſent pro libertis haberentur.* Vnde *Lipſius* Farneſiani codicis ductu fecit: *vt ignaro domino ad id prolapſa, in ſeruitute; ſi conſenſiſſet, pro liberta haberetur.* Quod cum confidentius factum videretur *Hippolyto à Collibus, ſub aſſumto ſchemate Pompeii Lampugnani*, inter alia, impugnauit; lectionemque haud dubie audaciorem ſubſtituit. Reſpondit Lipſius, & potiſſimum auctoritatem *Cuiacii*, qui Lipſianam emendationem probauerat, in eximiâ diſſertatione de SCto Claudiano, obtendit. *diſpunct. Cod. Mirand. obſeru. lib. 21, c. 16.* *Ludouici Aureliani* (infelicis plerumque critici) iſta eſt correctio: *ſtatuiturq́; vt ignaro domino ad id prolapſa in ſeruitute eſſet: ſin conſenſiſſet, & ea & qui nati eſſent, pro libertis haberentur.* Interpres Italus *Bernardus Dauanzatus*, totum locum in hunc ſenſum reformat: *Relatione facta ſtatuitur pœna in Libertas, quæ*

abſq; venia patroni, ſe coniunxiſſent ſeruis, vt redirent in ſeruitutem; ſed, qui nati eſſent, inde liberti haberentur. Sed quin *dominus* hic non ad fœminā, ſed ad ſeruum, cui fœmina coniungeretur, referri debeat, nec pro *patrono* ſumatur, eruditis vix vnquam poſſit fieri dubitabile. hæc in tranſitu. Particula de liberis, ſi retinenda eſſet, ſpectaret fauorem liberorum, & matris conditioni, in qua ante coniunctionem indignam fuerat, eos propius admoueret. Seuerius *Lex Wiſigothorum*, ſi *mulier ingenua ſeruo alieno ſeſe coniunxiſſet*, decernebat in illis verbis: *Filii tamen & quandocunq; & quanticunq;, qui ex ea iniquitate fuerint procreati, conditionem patris ſequantur, vt in ſeruitio permaneant: facultatem vero mulieris propinqui ſui legali ſucceſſione conquirant.* Additur quidem temperamentum de recuperanda ingenuitatis conditione, ſed valde difficile.

lib.3. tit.2. l.3.

De *publica ſubiectione*, primo meminiſſe debemus, illam non poſſe ſemper imponi victis, tum quatenus imperii non-herilis æſtimatione venit, & omnino obſeruari debere, quæ *Grotius alibi* præcipit; tum multo minus, quatenus ſeruitutis ſignificationem habet. Quare nec *per ſe populi ſeruitutem ſemper perpetuā eſſe* poſſe, apparet. imo fortaſſe nunquam abeſſe debebat etiam inter ethnicos temperamentum illud iuris bellici vulgo dicti, quo populi victi, quantamcunq; meriti vindictam, poſt toleratam ſeruitutem certi temporis, ad conditionem ſeruitute meliorem traducerentur.

lib.3. c.15.

IN

De acquiſitione deriuatiua facto hominis; vbi de alienatione imperii, & rerum imperii.

§. I. & II. Acquiſitione originaria quomodo aliquid noſtrum fiat, ſiue primum à nobis acquiratur, hactenus disquiſitum eſt. nunc quomodo transferatur dominium, & noſtrum aliquid fiat acquiſitione deriuatiua, exponitur *hoc* & *ſequenti capitibus*: *hoc* quidem, quomodo facto hominis; *ſequenti*, quomodo facto legis.

Alienandi poteſtatem ineſſe in dominii, pleni ſcilicet perfectique, naturâ recte hic dicitur. Qui dominus rei eſt, poteſt eam, vel ſibi retinere, vel ad alium transferre, libere. ad vtrumque enim indifferenter ſe habet illa poteſtas. Vnde, ſicut vendere rem ſuam, quæ commercii capax eſt, nemo prohibetur; ita *ab inuito emere, iniurioſum eſſe, Cicero* dixit. *de l. agrar. orat. 1. c. 5.*

Illa alienandi voluntas porro & conſenſus, declarari debet, modo idoneo & ſufficiente. Quo facto, naturaliter abſoluta & conſummata videtur alienatio, ita vt alienans ceſſiſſe ſuo iure quod in re ſua habuerat, & alii illud conceſſiſſe vel in alium tranſtuliſſe, credi poſſit, ſi alius ille acceptare ſe declarauerit. Quo modo autem idonee & efficaciter voluntas ali-

enandi acceptandiq; & conſenſus declaretur, amplius quæritur. Atq; hic cōmunis & vera reſponſio eſt:non ſolo actu interno hoc fieri poſſe, ſed requiri verba, & ſigna externa ſufficientia. Nam quod *Scholaſtici* quærunt, & vacillante calamo de actu interno diſputant, nec expeditur illorum concertationibus, nec vſum habere maiorem, quàm abuſum cernitur, ſicut colligas ex *Ludouico Molina*, qui ita format quæſtionem: *vtrum ſecluſa diſpoſitione iuris ciuilis ſtandoq́ ſolum intra limites iuris naturalis, donatio mere interna, qua quis diceret ſecum, dono talem rem meam Petro, aut promitto Petro me daturum illi hanc rem, obliget in foro conſcientiæ ſic donantem aut promittentem, ad manifeſtandam Petro donationem, aut promiſſionem eo modo factam, atq́ ad tradendum illi eam rem, ſi illā velit accipere, donationemq́ aut promiſſionem acceptare: ita quod Petrus vi talis donationis aut promiſſionis internæ ſibi factæ, comparet ius ad illam rem, haud diſſimile ei, quod heres ſiue ex teſtamento, ſiue ab inteſtato comparat ad bona defuncti, eo ipſo, quod ille è vita diſcedit.* Quis autem non videt mutari ſtatum quæſtionis, cum non de interna modo promiſſione, ſed externa eius manifeſtatione hic agatur? ſine qua quoniam illa interna promiſſio aut donatio conſummari non poſſet, (quis enim locus acceptationi ab altera parte, vbi nihil à volente dare, ſignificatum eſt?) idem dicitur, quod modo dicebatur: voluntatem alienantis in hoc negotio non niſi per verba & ſigna externa intel-

Tract. 2. diſp. 266. ſe 8.

intelligi accipique poſſe. Quod ſi ad obligationem Deo factam internos illos actus referre velis, ſubtili partitione opus erit, vt ea, quæ definiri poſſunt, ab illis, quæ nec definiri, nec ſatis dignoſci queunt, diſtinguantur. Nam ſicut ea, quæ ad rationem voti quodammodo accedunt, facilius, quo valeant, diiudices; ita pleraque in varietate infinita internorum actuum, inexplicabilia ſunt. Dixerit quis ſecum: Si Deus ex hoc, in quo verſor, periculo me eripuerit,ad celebrandam diuini auxilii memoriam pauperibus donabo centum numos Imperiales. quoniam Deum huius internæ promiſſionis teſtem habet, & arbitrum feciſſe intelligitur, non poteſt nulla videri obligatio apud Deum. ſed,quid ſi cogitatione vaga minimeque deſtinata, aut ſupra vires patrimonii, & cum certo ac euidenti periculo paupertatis ſuis liberis conſciſcendæ, adeoque temere, tale quid animo agitauit? neque finem proſpiciet, ſi quis hæc velit cogitando perſequi, quæ circa internos actus varie poſſunt incidere, vix comprehendi, nedum explicari idonea. Quare ſcrupuli non ſunt multiplicandi in talibus, cum vel ipſe *Molina* fateri cogatur, *quod ea quæſtio parum vtilitatis habeat ad praxin.* cuius generis ſunt etiam illa, quæ de acceptatione, quaſi non neceſſariâ naturaliter, iaciuntur.

Declaratio autem *externa voluntatis*, hactenus firmata, & naturaliter neceſſaria, *qualis eſſe debeat, vt ad transferendum dominium ſufficiens videatur*, nunc amplius diſquirendum eſt,

&

& infra ab ipſo *Grotio*, vbi de *promiſſis* agit, diſquiritur. Neque enim ſufficere dixeris verba vaga, ambigua, obſcura, rem non ſatis exprimentia, in eo, de cuius voluntate alienandi quæritur. ſicut nec acceptaſſe videtur, qui ſubfrigide & vix cum aſſenſu, aut nutu geſtuue ambiguo, aut ſilentio excepit ſermonem dantis ſiue dare volentis. Hæc enim ad obligationem inducendam, etiam naturaliter parum ſunt idonea. certa & clara, & extra omnem ſuſpicionem aut querelam incertæ voluntatis poſita, afferri verum eſt, vbi de actu obligante quæſtio mouetur. Quapropter Jureconſulti, cum viderent hunc locum cauillationibus, dolis, circumuentionibus obnoxium eſſe, externam illam ſignificationem voluntatis, vt efficax eſſet, ad titulos & formulas conuentionum & contractuum retulerunt, vt hæc alienatio emtionis, illa donationis titulo, & ſic in ceteris, inſignita noſceretur. Imo, nec verbis contractum, niſi Traditio rei alienatæ accederet, conſummari negotium ſtatuerunt. Hebræorum quoque iure ciuili *ex nudo verborum contractu nihil omnino transferebatur: & prædia, emtoris ita demum fiebant, ſi aut nummis datis, minimum argenteo ſeu ſiclo, aut ſyngrapha teſtimonio, aut corporali, poſt contractum aut ſub ipſo, poſſeſſione, ea adquiſiuiſſet. vbi horum nullum, irrita plane ibi venditio.* apud *Seldenum*. *de I.N. & G. lib. 6. c. 5.*

In hoc iam, quatenus ius naturale à ciuili diſcrepet, videndum. Quando enim *voluntas alienandi*, vel in tantum, vel in totum, clare &

re & determinate expreſſa, ex vna parte, ex alterâ, *voluntas acceptandi* itidem citra ambages ſignificata; adeoque mutuus conſenſus ſatis manifeſtatus eſt: nihil amplius requiritur naturali iure ad translationem dominii. Ius ciuile autem, *Traditionem* inſuper requirit. Quæ tamen, quod translatione dominii in ſe ſpectatæ non ſit intrinſeca & quaſi eſſentialis, ſed vtilitatis ciuilis ergo addita; hoc videtur modo intelligi poſſe: quod ipſi Jureconſulti, in quibuſdam caſibus traditionem non requiri fatentur, quos enumerat *Grotius infra*, & latius *Molina*. Facit autem ad lites dominii cauſa præuertendas (quarum infinita ſeges ſubnaſceretur alias) vt non nudis pactis, ſed pactis ſiue contractibus alienationem iuſto titulo conſtituentibus, & traditionibus exercitium iuris in re alienata porrigentibus, dominia rerum transferantur. Hinc *Traditionum* variæ formulæ & ſymbola, de quibus aliqua conſignauit *Hieronymus Bignonius ad Marculfi Formulas*, & (qui omnino videndus) *Gottefridus Wendelinus in Gloſſario Salico voc. Feſtuca vel etiam Fiſtuca. Iure* autem *natura* non eſt neceſſaria traditio (inquit cum *Grotio*, *Leſſius*) *eſt tamen rationi conſona, quia ſicut, vt poſſim re aliqua vti naturaliter, requiritur, in me, vis vtendi; & in re conueniens applicatio: ita vt poſſim vti re aliqua moraliter tanquã dominus, requiritur ex parte mea aliquod ius per contractum aliquem vel ſimilem modum; & ex parte rei, debita applicatio; quæ ſit per traditionem vel apprehen-*

II, 8, 25.

Tract. 2. diſput. 3. §. 18.

ad lib. 1. c. 83. p. 473. & ſeq.

lib. 1. c. 5. dub. 3. §. 12.

henſionem. Apparet, hæc de vſu & exercitio dominii dici: ad quod traditio, iure iam translato, veluti manu ducit accipientem. Neque
ad h. l. & c. 8. §. 25. aliud videtur velle doctiſſimus *Feldenus*, cum *Traditionem iure naturæ requiri ad alienandũ*; & *alienanti imperfectum quoddam dominiũ ante traditionem ſupereſſe* contendit. Nam iſta *facultas exercendi actũ dominii, circa rem*, poſt contractum, qui alienationem importat, ante traditionem; vera æſtimatione, non eſt facultas domini, neque *traditio actus dominii vltimus*, ſed potius abdicationem dominii, quod alienans habuit: & promulgationem dominii; quod accipiens habet, ſignificat.

§. III. De *Imperiorum alienatione*, grauiſſima hîc incipit diſputatio: illis nixa principiis,
lib. 1. c. 3. §. 11. & 12. quæ *Grotius ſupra* poſuerat de *regnis patrimonialibus*, & *regibus vſufructuariis*. Non dici illa accurate ſatis, ſed per comparationis quandam licentiam, iam notauimus, & *vſufructuarii* præſertim appellationem periculo non carere, oſtendimus. Quod ſi & *proprietatis* vocem ad modum priuati iuris in terminis ſtrictiſſimis velis capere, neque illa ſatis argumento commoda aut idonea erit. Illud quoque non exquiſite dici monuimus, quod alienandi poteſtas ex modo accipiendi imperii, per electionem, ſucceſſionem, victoriam belli, æſtimabatur. Addenda ſunt quæ doctiſſimus *Feldenus*, *hîc* & *ſupra* annotauit. Sed qui Grotium excuſare vellet, proponeret *comparandi* publice receptam, etiam inter eruditos, *conſuetudinem*; cum certis ex cauſis delecta

ad lib. 1. c. 4. §. 10. p. 285. & ſeq.

ﬆa ſimilitudo, non per omnia, ſed quodam modo exauditur: conſideraret præſertim *conſilium eius*, qui hoc argumentum, quamquam minime priuati iuris, eius tamen iuris vocabulis, & οἰκονομίᾳ, partitim ſcilicet ſpeﬆatâ, voluit datâ operâ traﬆare; eoq; plures ad noſcenda hæc talia, vel negleﬆa ante, vel confuſa prorſus ac intricata, allicere: reſpiceret *exempla* liberioris neque à figuris alieni *ſtili*; apud veteres & iuniores moralium & praﬆicarum rerum ſcriptores; quæ per omnia refingere potius vnaque liturâ delere, quàm interpretari, nec conſilii nec exempli boni eſſe, non dubitandum eſt, quin crediderit.

De *alienatione* ergo *imperii*, vel *partis*, agere volentibus, ad dominii naturam & conditionem reſpicere, nefas non fuerit. Quamuis enim non contenderis cum eo, qui, vt *abſolutum* & *non abſolutum* eſt, imperium malit hic conſiderare; alienatio tamen ipſa, dominii cogitationem generabit. Vt autem *alienationis* vocabulo abſtineatur, & neſcio quæ periphraſes ſubſtituantur, nemo eruditus & prudens poſtulauerit. Verba communiter recepta, apud omnes, vel olim vel hodie, in operibus eruditorum, in ſcriptura publica, in monumentis curiæ, fugere ac deuitare, neſcio quàm conſultum, neceſſarium certe non eſt. Sicut enim ſubtiliter partiri à ſummo ad imum, & ſingulas rerum particulas, habitusque varios, nouis, diſcretis, & ad cuiusque indolem accommodatis efferre vocabulis, licuerit illis, qui

qui philoſophiæ practicæ, ad leges artis & doctrinæ, ſtudioſius reuocandæ ſunt intenti: ita duos quaſi ſcopulos, in hoc curſu, enixiſſime vitandos eſſe cenſuerim; primum ne omnibus priorum ſcriptis, vetuſtis nuperis, alio ſtili genere vſis, ignorantiæ notam, arroganter & importune, apponere; deinde, ne ea, quæ vel ſemel poſita ſæpius ſubintelligi voluerunt alii, vel reuerâ eadem mente, licet verbis non iiſdem, dixerunt, vt præterita, vt ignorata, ad aucupandam ſingularis & nouæ ſapientiæ gloriam, cauillari quiſquam in animum inducat.

Vt ad alienationem imperiorum & Principatuum reuertar, diligenter diſcerni debet, quod legibus aut moribus & conſuetudine populorum, vel ſingulatim huius illiusue populi, fit; & quod iure naturæ fieri poſſe creditur. De *regnis* hîc tantum loquitur *Grotius*, & definitionem huius quæſtionis, ex modo habendi regnum arceſſit: *ſi enim Rex habeat imperium plenũ & plene, tum naturaliter includi in indefinita illa poteſtate, alienandi facultatem; ſi plenum quidem habeat, ſed non plene, tum abeſſe regi facultatẽ alienandi regnum, ad populum ſcilicet ſpectantẽ, ſi regis conſenſus accedat.* vnde conſequitur, *ſi ne plenum quidem habeat, multo minus ei alienationem conceſſam intelligi.* Vbi notandum: ſi ius naturæ huc allegandũ ſit, præſupponi ſtatum certum, & formatum regni modum. vt enim regna vel liberâ infinitaque poteſtate, vel limitatâ reſtrictaque conſtituantur, naturæ indifferens eſt: quæ nullam for-

formam reipublicæ, niſi quæ rectæ rationi repugnat, auerſatur. conſtituto autem ſtatui quid ſit conſequens, aut conueniens, natura ſæpe oſtendit: non vbique præcipiendo, ſed interdum non repugnando, eſt, vbi ſuadendo. Sic in abſoluto & indefinito regno dixeris: naturam & rationem non impedire, quo minus liceat regi regnum alienare; quamuis temperamentum huius iuris, de adhibendo populi conſenſu, non parum ſuaderi ratione naturali videatur. Equidem, ſi dicendum quod res eſt, vt rex quicunque alienet totum imperium, inuitis ciuibus, ſeu nolente populo; ſecluſis omnibus legibus, moribusque, an permittat natura, dubitari quidem hactenus nequit (non enim intercedere diximus, quo minus regnum cum poteſtate alienandi conſtituatur) ſed an non potius ſuadeat regi, vt ſuo iure, ſi retinere non vult, cedat potius, libertatemque ſibi conſulendi populo reſtituat, quàm inuitos alienet; non eſt nulla dubitatio.

Non fuerit neceſſarium monere de diſcrimine locutionis. Dicit Grotius, in regnis quæ non plene habentur, *alienationem imperii fieri à populo, accedente regis conſenſu.* cur non, *fieri à Rege, accedente populi conſenſu?* nam in talibus quoque regnis, actus publici prima auſpicia à Rege petuntur. an ius populi maius credidit? ſed hoc, niſi ex formula regni & limitibus regi poſitis, intelligi nequit. Poſſet enim in legibus, quas fundamentales vulgò vocant, dici: *Habeat rex imperium in omnes &*

omnia, excepta facultate alienandi; idque vel cum adiectione, *niſi cum conſenſu populi*. aut: *Rex ſit iure regio, ſed facultas alienandi ad populum ſpectet.* Sed hæc non reprehendendi Grotii cauſa dicuntur. minuta enim iſthæc, neq ſemper ſubtilius rimanda, in promiſcuo haberi poſſunt.

Totus autem hic locus *moribus & legibus populorum* fere regitur. Quæ notitia non vbique in obuio poſita. neque enim leges, quas vulgo fundamentales vocant, vbique perſcriptæ, aut ad totam reipublicæ rationem ſufficienter deſcriptæ extant. imo hoc ipſum de alienatione caput, magis conſuetudine, vſu temporum, moribus explicari laudarique videas, quàm ſcripturâ legum. Hoc ergo dicere liceat: *Europaas apud gentes alienationes Principatuum, per donationes, dotem, venditionem, nō incognitas; in dubio tamen non præſumi pro Principe, alienare volente, niſi praxis & vſus longi temporis auctoritatem rei conciliauerit; neq; ſimpliciter præſumi pro perſona, ſed iuxta iura familiæ, agnatorum, locorum.* Illud quoque apparet, longe aliam & fauorabiliorem eſſe conditionem alienationis, quæ lege fit (de qua hîc non agitur) quàm eius quæ facto hominis perficitur. *Cuiacius* ad ius gentium hîc reſpexit, cum

de I.B. lib. 3. c. 15. p. 603. laudante *Alberico Gentile, de alienatione rerum regni, & ipſius regni*, ſcriberet: *etſi nulla ſpeciali lege prohibetur, generali tamen omnium regnorum, cum ipſis regnis nata, & quaſi iure gentium videtur vetita.*

§. IV.

§. IV.V.VI. *Partis alienandæ conſenſum* hic requirit, eique præ toto aliquid eximii iuris vindicat, iuxta communem ſententiam Jureconſultorum, apud *Albericum Gentilem, loco nunc laudato*, & *Fernandum Vasquium in Controuerſiis Illuſtribus* fuſe illuſtratam. Accipi autem debere hoc de regnis, quæ non habentur plena & plene, ipſe *Grotius infra* monuit III, 20, 5. Ratio *Grotii* non eſt de nihilo, ſi recte expendatur: ſed iis, quæ §. antecedens habuit, parum conſentanea. Qui enim totum poteſt alienare, ille & partem. Nam quæ, diuerſitatis oſtendendæ §. 6. afferuntur, haud multum negotii faceſſent recte conſiderantibus. neque admitti poteſt, *quod pars vtatur iure, quod ante initam ſocietatem habuit*, imo ne poteſt quidem ſocietas maior & ciuilis iniri, niſi hac conditione, ne ſociati vtantur iure, quod, vt ſuæ ſpontis conſiderati, ante ſocietatem initam habuerant, in ciuilibus ſcilicet, nam naturalia, ut facultatem honeſte agendi, nemo inita ſocietate abdicaſſe cenſetur. De cetero, vt cœpi dicere, non ſoleo repudiare rationem Ariſtotelicam conſiderandi τὰ πράγματα φυόμενα, ſiue res ab origine ſua, & conſilio propoſitoque primæuo conſtituentium e. g. ciuitates & reſpublicas. Sed ratio hîc poſita non procedit vniuerſaliter, ſed in quadam tantum ciuilis ſocietatis conſtitutione. ſimilitudo quoq; de anima in corporibus perfectis, non valet eo, quo deſtinatur: & facile in contrariam ſententiam aptatur. Doctiſſimus

C.I.lib.I.c. §.3. & 5.

§. 4. & 6.

§. 6.

Conringius, Grotianam hanc *de parte ciuitatis* ſententiam, impugnans, *in herilibus imperiis*, ait, *manifeſto falſam eſſe*: deinde, *quod de ſocietate perpetua aſſertur, accipi moraliter debere, quatenus non obſtet moralis quædã impoßibilitas; qualis oritur à neceßitate pereundi, niſi ſocietate diſſoluta patiatur pars populi ſe alienari*: porro, *in rebus publicis quoq́ʒ melioris ordinis, eos, penes quos eſt* τὸ κύριον, *habere liberam facultatẽ agendi circa omnia, quæ ſalus publica exigit, adeoq́ʒ, hac exigente, partem ciuitatis alienandi: deniq́ʒ, ſolam democratiam ſeu popularem remp. in eiusmodi rebus, nihil niſi de ſententia populi agere. de ſolo ergo illo caſu diſputationẽ relinqui, ſi alienatio partis non vergat in ſalutem publicam.* Ingens huius quæſtionis vſus in Imperio noſtro, quando *de alienatis & ab Imperio diuulſis variis regionibus & prouinciis* ſermo eſt. E.g. Quando Pontifices Romani, *Donationis Cæſareæ* titulum iactant, dubium non eſt, quin demonſtrare tenentur 1. *an & quomodo facta ſint illæ donationes, Tabulis non ſummatim excerptis*, vt apud *Bzouium* fit, *ſed authenticis & formalibus*. 2. an *præter vtile dominium* (vtendum enim eſt vocabulis, ſicut huius argumenti diſceptatores cõmuniter vtuntur) *per eas donationes ipſis* (Pontificibus) *aliquid acceſſerit*. Certe *Boterus in Politia Regia*, vbi deſcribit ſtatum Pontificis Romani, de *Vtili Dominio* loquitur. 3. *An Imperator ſolus vnquam*, deinde *an hoc aut illo tempore, potuerit facere, vt præter dominium vtile plenum, quicquam ad Pontifices perueniret, aut*

de Finib. c. 19. p. 349. &c.

Cæſa-

Cæſarium & Imperii ius in eum transferretur. 4. *An potuerit, cum conſenſu Electorum, vel quorundam, vel collegii totius.* de quo poſtea. 5. *An accedens quorundam Electorum conſenſui quorundam Principum conſenſus, ad hoc potuerit ſufficere.* 6. *An clauſula ſalutaris de Iuribus Imperii, ſiue Iure Cæſario reſeruatis, omni donationi tali, tacite inſit, etiam ſi verbis non fuerit clare expreſſa.* 7. *An donatio à Cæſare Pontificis artibus & religioſis aſſertionibus decepto facta* (e.g. quicquid aliter iura humana, aut mores & vſus gentium ſuadeant, religionis ac diuinæ vocis decreto tamen alienationes tales licitas eſſe Principibus) *valida ſit.* in qua probatione, hactenus titubante greſſu inceſſerunt patroni donationum talium. ſicut videre licet in *ſcriptis Monarchicis* apud *Goldaſtum*. Ita de titulo *Emtionis venditionis in quæſtione facti*, quæri ſolet, an *Imperatores*, *præſertim Rudolphus Primus*, *Henricus Lutzelburgius*, *Carolus Quartus* Italis vendiderint ius, quod Imperium & ipſi habuerant. Neque enim hoc tam facile probatur, quàm dicitur, ſi per ſingulos Principatus & ciuitates eamus. Tum ad quæſtionem iuris acceditur, an potuiſſent Imperatores alienare Imperii iura vel in Italia, vel alibi, etiamſi voluiſſent: de qua tumultuarie fere agunt *ſcriptores Iuris Publici*, *Limnæus I, 9, 37. in Additionib⁹ & ad Capitulationem Caroli V. Reinkingius I, 2, 8. Zacharias Vietor de cauſis Exemtionum Imperii*, & *ceteri*, in quibus & *Bodinum* nominare debemus: diligentius autem, quem paulo an-

in Monarch. S. R. I.

de rep. 1, 9.

te laudauimus, *Conringius in opere de Finibus Imperii.* Robur diſputationis,ad leges & mores cuiusque Regni exigi ſolet, an liceat, v. c. partem ciuitatis, etiam nolentem alienare, & cui liceat. Ita duras conditiones tradendarum regni partium in manus Caroli V. Cæſaris, effugit Franciſcus I. Galliæ Rex, qui petenti Carolo, vt Legibus Madrilianis ſatisfaceret, reſpondit: *in ſua non eſſe poteſtate, de regni Francici corpore membrum aliquod ſeparare, niſi eiusdem membri, ordinum ac totius regni conſenſu ita decernatur.* referente *Ponto Heutero in rebus Auſtriacis:* vnde deſcripſit *Franciſcus Harpus.* approbat hanc rationem *Bodinus*, alias tum iactatas reiicit *lib. V. c. 6.* addi debet *Gryphiander, de Inſulis cap. 24. §. 40. &c.*

lib. 9. c. 5. tom. 2. ann. 1526. p. 566

Quod in §. V. dicitur de *iure quod neceſſitas porrigit*, *Feldenus* ita exiſtimat capiendum, vt *non iuſte quidem facta*, ſed *venia tamen digna*, hæc atque talia velit haberi. neque nullus eſt alibi huius diſtinctionis vſus: quando certis actionibus ignoſcimus, quibus directa via, iuris appellationem accommodare non audemus. Sed hic omnino ſubeſſe videtur ratio eius ſententiæ, quæ fidem ciuitati à parte debitam, exceptione neceſſitatis pereundi, limitandam exiſtimat. ſicut alio loco monuimus. Memorabilis eſt caſus ciuitatis Groninganæ, quæ deſerta à Præſule Vltraiectino, ita ſe 1518. Carolo Geldro tradidit, vt ipſi & hæredibus eius ſponderet, *fidem, obſequium, officia omnia ſolita bonis ſubditis, niſi vi maiori ac neceſſitate*

Hiſt. Gelr. lib. 11. pag. 678.

adacta

adacta facere aliter cogatur, apud *Iſac. Pontanum*.

Hypotheſis de *libera voluntate*, & de *iure contradicendi* in §. VII. à Grotio quidem refertur, ad illam *primæuam voluntatem conſociatorum*, de qua §. IV. iam diximus. Reuerâ autem *libertas* hæc reſtringitur & adſtringitur rationibus vtilitatis ſiue ſalutis publicæ, & ipſa conſociationis indole.

Exceptiones de *publicâ vtilitate & neceſſitate* §. VIII. haud dubie irrefragabili philoſophiâ nituntur, ſi recte tractentur, neque ab architectonicâ auctoritate, ad minora & inferiora detrudantur. Igitur bene faciunt Jureconſulti, quod hanc ſententiam tuentur. *Ferdinandi Vaſquii* diſputatio in hoc argumento, vt *c. 1. 1, 3, 8.* amnis, in quem torrentes multi incurrunt, *& 1. 4, 4. &c.* multa trahit parum liquida: & propterea merito refutatur à *Conringio*. Nam volun- *De Finib. c.* tas partis, etiam in regimine ciuili in volentes, *19. p. 351. &c.* ſcopo reipublicæ conſentanea eſſe debet, niſi quod, vt antea dictum eſt, quatenus ciuilia imperia ab herilibus diſtingui ſolent, ſi quæ alienatio non ad communem vtilitatem facta eſſet, nihil actum neque teneri populus videretur. Ita quidem ex ſententia eorum, qui Ariſtotelici dogmatis religione ciuilia imperia, vtilitate parentium vnice definiunt. In quo tamen non ſunt nullæ difficultates, vix, bene vitabiles. Quare videmus eos, qui ex Principibus & Regibus nudos adminiſtratores, aut magiſtratus faciunt, & totam imperandi formu-

Sic Franciſc. Hotomannus Quæſt. Illuſtr. 1. *Reges pro meris curatorib. tutorib. adminiſtr. habet.*

mulam negotiorum geſtorum menſurâ metiuntur, ſemper id tanquam oraculum in fronte, in medio, in imo iactitare, & ea extruere, quæ ſi ſtare debent, ſumma poteſtas eiusque exercitium in ciuitatibus deſtruatur oportet. cuius tam periculoſæ philoſophiæ larga apud *Vaſquium* ſeges eſt, qui ducentas ſe hinc definitiones deriuare (quo ſucceſſu, iudicent qui intelligunt) iactitat. *Grotio* certe cauendum eſt, ne hos diſputatores probet, ſi vult principia ſua alia tueri. Quare alibi, licet fateatur, ad imperium recte exercendum, non eſſe neceſſariam infinitam poteſtatem obligandi ciuitatem ſiue populum & ſucceſſores, animaduertit tamen, non eſſe hanc rem ad naturam negotiorum geſtorum exigendam, ipſique reipublicæ periculoſum fore, ſi, qui reipublicæ imperat, ad tales anguſtias redigatur. Et quando ciuilia imperia ab herilibus diſtinguunt, quaſi hæc in inuitos, illa in volentes ſint, rurſus auctoritatem magis dicentium, quàm dictorum rationes requirunt, qui crude philoſophantur. Accurate enim loquendo, ſumma poteſtas, in omni Republica & quacunque regiminis forma, quando & quotiens exercetur, etiam inuitis imperat præcipitque, vbi enim eſt ciuiliter conſociatus cœtus, in quo omnes ſponte faciant officium? certe prima conſociationis ratio ordine imperandi & parendi eatenus nititur, vt omnes ad finem ſocietatis conſequendum faciant, quod ſumma poteſtas præſcribit, vel volentes, vel, ſi nolunt,

C. I, 3, I, 10.

II, 14, 12.

ſunt, malo domiti. vnde δύναμιν ἀναγκαστικὴν omni imperio tum ciuili tum herili ineſſe, ſupra dictum eſt. Iam quod de vtilitate parentium, excluſa omni vtilitate imperantium afferri ſolet, partim cum figurâ & exceſſu apud ſcriptores dicitur, partim comparationis causâ. quod aliqui ita efferunt; imperantes non tam ſuam quàm parentium vtilitatem, ſiue primum & præcipue parentium commoda, in ſecundis, & pro eo quod accidit, ſuam, in ciuili imperio ſpectare debere. Quæ penitius inſpectari, publice intereſt. Poſtulare enim ab imperantibus, vt ſuæ vtilitatis nullam omnino rationem habeant, multis modis iniquum & ciuili conſociationi diſconueniens eſt. niſi quis ex imperantibus meros curatores, tutores, imo ſeruos velit facere. An Imperantes nullam conſtituunt partem ciuilis ſocietatis? ſi partem conſtituunt (loquamur enim nunc ita) quomodo illorum vtilitatis ratio haberi nulla debet? Quid, ſi imperantes præcipuam partem ſocietatis faciunt, ſi in multis perſonam moralem totius corporis referunt, an æquum eſt, vt ipſorum vtilitas in ſecundis, & ex accidenti, vt loquuntur, ſpectetur? Atqui, ipſi imperantes, ipſi Principes hoc dicunt: non ſua, ſed quæ ciuium ſunt, ſe curare, & curare debere? cur non conquiris bonorum ciuium dicta, totiusque ſæpe populi, ſua commoda poſt Principis commoda ponentium, & ponenda eſſe aſſeuerantium? ſi quidem, quo valeant eiusmodi orationes, ignoras. Vt

redeamus ad inceptum, in quæſtione noſtra, ante omnia tenendum eſt, penes quem & quos in Republica ſit ſumma poteſtas. Ille ergo, aut illi, penes quos indubie eſt ſumma poteſtas, publicæ vtilitatis aut neceſſitatis cauſa poſſunt alienare partes imperii ſeu ciuitatis: vt in ſingulari imperio, etiam ciuili, Rex; in Ariſtocratia vera, optimates; in Politia, populus; in mixto ſtatu (fruſtra enim negari, alibi oſtendemus) ii penes quos maieſtas reſidet. Ineſt enim hæc facultas, iacturâ partis ſeruandi totum corpus, & ſalutem ſecuritatemque reipublicæ totius, cui omnes partes obligantur, partis etiam nolentis alienatione obtinere, in ipſa ſummæ poteſtatis natura: quæ voluntates ciuium, non rectas, ad finem ciuitatis vniuerſalem, inflectit. Niſi quod inuitorum eiuſmodi actiones, quatenus patiuntur fieri, quod nollent, ſi ipſorum arbitrii res eſſet, merito ad conſenſum & voluntariæ actionis genus reducuntur. Quod in exemplis pactionum militarium ſæpe videmus, cum pars imperii, etiam inuita, quatenus tamen repugnare nec poteſt, nec debet, reliqui corporis ſeruandi cauſa, efficaciter alienatur. Sed, quoniam de ſubiecto ſummæ poteſtatis, pro varia Rerumpublicarum deſcriptione aut gubernatione, non raro dubitationes oriri ſolent, cautiones plerumque adhibentur à contrahentibus: ſicut in Regno, quod dicitur v. c. vbi limitata habetur poteſtas Regis, aut communicata cum proceribus, non Regis tantum

ſed Procerum quoque voluntas, voluntatisq; teſtimonia expetuntur : ineunturque pacta cum Rege & Regno. Quæ formula tamen, vſu & conſuetudine, fortaſſis etiam locum habet aliquando, vbi ſolius Regis arbitrio, quoad poteſtatem imperandi, omnia geruntur. Atque hic ſequi ſolemus ſtilum cuiusque Reipublicæ in alienationibus & ceſſionibus faciendis vſitatum, citra curioſam diſputationem de forma & ſtatu Reipublicæ, non ſemper & vbique oculis ſe offerente. Pertinent huc formulæ, quæ in *Inſtrumento Pacis CæſareoGallica*, de locis Regi Chriſtianiſſimo ceſſis occurrunt. Apud *Priluſium* in formâ, vt loquuntur, habetur *venditio Ducatus Oſuiaczimenſis Regi Poloniæ Caſimiro facta anno* 1457. Videatur etiam in *Pactis Galliæ, Ceſſio & Translatio Ducatuum Lotharingiæ & Barri in Cardinalem Lotharingiæ, à Fratre Duce Lotharingiæ facta Mirecurtii* 19. *Ianuarii*. 1634.

corp. ſcript. Polon. tom. 1. *pag.* 244. &c.

Vnicum adiiciemus de *vtilitate publica* & *neceſſitate*, (quod & alibi diximus) ne illis nominibus abutantur potius quàm vtantur, huius argumenti diſceptatores. Naturali enim æquitati congruit illa Jureconſultorum cautio, quando, *priuato rem ſuam vtilitatis publicæ aut neceſſitatis cauſa auferri poſſe* ſtatuentes, addunt: *ſi aliter publica vtilitas haberi non poteſt*. vid. apud *Caſp. Klock. Relat.* 65. §. 133. & *ſeq.* Quid, ſi tamen alienatio talis facta ſit, non obſeruata hac cautione, id eſt, quamuis vtilitas publica aliter potuiſſet obtineri? non ſtatim, nihil

actum

actum dixeris, aut in irritum reuocaueris. Eſt enim æſtimatio & ratiocinatio publicæ vtilitatis ardua, neque ſemper vniusmodi; de qua nec idem plerumque omnibus videtur. &, qui iudicat, alios obtinendæ vtilitatis publicæ modos non æque in ſummam validos, aut durabiles, denique hoc, quem ipſe amplexus eſt, minus certos bonosque fuiſſe, illi voluntas nocendi lædendiue tribui nequit. Et in dubio, potius præſumitur, pro æſtimatione & conſultatione imperantium. Sed nec tam æqualiter & conſtanter ſe res humanæ habent, vt hic omnia poſſint ad liquidum perduci.

§. IX. Ex eo, quod hîc dicitur de *Infeudatione*, quæ alienationis ſpecies (ita vt vſusfructus rei per infeudationem alienetur) etiam apud *Feudiſtas* habetur, *Carpzouius* oſtendit: quando in *Capitulatione Imperatoria, de alienatione* Bonorum Imperii, non à ſolo Imperatore facienda, decernitur, etiam *infeudationem* prohibitam cenſeri. Quomodo autem conſenſus Imperii apud nos ſoleat haberi, notum eſt, nempe *per legatos partium integrantium mandatu ſufficiente inſtructos*, vt Grotius loquitur, id eſt, in Comitiis, ſiue Comitialiter. Hic enim eſt ordinarius & ſolennior modus. In *Annotatis* addit alium modum & arctiore compendio concluſum. *Sic in Imperio*, inquit, *in alienationibus, Electorum conſenſus, ex more & pactis pro conſenſu eſt omnium.* Cuius rei veritas inquirenda eſt. Dicemus primo de *more*; deinde de *pactis*. De *more* multa poſſent adferri,

de L. Reg. Germ. cap. 7. Sect. 3. §. 1. &c.

ferri, ſi id nunc ageretur: quando cœperit, quomodo vſurpatus, & quas vices paſſus ſit. ſed differenda ſunt iſta alium in locum. Communem fuiſſe opinionem, Electoribus cum Cæſare, præter ceteros Status, aliqua certe communia, negari nequit, & fatetur *Lampadius*, iura Statuum ſtudioſiſſime requirere & tueri ſolitus. (*part. 3. cap. 14. §. 18. f. p. 385.*) Quippe ſolos cum Cæſare aliqua decreuiſſe, *Aurea Bulla* oſtendit, & ad eam annotat *Limnæus*. nec in rebus tantum ad ipſorum Collegium ſpectantibus, quod ibi ſub exemplo dicitur: ſed in aliis quoque negotiis. Videatur initium & finis *Auiſamentorũ Moguntinorum anni* 1427. vtraque linguâ exhibitorum, apud *Goldaſtum*. In tranſactione *Etzardi Comitis Ouerendæ cum Carolo Auſtriaco* 1517. inter alia habetur: (*Statut. & Reſcr. Imper. p. 159.*) *Comes Etzardus cum ſucceſſoribus, à Principe Carolo eiusq; heredibus Hollandiæ Comitibus, Ooſtfriſiam vt clientale beneficium, quod Feudum vocant, recipient, neq; alia ratione poſſeſſionem adibunt, modo Princeps Carolus hac de re legitimum aui ſui Cæſaris* (Maximil. I.) *ac Germaniæ Septemuirum conſenſum impetrare potuerit.* apud *Haræum*, & *Pontanum*, ex *Ponti Heuteri Auſtriacis lib. 7. c.* 15. (*in Carol. Auſtr. p. 542.* *Hiſt. Gelr. lib. 11. p. 671.*) vnde de communi opinione firmitatis, non obſcure communis ſententia colligitur. Minus impugnari poteſt, quod de re communi Statuum conſenſu decreta ſoli Electores, cum Cæſare, documenta ediderint & teſtimonia dederint. Ita in *Tranſactione Noribergenſi cauſa Lotharingica anno* 1542. Electores *peculiari Inſtrumento, teſtantur*

Comi-

ap. Chiflet. comment. Lothar. p. 36. *Comitialiter acta, & ratificant confirmantq́.* In *Tranſcriptione Ciuitatis Biſuntinæ* 1651. Electores inſtrumento edito ſuum conſenſum Cæſari iunxerunt: promittentes, *ſe vt aliorum quoq́ Statuum in proximis comitiis conſenſus accederet* collaboraturos, quod poſtea factum, apud *Limnæ. Tom. V. ad lib. VII. c. 6.* & *Knipſchild de Ciuit. lib. 4. c. 1. §. 17. &c.* In Controuerſia Bremenſi cum Comite Oldenburgico, valuit pro Comite, *Gratia ſpecialis ab Imperatore Ferdinando II. impetrata, & conſenſu Electorum roborata*, *Tom. IV. ad lib. 7. c. 7. p. 180.* apud *Limnæum*. *Pactorum* vocabulo Grotius intelligit Capitulationes Cæſareas, in quibus de Electorum conſenſu, tanquam ſufficiente, decernitur. v. *Capitul. Carol. V. artic.* 9. & ſic in ceteris *Capitulationibus*. De quarum tamen *Tom. V. ad 11, 12. pag. 247.* ſenſu *Conringius* ἐπέχει, *Limnæus* autem, quid nonnulli Status hac de re ſentiant, exponit ad *Capitul. Ferdinand. IV. artic.* 9.

In *pignore* diſtinguit *res Imperii*, de quibus hoc loco, à *rebus patrimonii*, de quibus §. XIII. De parte autem imperii oppigneranda, haud dubie eadem locum habent, quæ de alienatione perfecta antea dicebantur. Quamuis enim etiam, qui pignerat, alienare dicatur *l. fin. C. de reb. alien.* &, re æſtimato pignori data, euentualis emtio venditio celebrata videatur: ad plenos tamen effectus alienationis nondum proceſſum eſt, præſertim cum in rebus Imperii oppignoratis, reluitio ſubſidio comparari ſoleat: quam etiamſi velis emtionem venditionem cum pacto retrouendendi dicere, illa ipſa tamen

tamen conditio reluitionis rem imperio quodammodo ſaluam præſtat. In Imperio noſtro (ſi hoc per occaſionem licet annotare) Imperatores valde frequenter prouincias & partes Imperii oppignorabant, etiam ante Carolum IV. interdum & Statui Imperii dabatur facultas redimendi, donec ab hoc redemtore Imperium rurſus redimeret. Apponam ex *Brovveri Treuirenſibus, Diploma*, Ludouici Imperatoris Balduino Archiepiſcopo Treuirenſi datum. *Ludouicus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus. Pro gratiſſimorum obſequiorum, tam per ſuã perſonam ſtudiis bellicis pro defenſione regni Romani & Reip. viriliter inſiſtendo exhibitione, quã per ſuos noſtris ſeruitiis attenti⁹ invigilantes, ipſi Balduino -- conceſſimus & concedimus, indulſim⁹ & indulgemus, vt omnia bona, & ſingula dependentia ab Imperio, quæ inuenta fuerint impignerata, vel ſub ſpe redemtionis vendita, in caſtris, fortalitiis, oppidis, munitionibus --- fidelibus, miniſterialibus & hominibus cuiuscumq́ ſexus aut conditionis exiſtentibus, iurisdictionibus altis & baſſis, mero & mixto imperio, terris fundis: emere & redimere, quandocunq́ & quotiescunq́ voluerit, & prout detentores* (Pfandt-inhabere intelliguntur) *ſeu poſſeſſores tenebant, eadem bona tenere & habere, atq́ etiam adminiſtrare valeat atq́ poſſit. Verum licebit nobis & ſucceſſoribus Rom. Reg. eadem ſumma ab eodem emere, redimere, &c. Datum Bacharaci feria quarta poſt aſſumptionis beatæ Mariæ virginis, anno Domini M.CCC.XXI, regni vero noſtri anno VII.* Sequitur: lib. 17. p. 977.

tur: *Ad eundem modum* (nempe ſub conditione reluitionis) *caduca Imperii feuda pignori eſſe voluit Treuirenſi Eccleſia, ſex millium marcarum argenti ſumma tenus.* [Eſſent 18000. floreni, ſi ſtamus demonſtrationi *Actorum Lindauienſium.*] Huius generis *Diploma* anno 1332. *Idem*
pag. 186. & ſeq. *ſcriptor* exhibet, quo Ludouicus Imperator, *Balduino Archiepiſcopo, Eccleſia & ſucceſſoribus, ea regalia, qua Abbates* Prumienſis & Epternacenſis *ab Imperatore accipere conſueuerant* (& vel ob itinerum pericula, vel interualla, vel hominum impedientium prauitatem, vel quadam exceptionis & immunitatis ſpecie, tum diœceſani iurisdictionem, tum Imperatoris inueſtituram detrectare cœperant) *cum eorum priuilegiis, honoribus titulisq; vniuerſis, ter millib⁹ marcarum argenti puri, ponderis Treuirenſis, ceu beneficium tribuit, & obligauit, & Eccleſiam ſibi habere pacifice iuſſit, quoad per ipſum vel ſucceſſores illa ſumma redemta perſolutaq; fuerit.* Apud *Miraeum in Diplomatis Belgicis*
lib. 1. c. 94. Carolus IV. anno 1348. Guilelmo Marchioni Iuliacenſi Veſalienſe, Durenſe, Werdenſe, Bobardienſe & alia oppida, à *certis Romanorum Regibus & Imperatorib⁹, pradeceſſoribus & progenitoribus ſuis* (vt verba habent) oppignorata, confirmat. vbi hæc leges: *ſpondentes & firmiter promittentes pro nobis noſtrisq; in Regno & Imperio ſucceſſoribus, quod praſcripta pignora prafato Marchioni Iuliacenſi ac ſuis heredibus non auferemus, nec ea cuicunq; alteri perſona obligabimus, vel abſoluendum vllaten⁹ committemus: imò ea nos vel noſtri ſucceſ-*

ſucceſſores, cum poterimus, debebimus abſoluere, & pro noſtra & Imperii noſtri propria pecunia liberare. Diplomata & literas eiusmodi (Pfands-Brieffe) vernaculo idiomate, à temporibus Ludouici habes in *Actis Lindauienſibus.* Huic à pag. 485. vsq ad 495. Imperatoriæ oppignorandi licentiæ, quæſita ſunt remedia, pactis cum Electo Imperatore iniri ſolitis, quæ *Capitulatio* dicitur: vbi prohibitæ *alienationi*, adiungitur etiam *oppignoratio*, non ſine conſenſu Electorum facienda. An in remediis numerari quoque debeant priuilegia reluendi (die Reichs Pfandſchafften abzulöſen) Electoribus nonnullis conceſſa, elegans eſt diſquiſitio: nec deſunt affirmare volentibus pondera rationum; quamuis in alteram partem non ſit nihil, quod conſiderationem intentiorem mereatur. Ceterum, quoniam in Capitulationibus Cæſareis, Statibus etiam *Pignora*, quæ tenent, confirmantur, ardua exorta eſt quæſtio, de interpretatione facienda, vel ita, vt confirmatio Cæſarea, pignoris reluitionem impediat; quod totis viribus contendit *Auctor Actorum Lindauienſium*, paſſim: vel, ſalua Imperatori & Imperio, reluendi poteſtate. Quæ diſputatio ſuſpenſa eſt *Inſtrumento Pacis* (*artic.* 5. §. 9. ibi: *quod ad oppignorationes Imperiales attinet*) & ad Comitialem conſultationem ac definitionem remiſſa; reluitionibus interea inhibitis, & quoad Lindauiam & Weiſſenburgum reuocatis.

§. X. Conferri debet cum lemate: *etiam ad alienandas iurisdictiones minores (functiones ci-*

uiles minores hic vocat) *requiri populi conſenſum aut ſpecialem* (ſeu expreſſum) *aut per conſuetudinem*; mox *tacitum conſuetudine introductum conſenſum* appellat. Mirari poſſis, cur hîc *Grotius, iurisdictionum* vocem, vage ſolitam vulgo vſurpari, attulerit. Etiamſi enim dicas, *iurisdictiones ſummâ minores ſeu inferiores* alienari ita vel aliter poſſe, nondum ſatis intelligetur, quid *iurisdictiones* ſint. Quod enim de *iure dicundo* tantum voluerit capere Grotius, quatenus id munus magiſtratibus & miniſtris mandatur, vix crediderit, qui meminerit, alias quoque eiusmodi functiones ciuiles alienari poſſe & ſolere.. e. g. Tributi varia genera, ſeu poteſtas exigendi vectigalia, portoria, aliaque, venduntur ab habentibus ſummam poteſtatem, non huic tantum & illi, ſed etiam hæredibus. Ne de moneta, de venatione, & aliis dicamus. *Deinde, ius regum tum electorum tum lege ſuccedentium*, *tantum eſſe temporarium*, & nulla re illos poſſe obligare ſucceſſores, quomodocunq; explicetur, vix admitti poterit. *Tertio*, donationes (qualium exempla ponuntur) factas eſſe *ſaluo iure ſuperioritatis*, vt hodie loquuntur; ſiue, vt donatarii agnoſcerent ſum̃am poteſtatem donatoris, poſſiderentque, vt ceteri ciues aliquid dominio priuato poſſident, nulla dubitandi cauſa eſt. Igitur *quarto* non ſatis apparet, cur aliquis, qui iure regio præditus eſt, vt Reges Perſarum fuerunt, non poſſit inconſulto populo facere, quod illi fecerunt, qui in his & a-

liis

liis omnibus ſui arbitrii fuerunt. Et plerumque hæc poteſtas Regibus, etiam qui Perſicis comparari nequeunt, competere creditur. Sed de *donationibus*, *infra* agendum erit.

Coniungunt alii, *iura & res regni*, cum de alienandi facultate quæritur, ſicut vides apud *Vaſquium:* cuius diſputatio plus ſpeciei, quàm explicationis habet. Nam *merus & ſimplex* c. 1. n. 5. n. 23. *Princeps*, quem vocat, nihil eſt ipſi aliud, quàm mandatarius, & curator aut tutor, prorſus ad iuris ciuilis formulam exactus. Tales autem Reges, nec ſunt iure regio, neque hic loci conſiderantur. Deinde, regulas adfert indefinitas, neque ad omnia exempla applicari idoneas, multisq; exceptionibus, omnes apud gentes, infirmatas. Tertio, ſi Principi Vaſquiano licet, ob rei exiguitatem, de conſenſu ciuium præſumere; quidni Princeps verus & iure regio, de conſenſu etiam in mediocribus aut maioribus reb⁹ queat præſumere? Quamquam hic quæritur, non tam de conſenſu ad actum alienandi requiſito præſumtoue, quàm de conſenſu populi, ipsâ conſtitutione regni obligato ad tales actus, Reipublicæ cauſa à Rege factos, in perpetuum.

Quando autem quæſtionem ita proponunt; *An Princeps regalia alienare poſſit?* dici non poteſt, quantum tricarum & confuſionum in ſcriptoribus præſertim Juris Publici occurrat; in illis? an Regalia ab Imperatoribus concedantur cumulative ſiue priuatiue; quæ hoc, quæ illo modo; an idem ſint cum ſuperio-

ritate; an idem ſint quod Germanicè ſtilo curiæ Herrligkeiten/ quot ſint numero, quæ maiora, quæ minora; an in eorum numero huic aut illi e. gr. iuri collectandi, conducendi &c. locus ſit, & quæ ſunt huius generis alia. Rationem quoque appellationis, relictis illis tricis, melius reddidiſſe videtur *Brovverus*, cum refert, Archiepiſcopo Treuirenſi Balduino per Ludouicum Imp. *priuilegia, iuraq́, quæ regalia ab munerum auctoribus ſic appellam⁹*, confirmata eſſe. Nunquam autem ſe expediunt, quando Status Imperii habere Regalia, & Regalia Imperatoris ſolius eſſe, aut non ſolius eſſe; itemque an quædam Regalia, à Statu Imperii ſubditis ſuis queant per priuilegium concedi, & an ſint tum Regalia, vage & inconſtanter diſſerunt. Sicut exemplo eſſe poteſt vel ſola de *Regalibus Diſputatio Beſoldi* Theſauro Practico ſubiuncta. Illud quoque eſt intolerabile, quod Regalia nunc iuris ciuilis modulo ex *Feudalibus Placitis* & *Friderici Imperatoris conſtitutione* metiuntur; nunc, vt de re ad ius gentium exigenda diſſerunt: denique fatentur tamen, neque iure nec vſu certo hoc argumentum haberi definitum. Quæ res potuit nonnullos eruditorum monere, vt vocabulo Regalium parcius vterentur; & potius ſibi explicandum ducerent, an exercitium poteſtatis ciuilis, per partes præſertim, & partium partes, & quatenus, quibusue & quot modis (vbi de alienatione etiam eiusque generibus cogitatur) a Principe communicari, delegari, deman-

Treuir. lib. 17. p. 985.

mandari, transferri poſſet. Mutavitque ſtilum in hypotheſi etiam, quantum ad Imperium noſtrum attinet; *Iacobus Lampadius*. Sed hæc ἐν παρόδῳ.

Ad §. XI. Repetenda ſunt, quæ *ſupra* de *vſufructuario*; tum de *vtilitate publica* & *neceſſitate* dicta ſunt. Exemplum ex Gallia petitum in *Annotatis*, non vſquequaque pro Grotio facit. Licet enim apud *Hiſtoricum*, anno 1577. Æmarus Burdegalenſis Præſes, Ordinum nomine, ſpecioſe diſſerat, *nullo caſu alienari à Rege patrimonium Coronæ poſſe, quippe cuius Rex tantum ſit vſufructuarius, proprietate penes regnum manente; quam nullo tempore alienatam, ne quidem extrema neceſſitate vrgente, cum Ioannes Rex apud Anglos captiuus eſſet, meminerint homines: quippe fulcrum & columen regni illud eſſe, quod ſacrum, inviolabile, maiores ſemper exiſtimauerint:* non defuerunt tamen, qui Regi ius maius, & antea, & poſtea vindicarent. Et quod hic de *captiuitate Regis* dicitur, alii Gallorum diſerte oſtendunt, tali caſu, λύτρων causâ, domanii alienationem non eſſe vetitam. In caſu anni 1577. eo facilius Ordinum oratio pondus habere viſa eſt, quod conſtaret, non neceſſitate verâ, ſed *affectatæ neceſſitatis obtentu*, rem à Regiis geri: deinde, conſequentia omnes metuebant, ſub *Rege profuſo*, ſicut *Thuanus* probe conſignauit. De cetero, neque tam vniuerſalis eſt, ſicut ab Æmaro profertur, regula, ſed exceptiones lege & vſu introductas habet complures, quæ videri poſſunt col-

Thuan. lib. 63. p. 186.

lib.2. c.8. p. 601. & ſeq. lectæ apud *Limnæum in Notitia Franciæ*. Quæ *Tholoſanus* (*3. de Rep.* 8.) affert, ad ratiocinationem neceſſitatis, & quæſtionem conſilii non ſunt leuis momenti. Accedit in partem ſupplementi, quantum ad cautiones, conditio reluitionis. de qua ante.

Cautione autem duplici, Grotius *aſſerta* §. *XI.* temperat: primo liberiorem poteſtatem regibus permittendo circa *res quæ in fructu ſunt patrimonii*, quàm *circa res patrimonii ſeu quæ ſunt in patrimonio*; §. XII. (quod in comparatione, etiam deliberantibus diſtinctionem non inutilem præbet. nam, extra comparationem, cum de re ipſa quæritur, quid ſtatuendum ſit, diximus) deinde, oppignorandi patrimonii publici, ſiue, vt Galli vocant, domanii licentia. §. XIII. Vbi tamen; quod de *parte* loquitur, iterum ad gradus neceſſitatis, & maius ſuadendi diſſuadendiue pondus pertinet, non ad quæſtionem iuris ſimpliciter propoſitam, quo minus enim ratio, quam de parte attulit, in toto valeat, nullum apparet impedimentum. Cum *plenum imperium*, ab *initio* §. explicat *de iure indicendi tributa*, accipi debet de pleno imperio in hoc genere, ſiue de parte ſummæ poteſtatis, de hoc iure maieſtatis, ſcilicet indicendi tributa. In fine §. bene addit *de lege imperio additâ*, ſiue de deſcriptione & conſtitutione legali cuiusque Principatus; vnde hæ controuerſiæ plerumque diiudicantur, in textu manifeſto. Vbi deficit lex, aut dubia eſt, illuc decurritur, vt, quid naturæ ac rationi

tioni maxime conſentaneum ſit, exquiratur.

§. XIV. *Teſtamenta*, eſſe *ſpeciem alienationis*, bene oſtenditur: neque vulgo dubitationem habet. Nam etſi in filiorum ſucceſſione, non videatur noua acquiſitio ſed continuatio dominii locum habere; quia tamen continuatio hæc veros demum & abſolutos conſtituit dominos, qui antea in ſpe tantum per qualecunque aut quaſi dominium erant; & in ſucceſſione cognatorum & extraneorum, ius plane nouum vocatis tribuitur, quod antea non habuerant: ſatis apparet, alienationi ſiue translationi dominii hîc locum eſſe. Quod reſpectu Teſtatoris transferentis, ea quoque conſideratione locum haberet, qua ſucceſſoribus, ius ad rem indubitabile tribueretur, & per ſucceſſionis actum ius in re firmari diceretur. Sed, *an ſint iuris naturalis teſtamenta*, quod *Grotius* vult, diſputationi obnoxium eſt. Et quamuis nonnulli cum Grotio ſtatuant, iuris naturalis aut gentium primæui ſeu naturalis eſſe; communis tamen opinio tenuit, ut quoad inuentionem, *iuris gentium*, quoad formam, *iuris ciuilis* teſtamenta dicerentur. A qua ſententia, vt ſolet, ſibi recedere glorioſum putauit *Fernandus Vasquius*, vt adſtrueret: *Teſtamenta eſſe Iuris Ciuilis, inuentione; Iuris Gentium ſecundarii, approbatione.* Verum iſta quidem facilius expediuntur, ſi *Formulas Teſtamentorũ & ſolennitates, ab ipſo perteſtamẽtà de re ſua diſponẽdi iure* probe diſtinguamus. de ſucceſſ. lib. 1. §. 1. n. 9.

ap. Chiflet. comment. Lothar. p. 36.

Comitialiter acta, & ratificant confirmantq́ʒ. In *Tranſcriptione Ciuitatis Biſuntinæ* 1651. Electores inſtrumento edito ſuum conſenſum Cæſari iunxerunt: promittentes, *ſe vt aliorum quoq́ʒ Statuum in proximis comitiis conſenſus accederet* collaboraturos, quod poſtea factum, apud *Limnæ. Tom. V. ad lib. VII. c. 6.* & *Knipſchild de Ciuit. lib. 4. c. 1. §. 17. &c.* In Controuerſia Bremenſi cum Comite Oldenburgico, valuit pro Comite, *Gratia ſpecialis ab Imperatore Ferdinando II. impetrata, & conſenſu Electorum roborata*, apud *Limnæum*. *Pactorum* vocabulo Grotius intelligit Capitulationes Cæſareas, in quibus de Electorum conſenſu, tanquam ſufficiente, decernitur. v. *Capitul. Carol. V. artic.* 9. & ſic in ceteris *Capitulationibus*. De quarum tamen ſenſu *Conringius* ἐπέχει, *Limnæus* autem, quid nonnulli Status hac de re ſentiant, exponit ad *Capitul. Ferdinand. IV. artic.* 9.

Tom. IV. ad lib. 7. c. 7. p. 180.

num. V. ad 11, 12. pag. 247.

In *pignore* diſtinguit *res Imperii*, de quibus hoc loco, à *rebus patrimonii*, de quibus §. XIII. De parte autem imperii oppigneranda, haud dubie eadem locum habent, quæ de alienatione perfecta antea dicebantur. Quamuis enim etiam, qui pignerat, alienare dicatur *l. fin. C. de reb. alien.* &, re æſtimato pignori data, euentualis emtio venditio celebrata videatur: ad plenos tamen effectus alienationis nondum proceſſum eſt, præſertim cum in rebus Imperii oppignoratis, reluitio ſubſidio comparari ſoleat: quam etiamſi velis emtionem venditionem cum pacto retrouendendi dicere, illa ipſa tamen

tamen conditio reluitionis rem imperio quodammodo ſaluam præſtat. In Imperio noſtro (ſi hoc per occaſionem licet annotare) Imperatores valde frequenter prouincias & partes Imperii oppignorabant, etiam ante Carolum IV. interdum & Statui Imperii dabatur facultas redimendi, donec ab hoc redemtore Imperium rurſus redimeret. Apponam ex *Brovveri Treuirenſibus*, *Diploma*, Ludouici Imperatoris Balduino Archiepiſcopo Treuirenſi datum. *Ludouicus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus. Pro gratiſſimorum obſequiorum, tam per ſuã perſonam ſtudiis bellicis pro defenſione regni Romani & Reip. viriliter inſiſtendo exhibitione, quã per ſuos noſtris ſeruitiis attentiꝰ invigilantes, ipſi Balduino -- conceſſimus & concedimus, indulſimꝰ & indulgemus, vt omnia bona, & ſingula dependentia ab Imperio, quæ inuenta fuerint impignerata, vel ſub ſpe redemtionis vendita, in caſtris, fortalitiis, oppidis, munitionibus -- fidelibus, miniſterialibus & hominibus cuiuscunq; ſexus aut conditionis exiſtentibus, iurisdictionibus altis & baſſis, mero & mixto imperio, terris fundis: emere & redimere, quandocunq; & quotiescunq; voluerit, & prout detentores* (Pfandt-inhabere intelliguntur) *ſeu poſſeſſores tenebant, eadem bona tenere & habere, atq; etiam adminiſtrare valeat atq; poſſit. Verum licebit nobis & ſucceſſoribus Rom. Reg. eadem ſumma ab eodem emere, redimere, &c. Datum Bacharaci feria quarta poſt aſſumptionis beatæ Mariæ virginis, anno Domini M.CCC.XXI, regni vero noſtri anno VII.* Sequitur; lib. 17. p. 977.

tur: *Ad eundem modum* (nempe ſub conditione reluitionis) *caduca Imperii feuda pignori eſſe voluit Treuirenſi Eccleſiæ, ſex millium marcarum argenti ſumma tenus.* [Eſſent 18000. floreni, ſi ſtamus demonſtrationi *Actorum Lindauienſium.*] Huius generis *Diploma* anno 1332. *Idem ſcriptor* exhibet, quo Ludouicus Imperator, *Balduino Archiepiſcopo, Eccleſiæ & ſucceſſoribus, ea regalia, quæ Abbates* Prumienſis & Epternacenſis *ab Imperatore accipere conſueuerant* (& vel ob itinerum pericula, vel interualla, vel hominum impedientium prauitatem, vel quadam exceptionis & immunitatis ſpecie, tum diœceſani iuriſdictionem, tum Imperatoris inueſtituram detrectare cœperant) *cum eorum priuilegiis, honoribus titulisq; vniuerſis, ter millib⁹ marcarum argenti puri, ponderis Treuirenſis, ceu beneficium tribuit, & obligauit, & Eccleſiam ſibi habere pacifice iuſſit, quoad per ipſum vel ſucceſſores illa ſumma redemta perſolutaq; fuerit.* Apud *Miraum in Diplomatis Belgicis* Carolus IV. anno 1348. Guilelmo Marchioni Juliacenſi Veſalienſe, Durenſe, Werdenſe, Bobardienſe & alia oppida, à *certis Romanorum Regibus & Imperatorib⁹, prædeceſſoribus & progenitoribus ſuis* (vt verba habent) oppignorata, confirmat. vbi hæc leges: *ſpondentes & firmiter promittentes pro nobis noſtriſq; in Regno & Imperio ſucceſſoribus, quod præſcripta pignora præfato Marchioni Iuliacenſi ac ſuis heredibus non auferemus, nec ea cuicunq; alteri perſonæ obligabimus, vel abſoluendum vllaten⁹ committemus: imò ea nos vel noſtri ſucceſ-*

pag. 186. & ſeq.

lib. 1. c. 94.

ſucceſſores, cum poterimus, debebimus abſoluere, & pro noſtra & Imperii noſtri propria pecunia liberare. Diplomata & literas eiusmodi (Pfands-Brieffe) vernaculo idiomate, à temporibus Ludouici habes in *Actis Lindauienſibus.* Huic Imperatoriæ oppignorandi licentiæ, quæſita ſunt remedia, pactis cum Electo Imperatore iniri ſolitis, quæ *Capitulatio* dicitur: vbi prohibitæ *alienationi*, adiungitur etiam *oppignoratio*, non ſine conſenſu Electorum facienda. An in remediis numerari quoque debeant priuilegia reluendi (die Reichs Pfandſchafften abzulöſen) Electoribus nonnullis conceſſa, elegans eſt diſquiſitio: nec deſunt affirmare volentibus pondera rationum; quamuis in alteram partem non ſit nihil, quod conſiderationem intentiorem mereatur. Ceterum, quoniam in Capitulationibus Cæſareis, Statibus etiam *Pignora*, quæ tenent, confirmantur, ardua exorta eſt quæſtio, de interpretatione facienda, vel ita, vt confirmatio Cæſarea, pignoris reluitionem impediat; quod totis viribus contendit *Auctor Actorum Lindauienſium*, paſſim: vel, ſalua Imperatori & Imperio, reluendi poteſtate. Quæ diſputatio ſuſpenſa eſt *Inſtrumento Pacis* (*artic.* 5. §. 9. ibi: *quod ad oppignorationes Imperiales attinet*) & ad Comitialem conſultationem ac definitionem remiſſa; reluitionibus interea inhibitis, & quoad Lindauiam & Weiſſenburgum reuocatis. à pag. 485. vsq ad 495.

§. X. Conferri debet cum lemate: *etiam ad alienandas iuriſdictiones minores (functiones ciuiles*

uiles minores hic vocat) *requiri populi conſenſum aut ſpecialem* (ſeu expreſſum) *aut per conſuetudinem*; mox *tacitum conſuetudine introductum conſenſum* appellat. Mirari poſſis, cur hîc *Grotius*, *iurisdictionum* vocem, vage ſolitam vulgo vſurpari, attulerit. Etiamſi enim dicas, *iurisdictiones ſummâ minores ſeu inferiores* alienari ita vel aliter poſſe, nondum ſatis intelligetur, quid *iurisdictiones* ſint. Quod enim de *iure dicundo* tantum voluerit capere Grotius, quatenus id munus magiſtratibus & miniſtris mandatur, vix crediderit, qui meminerit, alias quoque eiusmodi functiones ciuiles alienari poſſe & ſolere. e. g. Tributi varia genera, ſeu poteſtas exigendi vectigalia, portoria, aliaque, venduntur ab habentibus ſummam poteſtatem, non huic tantum & illi, ſed etiam hæredibus. Ne de moneta, de venatione, & aliis dicamus. *Deinde, ius regum tum electorum tum lege ſuccedentium*, *tantum eſſe temporarium*, & nulla re illos poſſe obligare ſucceſſores, quomodocunq; explicetur, vix admitti poterit. *Tertio*, donationes (qualium exempla ponuntur) factas eſſe *ſaluo iure ſuperioritatis*, vt hodie loquuntur; ſiue, vt donatarii agnoſcerent ſum̃am poteſtatem donatoris, poſſiderentque, vt ceteri ciues aliquid dominio priuato poſſident, nulla dubitandi cauſa eſt. Igitur *quarto* non ſatis apparet, cur aliquis, qui iure regio præditus eſt, vt Reges Perſarum fuerunt, non poſſit inconſulto populo facere, quod illi fecerunt, qui in his & a-

liis

liis omnibus ſui arbitrii fuerunt. Et plerumque hæc poteſtas Regibus, etiam qui Perſicis comparari nequeunt, competere creditur. Sed de *donationibus*, *infra* agendum erit.

Coniungunt alii, *iura & res regni*, cum de alienandi facultate quæritur, ſicut vides apud *Vaſquium:* cuius diſputatio plus ſpeciei, quàm explicationis habet. Nam *merus & ſimplex* c. I. 1, 5, 23. *Princeps*, quem vocat, nihil eſt ipſi aliud, quàm mandatarius, & curator aut tutor, prorſus ad iuris ciuilis formulam exactus. Tales autem Reges, nec ſunt iure regio, neque hic loci conſiderantur. Deinde, regulas adfert indefinitas, neque ad omnia exempla applicari idoneas, multisq; exceptionibus, omnes apud gentes, infirmatas. Tertio, ſi Principi Vaſquiano licet, ob rei exiguitatem, de conſenſu ciuium præſumere; quidni Princeps verus & iure regio, de conſenſu etiam in mediocribus aut maioribus reb⁹ queat præſumere? Quamquam hic quæritur, non tam de conſenſu ad actum alienandi requiſito præſumtoue, quàm de conſenſu populi, ipsâ conſtitutione regni obligato ad tales actus, Reipublicæ cauſa à Rege factos, in perpetuum.

Quando autem quæſtionem ita proponunt; *An Princeps regalia alienare poſſit?* dici non poteſt, quantum tricarum & confuſionum in ſcriptoribus præſertim Juris Publici occurrat; in illis? an Regalia ab Imperatoribus concedantur cumulative ſiue priuatiue; quæ hoc, quæ illo modo; an idem ſint cum ſuperio-

ritate; an idem ſint quod Germanicè ſtilo curiæ Herrligkeiten/ quot ſint numero, quæ maiora, quæ minora; an in eorum numero huic aut illi e. gr. iuri collectandi, conducendi &c. locus ſit, & quæ ſunt huius generis alia. Rationem quoque appellationis, relictis illis tricis, melius reddidiſſe videtur *Brovverus*, cum refert, Archiepiſcopo Treuirenſi Balduino per Ludouicum Imp. *priuilegia, iuraq́; quæ regalia ab munerum auctoribus ſic appellam⁹*, confirmata eſſe. Nunquam autem ſe expediunt, quando Status Imperii habere Regalia, & Regalia Imperatoris ſolius eſſe, aut non ſolius eſſe; itemque an quædam Regalia, à Statu Imperii ſubditis ſuis queant per priuilegium concedi, & an ſint tum Regalia, vage & inconſtanter differunt. Sicut exemplo eſſe poteſt vel ſola de *Regalibus Diſputatio Beſoldi* Theſauro Practico ſubiuncta. Illud quoque eſt intolerabile, quod Regalia nunc iuris ciuilis modulo ex *Feudalibus Placitis* & *Friderici Imperatoris conſtitutione* metiuntur; nunc, vt de re ad ius gentium exigenda differunt: denique fatentur tamen, neque iure nec vſu certo hoc argumentum haberi definitum. Quæ res potuit nonnullos eruditorum monere, vt vocabulo Regalium parcius vterentur; & potius ſibi explicandum ducerent, an exercitium poteſtatis ciuilis, per partes præſertim, & partium partes, & quatenus, quibusue & quot modis (vbi de alienatione etiam eiusque generibus cogitatur) a Principe communicari, delegari, deman-

Treuir. lib. 17. p. 985.

mandari, transferri poſſet. Mutavitque ſtilum in hypotheſi etiam, quantum ad Imperium noſtrum attinet; *Iacobus Lampadius*. Sed hæc ἐν παρόδῳ.

Ad §. XI. Repetenda ſunt, quæ *ſupra* de *vſufructuario*; tum de *vtilitate publica* & *neceſſitate* dicta ſunt. Exemplum ex Gallia petitum in *Annotatis*, non vsquequaque pro Grotio facit. Licet enim apud *Hiſtoricum*, anno 1577. *Thuan. lib. 63. p. 186.* Æmarus Burdegalenſis Præſes, Ordinum nomine, ſpecioſe diſſerat, *nullo caſu alienari à Rege patrimonium Coronæ poſſe, quippe cuius Rex tantum ſit vſufructuarius, proprietate penes regnum manente; quam nullo tempore alienatam, ne quidem extrema neceſſitate vrgente, cum Ioannes Rex apud Anglos captiuus eſſet, meminerint homines: quippe fulcrum & columen regni illud eſſe, quod ſacrum, inviolabile, maiores ſemper exiſtimauerint:* non defuerunt tamen, qui Regi ius maius, & antea, & poſtea vindicarent. Et quod hic de *captiuitate Regis* dicitur, alii Gallorum diſerte oſtendunt, tali caſu, λύτρων causâ, domanii alienationem non eſſe vetitam. In caſu anni 1577. eo facilius Ordinum oratio pondus habere viſa eſt, quod conſtaret, non neceſſitate verâ, ſed *affectatæ neceſſitatis obtentu*, rem à Regiis geri: deinde, conſequentiâ omnes metuebant, ſub *Rege profuſo*, ſicut *Thuanus* probe conſignauit. De cetero, neque tam vniuerſalis eſt, ſicut ab Æmaro profertur, regula, ſed exceptiones lege & vſu introductas habet complures, quæ videri poſſunt col-

lib.2. c.8. p. lectæ apud *Limnæum in Notitia Franciæ,* *601. & ſeq.* Quæ *Tholoſanus* (*3. de Rep.* 8.) affert, ad ratiocinationem neceſſitatis, & quæſtionem conſilii non ſunt leuis momenti. Accedit in partem ſupplementi, quantum ad cautiones, conditio reluitionis. de qua ante.

Cautione autem duplici, Grotius *aſſerta* §. *XI.* temperat: primo liberiorem poteſtatem regibus permittendo circa *res quæ in fructu ſunt patrimonii*, quàm *circa res patrimonii ſeu quæ ſunt in patrimonio*; §. XII. (quod in comparatione, etiam deliberantibus diſtinctionem non inutilem præbet. nam, extra comparationem, cum de re ipſa quæritur, quid ſtatuendum ſit, diximus) deinde, oppignorandi patrimonii publici, ſiue, vt Galli vocant, domanii licentia. §. XIII. Vbi tamen; quod de *parte* loquitur, iterum ad gradus neceſſitatis, & maius ſuadendi diſſuadendiue pondus pertinet, non ad quæſtionem iuris ſimpliciter propoſitam, quo minus enim ratio, quam de parte attulit, in toto valeat, nullum apparet impedimentum. Cum *plenum imperium*, ab *initio* §. explicat *de iure indicendi tributa*, accipi debet de pleno imperio in hoc genere, ſiue de parte ſummæ poteſtatis, de hoc iure maieſtatis, ſcilicet indicendi tributa. In fine §. bene addit *de lege imperio additâ*, ſiue de deſcriptione & conſtitutione legali cuiusque Principatus, vnde hæ controuerſiæ plerumque diiudicantur, in textu manifeſto. Vbi deficit lex, aut dubia eſt, illuc decurritur, vt, quid naturæ ac rationi

tioni maxime conſentaneum ſit, exquiratur.

§. XIV. *Teſtamenta*, eſſe *ſpeciem alienationis*, bene oſtenditur: neque vulgo dubitationem habet. Nam etſi in filiorum ſucceſſione, non videatur noua acquiſitio ſed continuatio dominii locum habere; quia tamen continuatio hæc veros demum & abſolutos conſtituit dominos, qui antea in ſpe tantum per qualecunque aut quaſi dominium erant; & in ſucceſſione cognatorum & extraneorum, ius plane nouum vocatis tribuitur, quod antea non habuerant: ſatis apparet, alienationi ſiue translationi dominii hîc locum eſſe. Quod reſpectu Teſtatoris transferentis, ea quoque conſideratione locum haberet, qua ſucceſſoribus, ius ad rem indubitabile tribueretur, & per ſucceſſionis actum ius in re firmari diceretur. Sed, *an ſint iuris naturalis teſtamenta*, quod *Grotius* vult, diſputationi obnoxium eſt. Et quamuis nonnulli cum Grotio ſtatuant, iuris naturalis aut gentium primæui ſeu naturalis eſſe; communis tamen opinio tenuit, ut quoad inuentionem, *iuris gentium*, quoad formam, *iuris ciuilis* teſtamenta dicerentur. A qua ſententia, vt ſolet, ſibi recedere glorioſum putauit *Fernandus Vasquius*, vt adſtrueret: *Teſtamenta eſſe Iuris Ciuilis, inuentione*; *Iuris Gentium ſecundarii, approbatione*. Verum iſta quidem facilius expediuntur, ſi *Formulas Teſtamentorũ & ſolennitates, ab ipſo per teſtamẽtũ de re ſua diſponẽdi iure* probe diſtinguamus. *de ſucceſſ. lib. 1. §. 1. n. 9.*

 mus.

mus. De vtroque, quin iura ciuilia nobiliorum gentium aliquid conſtituant, dubio caret: ſed non eodem modo. De *forma enim Teſtamentorum, libere & indifferenter* Legislator decernit, prout ſuæ reipublicæ & temporum intuitu hominumque captu, fraudibus & iniquitatibus potiſſimum obuiam iri, reique auctoritatem & fidem conciliari, opportunum iudicat. *Poteſtatem vero ipſam diſponendi de re ſua per teſtamentum*, vt iure naturæ fundatam, neque auferre prorſus poteſt, & ad æquitatis naturalis normam ſua legislatione explicare ſtudet, & interdum ad tempora & rationes ſuæ reipublicæ limitat, reducitque. ſicut & alia quædam, quæ ſunt iuris naturalis, in circumſtantiis interdum, ad rationem cuiusque reipublicæ, vel determinando vel interpretando accommodari ſolent. Neque exigui momenti eſt, quod teſtandi facultatem vel auferri, ſaluo iure naturæ; & ſuaderi naturali æquitate fatentur, qui communem ſententiam ſtilumque de cætero ſequuntur. Reperias quoq; multa huic, de iure naturali ſententiæ, in ardua illa, de *teſtamentis minus ſolennibus* diſputatione: vbi quæ ſunt exterioris fori, & quæ ſunt fori conſcientiæ, ſolicite diſtingui, rationis & moris eſt. Ea autem, quæ ad internum tribunal conſcientiæ referuntur, ita conſiderari, quatenus iuri naturæ conueniunt vel diſconueniunt, itidem certum eſt. Atque hîc vix poſſet elabi, ſi quis velit ſerio diſputare, *Vaſquius*. Fatetur is primo, *virtute*

legis

legis ciuilis remota, quod in teſtamento minus ſolenni accidere ait, *maneri in terminis Iuris Naturalis*. Sed quod ſequitur; *Ius naturale teſtandi facultatem non magis probare, quàm facultatem diſponẽdi de re aliena*; quomodo conueniat definitioni illius caſus, quem ſubiungit, difficulter reperias. Ait enim: *ſi hæres certus ſit de voluntate teſtatoris, in foro animæ; nihil aliud deſiderari, quo minus expleatur eius voluntas*; etiamſi propter defectus teſtamenti minus ſolennis in foro ciuili heres non teneretur. Hic, quia hæres lege ciuili, vt dictum eſt, non tenetur; qua lege ergo in foro conſcientiæ tenetur ad explendam voluntatem teſtatoris ſibi cognitam? Annon lege naturæ? quid enim aliud dici queat? ſi lege naturæ tenetur, ergo lex naturæ dictat: teſtatoris voluntatem explendam eſſe. Si hoc dictat, ergo facultatem teſtandi probat. quomodo enim iuberet impleri, quod damnat? incaute igitur non tantum, ſed importune dictum videri queat: *Iure naturæ admiſſum nunquam fuiſſe, vt quis teſtari poſſet*. An ne admiſit quidem, quod impleri poſtulat, etiam remota omni alia lege? Apparet ergo, nimis crude illud arripi, quaſi *iuri naturæ non congrueret, vt quis poſſet de rebus quondam ſuis diſponere, eo tempore, quo iam domin⁹ eſſe deſiit, vel eo tempore, quo dominus eſt, & effectum conferat in tempus quo futurus dominus non ſit*. Præterquam enim, quod hæc ita interpretanda, vt congruant aliis in fauorem teſtamentorum & vltimarum

De ſucceſſion. tom. I. lib. I. v. I. n. 22. & ſeqq.

voluntatum dictis & ex media ratione ac æquitate naturali petitis ſententiis, neque adeo vltra ſcopum extendenda ſunt: etiam alii contractus & pacta dantur, vbi translatio dominii ita fit, vt effectus in caſum mortis alteriius conferatur. in quibus tamen repugnantiam cum iure naturæ nemo incuſet. Et facultas diſponendi de re ſua, quam iuris naturalis eſſe concedunt, vel maxime poſtulat, vt quod abſolute & ſtatim alienare poteram, cum conditione queam alienare, & in caſum mortis, vbi non indigeam amplius. Neque tantum philoſophorum ratio fert, à poteſtate naturali contrahendi de rebus ſuis & dominium earum transferendi, ad teſtamenti ex iure naturæ originem deducendam procedere; ſed Iuriſconſultis quoque familiare eſt, ab vltimis voluntatibus ad conuentiones & pacta, & ex conuerſo, argumentari, ob communem efficientiæ, quæ vtrobique cernitur, rationem. Sed de ſingulorum differentibus & propriis ſubtiliter diſſerere, alterius loci eſt. cum Grotii ſententiâ apprime congruit *Ludouicus Molina: Poſita rerum diuiſione* (de cuius origine ſupra dictum) *de iure eſt gentium, imo & naturali, quod vnusquisq; de rebus ſuis diſponere poſſit per vltimam voluntatem: ſicut, poſita earundem rerum diuiſione, de iure gentium, imo & naturali eſt, poſſe celebrari permutationes & alios contractus, ex illisq; conſurgere obligationem. De iure tamen ciuili eſt, quod hoc tantum vel illo modo, & cum hac vel illa ſolennitate, & non aliter, per*

Tractat. 2. diſp. 124. §. 12.

per vltimam voluntatem diſponatur, iuxta leges particulares aut conſuetudines præſcriptas cuiuſuis reip. aut loci: ſicut etiam iure ciuili multa circa contractus legibus ac conſuetudinibus variis in locis ſunt introducta. Bene adiunxit iuri gentium, ius naturale. neque enim facultas per vltimam voluntatem diſponendi de re ſuâ, iure naturæ omnibus tributa, gentium iuri ſecundario, quod vocant, vnice aſſignanda eſt. & qui ex iure gentium repetunt, non omnia poterunt de ſecundario illo interpretari, quæ apud ſcriptores occurrunt teſtimonia. Nam Taciti quidem loco, de *Germanis*, incaute abutuntur, vt probent, quibusdam populis plane ignotum fuiſſe vſum teſtamentorum. Germanis veteribus, de quibus *Tacitus*, nullas edoctis literas, forma *cap. 20.* Teſtamentorum & ſcriptura, ad morem Romanum, quem Tacitus ſemper in oculis habet, non fuerit. eſto. at neminem quicquam vltima voluntate mandaſſe aut diſpoſuiſſe de re ſua, non conſequitur inde, quod ſucceſſio liberorum, omiſſa ſcriptione & formulis, iure naturali, & propinquorum, pro gradu, obtinuerit apud Germanos. Hinc potius ex, & pro iure naturali, colliguntur ea, quæ *capite ſequenti* amplius diſquiruntur: & ſimul patet, eos, qui tam accurate, de ſucceſſione, ea tenuerunt, quæ ſunt iuri naturali potiſſimum conſentanea, etiam citra imperium legis ciuilis (ſi modo: nam ego id non aſſeueraueurim licet de ll. ſcriptis non conſtet) vel maxime

me probaſſe, & eiuſdem iuris naturalis dictamini credidiſſe, facultatem tranſmittendi ad poſteros dominii, cuique domino naturaliter deberi. Eſtque loco omnium argumentorum, quod hodieque in caſibus dubiis, & grauiſſimis quæſtionibus circa teſtamenta, decurritur ad tribunal iuris naturalis, vt *ſupra* cœpimus dicere, id eſt ad primum ius, & ex natura rei conſtitutum, ſicut Deus intelligeretur voluiſſe & conſtituiſſe. Liceat nobis, inflexo paulum ſenſu, illud *Pauli*, etiam Scæuolæ probatum, vſurpare de teſtamentis, quod ille de conuentionibus ſuper dote initis poſuit: *quotiens ad ius quod lex natura eis tribuit, de dote actio redit, non fit cauſa dotis deterior, ſed forma ſua redditur.* Certe quantuſcunq; fauor poteſt eſſe reductionis ad ius commune in eiuſmodi dubitationibus; tantus, ſi non maior, debet eſſe, vbi ius commune, id eſt ciuili legiſlatione notum expreſſumque, deficit, iuris naturæ; ad cuius dictata optimus quiſque legiſlator teſtamentariam materiam exactam reuocatamque cúpit. Juris naturæ eſt, vt vltima cuiuſque voluntas & innoteſcat & impleatur citra corruptionem, dolum, cauillationem. hæc forma & natura rei. Huic legi naturæ, vt ciuilis lex congruat, tot ſolennitates, tot formulæ repertæ ſunt, quibus vnum id agitur, vt & conſtet de voluntate teſtatoris, & vt ea impleatur: id eſt, vt ad ſuam primam formam & ius naturæ exigatur hoc omne negotium. huc enim reditur inter dubia, huc reſpicitur inter ſubita

l. ſi vnus §. pactus ne pet. D. de pactis.

ſubita; ſicut ex iis cognoſcitur, quæ de teſtamentis militaribus, aliiſque non ſolennibus, aut inter liberos, & in piis cauſis, conſtituuntur. Videatur *Molina tractat.* 2. *diſp.* 77. *Cardinalis de Lugo tom.* 2. *diſp.* 24.

Quod in *fine* §. de negato peregrinis teſtamenti iure additur, haud dubie ortum habet ab *auaris adulationibus*, quas *Plinius* vocat, ſiue callidis ſuggeſtionibus Aulicorum, fiſci locupletandi rationes per fas & nefas conquirentium, & varia exactionum nomina vndique conducentium: & poteſt forte illis legibus accenſeri, quas *principio ſequentis capitis*, *Grotius* deſcribit. Si humanius iudicandum eſt, ad arcana regnorum eatenus ſpectauit, quatenus *ius ciuitatis*, & *iura ciuium*, extollere, & peregrinis ardua reddere ſtuduerunt; imitatione quadam *iuris Latinitatis* apud Romanos. Nec deſunt tamen *temperamenta* ex aliis priuilegiis, quaſi in compenſationem conceſſis. Galli *Albinagium* vocant. de quo *vid. Bodin. de Rep. lib.* 1. *c.* 6. *non procul à fine. Speidel, Notabil. v. Albinag.*

In Lib. II. Cap. VII.

De acquiſitione deriuatiua, quæ fit per legem vbi de ſucceſſionibus ab inteſtato.

Præ-

Præmiſſa annotatione de *legibus quibusdam Ciuilibus iniuſtis* (§. 1.) acquiſitionem deriuatiuam (quæ transfert dominium, ſiue per alienationem fit) *lege naturæ* ait fieri *vel* expletione iuris §. 2. *vel* ſucceſſione eaque *vel* ut inter priuatos, & in bona; *vel* ut in regnum. *Succeſſio* in bona ab inteſtato conſideratur, *vel* ex ratione debiti, *vel* ex ratione officii. §. 3. Ratione *debiti* conſiderantur *alimenta*, *vel* liberis debita à parentibus, §. 4. & avis §. 6. cum duplici exceptione *tum* abdicationis & exhæredationis §. 7. *tum* inceſti partus §. 8. *vel* parentibus debita à liberis §. 5. *Ratione officii* diſtinguuntur bona paterna auitaque, quæ referendæ gratiæ ergo *proximis* conueniunt, *vel* viuis *vel* defunctis, id eſt eorum liberis §. 9. *&* nouiter quæſita, quæ cariſſimis id eſt cognatis & propinquis rectiſſime relinqui videntur §. 10. niſi quod deficiente coniectura voluntatis *lex & mos populi* attenditur, §. 11. Succeſſio in regna eſt *vel* hereditaria, *vel* non hereditaria linealis, *vel* pro arbitrio inducta. In *hereditaria ſucceſſione* diſtinguuntur *primo* regna quæ in patrimonio ſunt, & quæ libero populi conſenſu facta ſunt hereditaria: *Deinde*, quæ non ſunt feudalia, & quæ primitus in feudum data ſunt. In *Patrimonialibus Regnis*, diuiſim mares & fœminæ, nec adoptati minus veris liberis ſuccedere poſſunt §. 12. aut ſi indiuidua ſint, natu maximus, ſine diſcrimine ſexus §. 13. In *regnis quæ non ſunt in patrimonio*, quæritur, an regnum pars ſit hereditatis §. 19. *Voluntas* autem

tem populi præſumitur *primo de* non diuidendo regno §. 14. *ſecundo* de ſucceſſione eorum, qui à primo rege deſcendunt, ſiue de prærogatiua familiæ §. 15. *tertio* de excludendis nothis & adoptiuis §. 16. *quarto* de prærogatiua ſexus inter pares §. 17. *quinto* de prærogatiua ætatis §. 18. Quantum ad alterum diſcrimen regnorum, in *regnis non feudalibus*, mos ſuccedendi in allodiis vſitatus §. 20. in *feudalibus* lex ſucceſſionis feudalis cuiusque gentis obtinebit §. 21. *Succeſſio non-hereditaria linealis* in regnis eſt *vel* linealis cognatica, quæ explicatur §. 22. *vel* linealis agnatica, §. 23. *Succeſſionis pro arbitrio inductæ* ſpecimina ponuntur §. 24. Denique tota tractatio, diligentiſſima ſane, *exemplis controuerſiarum* circa ſucceſſiones illuſtratur *à* §. 25. *vſq. ad finem.*

§. I. *Alienationem, quæ lege fit*, conſiderari poſſe, vel vt *lege naturæ*, vel vt *lege gentium voluntaria*, quam Grotius vocat, vel vt *lege ciuili* fit, in aperto eſt. De *Lege Naturæ* agit *hoc capite*; de *lege gentium*, *vel* vulgo ita dicta, agit *cap. ſequenti*; vel vere hîc intelligenda, *libro tertio*. *Legis* autem *ciuilis* conſiderationem remouet ab hac diſputatione, eo quod *præcipua de bellis controuerſia, inde*, vt notiſſimum eſt, *non definiantur:* vt ſcilicet eſt lex ciuilis, nam, vt Naturæ legem repetit, aliter ſentiendum eſt. Deinde illuſtrandi & explicandi cauſſa ſæpiſſime ea, quæ in priuatis præclare & iuri naturæ conſentanea tradit Jus ciuile, ad publica hæc vtiliter & laudabiliter accommodan-

dantur: ſicut in materia ſucceſſionum nemo neget. Tertio, ſi partes contendentes ſponte conſentiant in arbitros, ex iure ciuili aut eius analogia pronuntiaturos, nihil eſt quod obſtet, quo minus Auctoritas iuris ciuilis etiam in talibus controuerſiis valeat. Quarto, de Jureconſultorum Reſponſis & Conſiliis, ita iudicandum eſt: Fuiſſe varias apud gentes Europæas ſummos viros, quorum ingenium, & eruditio omnis iuris (non ciuilis tantum, quod ſeorſum ita appellatur) tum prudentia & vſus rerum, meruerit maximis quibusque in hoc genere controuerſiis tractandis adhiberi; neque quicquam facile de iure naturæ & gentium, iterum ſeorſum ſpectato, excogitari poſſe, quod in ſuis ſcriptis non viderint, tetigerint, aut etiam explicarint. Sicut & illud certiſſimum eſt, multa perinſignia eorum ſcripta & Reſponſa extare, vbi minimum ſit, interdum vix aliquid, quod ex iure ciuili, vt à iure naturæ & gentium recedit, petatur. Igitur ſi quæſtio cõſilii ſit, an egregia doctrina & prudentiâ Jureconſulti (non enim omnes, qui hoc nomen oſtentant, ſe pares tantis rebus profiteri audeant) controuerſiis Principum definiendis adhiberi debeant, quis volet vnquam negare aut diſſuadere? Sed cum de obligatione quæſtio eſt (id enim hîc potiſſimum agitur) non affirmabit, puto, qui vocabula & res ſatis intelligit & recte accipit, ſummas poteſtates ſiue abſolutos Principes & neminem habentes iudicem niſi Deum, iure ciuili Roma-

no obligari; niſi ſpontaneo conſenſu ſuas controuerſias tali tribunali ſubmiſerint. Quibus, vt oportet, conſideratis, ſatis apparebit, quomodo conciliari ſibi inuicem poſſint ea, quæ vtramq; in partem in cauſa Luſitanicæ ſucceſſionis, contra Auctoritatem Juris Juſtinianei & pro ea ſunt diſputata, ab *Alberico Gentile*, *de I. B. 1, 8.* & apud Hiſtoricos Hiſpanos, in *Hiſpania Illuſtrata*. *de Ant. I.C.* vnde ſummatim excipit *Arthurus Duck*. *lib. 2. cap. 7 §. 15. & 16.*

Dum ius ciuile, ab hac ſua tractatione remouet Grotius; in tranſitu oſtendit: *Leges ciuiles quaſdam* (intellige, vt huc pertinent, in materia alienationis) *iniuſtas eſſe*, allato exemplo, *de iure naufragii colligendi.* quod amplius explicat *Iac. Gothofredus*, *Diſſertatione peculiari ad l.* 'Aξίωσις *ſ. L. Deprecatio. 9. D. de L. Rhodia de Iactu.* Quod *Bodinus* ius naufragii colligendi *1. de rep. 6. vlt.* defendere videtur, (conquerente etiam *Grotio in Annotatis*) id ego de teſtimonio facti, non de demonſtratione iuris acceperim. *crudelitatem* vocat, ſed *vſitatam iis qui portus habent.* Addit: *Ius quæris? error ius facit. at ſi non peccatur errore, ſed ſcientia, ſcelus eſt, quod erroris ſpecie prætenditur.* Satis dixit? puto: & inde ſequentia, qualia ſint iudicari poſſe. Ille prætendit factum, quaſi iure gentium licitum. ſc. per errorem, aut dolum. ille non incuſat factum: quia ſcit, ſe fruſtra fore; errore aut dolo vim ac regnum iuris obtinente. De caſibus ſingularibus, infra. Alibi talia, i. e. iniuſta putat *Grotius* in SCto *Silaniano*; *lib. I. cap. 2. §. 9.*

§. 9. cui tuendo C. Caſſius ap. *Tacitum*, ingenium concutit: & illud in *L. Quisquis C. ad L. Iul. Mai. debuiſſe paterno perire ſupplicio, in quibus paterni criminis exempla metuuntur*; lib. 2. cap. 21. §. 13. cui deſtinatur Apologia *Iac. Gothofredi in Diſc. Hiſtor. ad illam Legem cap. 16. Canoniſtæ* alias, multas leges I.C. Romani, vt iniquas, parũ vere aut accurate recenſent, ſicuti vel confeſſio *Adami Contzenii*, tali catalogo ſubiecta, oſtendere queat. Ex diuerſo ipſis Canoniſtis demonſtrari ſolet, quantum ſit iniuſtatum legum in Jure Canonico Pontificio. Collecta ſunt illa in *Confeſſ. Cathol. Io. Gerhardi lib. 1. part. 2. cap. 14. Macedonum legem*, de qua *Curtius* (6. 11. 20.) manifeſto iniquam fuiſſe, nemo facile abnuat. *Legis veſtiariæ iniquæ* exemplum *Bodinus* memorat *lib. 6. de rep. c. 6. Legem XII. Tab. de corpore debitoris inter creditores diuidendo*, conatus eſt quidem à crudelitatis & iniuſtitiæ labe purgare, doctiſſimus Vir *Annæus Robertus*, quaſi *non ad corporis, ſed ad bonorum ſectionem i. e. partitionem* referenda ſint illa verba, *partes ſecando*. Sed quis non audiat potius veteres Jureconſultos horum verborum interpretes, *à Gothofredo collectos*, qui de *corpore debitoris* acceperunt, neque eo conſilio latam, vt exerceretur, ſed vt terrore iniecto impetraret, ne exerceretur, pronuntiarunt?

lib. 5. polit. c. 3. §. 4.

v. Petr. Fabri Semeſtr. 3, 8.

ver. iudicat. lib. 2. c. 6.

fragm. XII. Tabb.

Quæ §. 11. habentur, de *alieno ad conſecutionem debiti ſui accipiendo, primo* ſalua iudiciorũ auctoritate, nec vltra, valere intelliguntur; quod *Grotius* ipſe monuit. qui & *ſecundarium*

& ſurrogatum hoc ius vocat *III, 3, 6.* Vnde, ne quid delibetur de iudiciorum illa auctoritate, cum ipſa ciuitate natâ, caute accipi, & commode explicari, ſi pote, debent, quæ in *fine* §. de caſu *deficientis probationis* afferuntur. Et non de nihilo eſt, quod *Feldenus* hic monuit. Reſpondet quidem & *Graſuuinckelius*, non eſſe ſermonem de eo caſu, quo copia iudicii ſit. Sed verba Grotiana ſatis oſtendunt, iudicii copiam hîc aſſeuerari, adeoque id tempus intelligi, vbi iudex quidem non deeſt, ſed deeſt actori ſeu parti ius ſuum perſequi cupienti probatio. Quo caſu, ſicuti in iudicio deſiſtere potius petitor debet, ita videndum, an non ſatius ſit hîc quoque decedere ſuo iure, quàm eo vti remedio, quod ſine periculo mali exempli non poteſt vſurpari. Dato enim iudice, ius naturæ me iubet eius ope, quod meum eſt conſequi. cum præſertim, ſi obtentu iuris naturalis velim rei alienæ manum iniicere, iudex interceſſurus ſit, cui ſine probatione iuris mei nequeam ſatisfacere. vnde turbis occaſio & contentionibus grauioribus. Aliud dicendum fuerit, ſi iniquitas iudicis ius meum mihi tribuere nolentis reapſe interuenerit.

In *Annotatis* exemplum Hebræorum ab Ægyptiis quædam quaſi mercedis loco auferentium adducitur, auctoritate *Irenæi* & *Tertulliani* ad ius naturæ referentium. Sed quia Sacer Codex nos docet, iuſſu Dei hoc factum eſſe; non ſatis commode huc accommodatur. Siue enim Deum conſideres, vt *dominum ſupre-*

mum, & in dominorum inferiorum res & iura ius habentem; ſiue vt *iudicem ſupremũ*, rem cõſtitues extra caſum, qui hîc ſpectatur. *Illo* enim modo donauerit Hebræis ſuo iure res Ægyptiorum; *hoc* modo Iſraelitis in mercedem maximorum laborum adiudicauerit. Hic autem agitur, de eo, quod quis ſine auctoritate domini, aut iudicis aſſequitur. Qualis caſus etiam *infra* proponitur in *captiuo*, qui *mercedem laboris ſui*
III,7,6. *clanculũ ſubducat.* vbi *Annotata* vide, huic loco *παράλληλα*. Et ſane, *Scholaſtici* inter ea, quæ domino ſine iniuſtitia auferri queunt, enumerant hunc caſum, *cum quis ad certum & liquidum debitum compenſandũ, quod ordine iuridico propter potentiã debitoris recuperare prorſ' non poteſt, ali-*
lib. 2. c. 12. *enum accipit. Leſſi'* in hac quæſtione ita incedit,
dub. 10. vt dicat, poſſe aliquem rem ſuam aut ſibi debitã, iniuſte apud alterum exiſtentem, occulte recipere, ſi modo has conditiones obſeruet: *vt moraliter certum habeat, rem ſuam eſſe, aut ſibi debitam.* in dubio enim, non idem iuris eſſe. 2. *Vt non poſſit eam aliter recuperare, vel certe non abſq; notabili moleſtia, vel expenſis, vel amiſſione beneuolentiæ & fauoris.* in quo nimis liberalis videtur. ſubſidiarium enim hoc remedium, ſi modo, eſt, quod non niſi aliis remediis conſumtis aut negatis, ex natura ſubſidiorum, locum habere poſſet. 3. *vt non accipiat rem apud debitorem depoſitam, ſed vel ſuam vel ſui debitoris:* cum compenſatio non procedat niſi ex bonis debitoris in eius dominio poſitis. 4. *vt abſit periculum ſcandali vel infamiæ, ne pro fure habeatur & puniatur.* His obſeruatis, licite pu-

te putat fieri, quod dictum eſt: &, quod virum ſanctiora profeſſum minime decebat, vltro addit: *Si is, qui iuſte accepit* (occulte ſcilicet, rem ſuam aut ſibi debitam iniuſte apud alium exiſtentem) *rogaretur à Iudice, num ſciret quis acceperit, vel an ipſe non acceperit, poſſe negare, ſe ſcire, etiam cum iuramento; nempe intelligendo, ſe neſcire quis ita acceperit, vt Iudex intendit, nempe iniuſte.* Sed aduerſus iudicis poteſtatem, quæ in viuili vita, architectonica eſt, æquiuocationes & mentales reſtrictiones admittere; ipſiusque iuriſiurandi ſanctimoniam & ſimplicitatem hoc *artificio*, vt vocant, eludere: id vero eſt, & diuini iudicii & humani, diuino ſubordinati, auctoritatem conuellere. Rectius omnino ſentiunt, qui furtum quidem non committi proprie dictum, in caſu rei ſuæ aut ſibi debitæ ex deſperatione alterius remedii clam ablatæ, ſed non ſine culpa tamen id fieri contendunt: ſatisque eſſe id facientibus debere, ſi veniam impetrent culpæ, etiamſi culpa vacare non dicantur. *Feldenus* non male hac de re ſenſit, (quamquam de definitione furti accurate conſtituenda nunc non agamus) cum punibile hoc factum ait, *quod propria auctoritate occupetur id, quod iudicis officio obtineri debebat, bellumq; priuatum non ſatis licite ſuſcipiatur.* *Element. part. 2. c. 4. membr. 3. artic. 20.*

§. III. *Origo ſucceſſionis ab inteſtato*, recte à Natura repetitur: vt bona ſcilicet defunctorum perueniant ad eos, quibus ratio naturalis ea, vel vt debita, vel ut præ aliis conuenientia,

adiudicat. Sed hoc iudicium naturale, ſiue hæc naturæ & rationis regula, non aliunde poteſt initium capere, quàm à reſpectu dominii, quod defunctus habuit. Non enim diſquiſitio hîc fit, vt de bonis in medio poſitis, quæ ſimpliciter ἀδέσποτα ſunt, & arbitrariæ diſpoſitioni corporis ciuilis ſeu ſummæ poteſtatis ſubiacent: ſed vt de bonis certi domini, quæ, non in vagum incertumque euentum, ſed primo ſibi, deinde, quatenus non indigeret, aliis, quæſiuiſſe ac tenuiſſe, neque illam voluntatem vnquam aut in vllum caſum abiecisse, aut abiicere debuiſſe intelligitur. Huius dominii quotiens exercitium morte perſonæ abrumpitur, ius tamen & vis perpetuatur & transfertur in neceſſarios & attinentes non promiſcue & temere, ſed eo ordine, quem natura, reſpectu conſtitutæ dominiorum diſtinctionis, dictat eſſe æquiſſimum, maximeque rationi congruentem. Quis eſt iſte ordo? an alius, quàm vt bona defuncti perueniant ad proximos? pro gradu ſcilicet propinquitatis & neceſſitudinis. Atque, vt nihil æquius melius natura dictitat, ita omnes domini ratione non deprauata vtentes de bonis ſuis haud aliter fieri volunt optantque. Cur enim aliud velle credamus, quàm quod natura iubet ſuadetue? Igitur non opponenda eſt hic ratio naturalis, coniecturæ voluntatis. Voluntatem, vel ratione actus, in præſens; vel ratione voti, in futurum, informat natura. Quare, ſiue à priori rationem naturæ, volun-

tatem

tatem informantis, ſiue voluntatem in actu aut voto à natura informatam ſeu naturæ conſentaneam ſpectes, ius & æquitas naturæ eadem eſt manetque: Et reſpectu transferendi dominii, non clarius, quàm à voluntate præſumta legitimorum dominorum repetitur explicaturq;. Sicut etiam legislator ciuilis, in iis quæ circa ſucceſſiones ab inteſtato conſtituit, nec plenius nec melius commendat ſuam legislationem, quàm ſi dicat, ſe eam conſtituiſſe, quæ dominorum quisque velle, aut velle debuiſſe intelligeretur. Quæ omnia reperias in ipſis Jureconſultorum explicationibus, quibus rationes receptæ inteſtatorum ſucceſſionis, & cauſas inquirunt. *In ſubſidium*, inquiunt, *voluntatum vivorum morte interceptarũ, lex ſucceſſionem ab inteſtato induxit, vt quod fere omnes deſiderant, nempe ſibi coniunctos ſanguine, potius ſua bona habere, & quo gradu proximiores ſunt, eo magis, vt plus dilectos; id ſuâ prouidentia ſuppleret:* quare, *ex arbitrio viuentium, deſideria morientium non ſine ratione colligi*, dicuntur: *Sequiturq́, lex in hoc, naturâ in homine non deprauata voluntatem, &, vt natura, vocat volentes proximos regulariter ſanguine ad ſucceſſionem.* vid. *Gregor. Tholoſanus in repetitione huius argumenti.* Nec pauca huius philoſophiæ occurrunt, quando *de Heredibus ſuis* agitur. Vere igitur, & iam diſtincte ac ſubtiliter locum habet illud *Plinii*, quod hic affertur: *Defunctorum voluntatem intellexiſſe, pro iure eſt.* quæ *Epiſtola* tota legenda eſt, vnà cum *reliquis* in margine annotatis.

Synt. I. V. lib. 45. c. 1. §. 6.

§. IV. & V. In ſucceſſione inteſtati, primam naturaliter ſortem eſſe liberorum oſtenſurus, ita vt parentibus quoque defunctorum & in vniuerſum aſcendentibus, præferantur; de *alimentis* præmittit, quatenus vel *liberis* vel *parentibus* debentur. De *alimentis* autem, *quæ liberis debentur*, inquiri ſolet, quid *alimentorum* vocabulo comprehendatur; deinde *quousq;* præſtentur; tum quo *ordine ac portione* debeantur in diſſoluto per diuortiũ aut mortem alteri⁹ coniugis matrimonio; denique, an & quatenus *liberorum hæredibus* deberi intelligantur. Quæ apud *Moraliſtas* diſputantur. Adde *Arniſæi relect. polit. lib. 1. cap. 4. ſect. 4.*

De inſtinctu naturali ceterorum quoque animantium ad alendos fœtus, incomparabiles quodammodo ſunt loci communes, qui hic laudantur, apud *Philoſtratum*, & *Oppianum*. Quorum *Ille* quidem *lib. II.* (ita enim reſcribendum eſt) *capp. laudatis*, oſtenſurus fruſtra quæri à nonnullis, φυσικὸν, εἰ μὴ, τὴν πρὸς τὰ τέκνα εὔνοιαν εἶναι, *naturalis ſit nec ne amor liberorum*, plurimorum animantium hiſtoria adducta, naturalem in brutis quoque στοργὴν enumerat: *Hic* (*Cyneg. 3. à v. 107, & Halieut. 1. à v. 646. & 702.*) propoſita ſententia, non hominibus tantum ſed omni animantium generi inſitum eſſe prolis amorem, itidem exempla petit, è mari quidem Delphinum piſciumque; ex auibus, columbarum, aquilarum, cornicum, gallinarum; ex quadrupedibus feris, leænarum, pantherarum, tigridum; & in al-

tero

tero loco, decem genera animalium nominat. digna quæ conſulatur, poëſis, non ineruditis à *ConradoRittershuſio* Oppiani Soſpitatore notis illuſtrata.

Quantum ad *vulgo quæſitos*, textus Juris ciuilis, alimenta eis denegantes, *Ludouicus Molina* non vult intelligi *de alimentis, ſine quibus eiuſmodi filii vitam amitterent. id namq́ aperte eſſet* (inquit) *contra ius naturale, ac proinde manifeſte iniquũ: & cum alii iure naturali in parentum defectũ ſub reatu lethalis culpæ hæc illis exhibere teneantur, primo loco multoq́ arctius parentes ad id tenentur: ſed intelligendum eſt de alimentis, ſine quibus vel proprio labore ac induſtria, vel alia aliqua via poſſent vitã conſeruare.* Quæ naturalis æquitas, non *iure Canonico* tantũ, ſed ſententiis Dd. ſtabilitur. Videndus omnino eſt *Carpzouius in Definitionibus forenſibus.* *Tractat. 2. diſp. 168. §. 1. adde Leſſ. lib. 2. c. 19. dub. 6. §. 67.* *Part. 2, conſtit. 10. def. 18. & part. 3. conſt. 14. def. 11.*

Parentibus quoque liberi, & deſcendentes aſcendentibus alimenta, ſi aliter ſibi comparare non poſſunt, debere, non leges tantum ciuiles humanarum gentium decernunt, ſed naturalis ratio demonſtrat. Quam ex naturali inſtinctu ciconiarum, eo genere philoſophandi, de quo alibi diximus, illuſtrant. *Chorus* apud *Sophoclem* contra impios liberos, grauiter inſurgit in iſtis: *in Electro; v. 1063.*

Τί τοὺς ἄνωθεν φρονιμωτάτους
οἰωνοὺς ἐσορώμενοι
τροφᾶς κηδομένοις, ἀφ' ὧν τε
βλαστῶσιν, ἀφ' ὧν τ' ὄνησιν εὕρωσι, τάδ' οὐκ ἐπίσης τελοῦμεν;

Quid ſupra nos intuemur ſapientiſſimas volucres, de cibo proſpicientes iis, à quibus generantur atq́ educantur; neq́ imitamur hunc morẽ? Volucres illæ ſunt *ciconiæ*, de quibus *Scholiaſtes Græcus*: οὗτοι γὰρ (πελαργοὶ) γεγηρακότας τοὺς πατέρας τρέφουσιν. εἰς ἀμοιβὴν τῆς γεννήσεως καὶ ἀνατροφῆς· ὅθεν καὶ τὸ ἀντιπελαργῶσιν εἴρηται. *Ciconiæ, parentes ſenio confectos alunt, ad compenſandam generationis & educationis vicem. unde & Græca vox* ἀντιπελαργῶσιν *dicitur.* Et in ſequentibus *Chori* verbis μέγιστα νόμιμα, & ἡ Ζηνὸς εὐσέβεια, *iuſta maxime inſignia, & Iovis pietas ſiue in Iouem pietas*, in hac

pag. 226. φιλοστοργία erga parentes reponuntur. Vnde iterum *Scholiaſtes*: λέγω δὴ τὸ κήδεσθαι τοῦ πατρὸς, ἅ εἶτα τῶν δὲ καὶ τούτων, ἃ μέγιστα νόμιμα ἔβλαστε παρ' ἀνθρώποις. πάντων γὰρ νομίμων καὶ δικαίων τοῦθ' ἓν κρεῖττον καὶ μέγιστον παρὰ πάντων ἀνακηρύττεται, φροντίδα ποιεῖσθαι πατρός. ὃ θεὸς ἀποδέχεται. καὶ εὐσεβὲς λογίζεται. *Patris curam gerere, dico. quod inter ea, quæ optima maxima iura mortalibus habentur, præcipuum eſt. Inter omnia enim iuſta & legitima hoc vnum optimum maximum ore omniũ celebratur, patris curam gerere. id quod Deo acceptum, iuſtumq́ reputatur.* τὸ ἀντιπελαργεῖν, eſſet Latine, *mutuam alimentorum & ſuſtentationis vicem parentib⁹ exhibere, more ciconiarum. Hierocles* in aureo *ad aurea Pythagoreorum carmina commentario*, prolixe oſtendit; *deberi parentibus honorem*, & σώματος ὑπηρεσίαν καὶ χρημάτων χορηγίαν ὅτι μάλιστα προθυμοτάτην, *miniſterium corporis, rerumq́ neceſſariarũ ſuppeditationem promtiſſimam ac liberaliſſimam.* Hebræi, quarto

to Præcepto contineri dicunt, vt liberi parentes alant, & ad hoc faciendum adigantur; apud *Seldenum*. *Vlpianus* iure cogendos, liberos re- *de I. N. &*
ſpondit. Apud *Marcum Senecam* (*Excerpt.* *G. VII, 2.*
Controu. I, 1. & 7. & VII, 6.) Lex proponitur; *Li-* *l. ſi quis à*
beri parentes alant aut vinciantur. Vbi vide, *lib. D. de*
quæ *Andreas Schottus ad principium Controuer-* *agn. vel al.*
ſiarum (I, 1.) annotauit, & adde *Fabii Quinctili-* *lib.*
liani declam. V. vbi multa illuſtrandæ huic philoſophiæ dicuntur.

Liberos eſſe quaſi partes parentum, Ariſtotelicâ ſententiâ dicit, quam diſerte exprimit *Philo* *p. 553.*
Iudæus in Ioſepho: μέρη γὰρ τέκνα γονέων. *liberi enim partes ſunt parentum.*

Locum Apoſtoli (2. *Cor.* 12.) cui addi debet Gal. 4. recte ad ius naturæ retulit. Sicut &
Theodoretus: κέχρηται δέ τινι καὶ φυσικῇ γνωμολο- *tom. 3. pag.*
γίᾳ. *vſus eſt quadam naturali ratione ſententiæ.* *258.*
Philo Judæus, ſucceſſionum leges explicans, *lib. 3. de vi-*
notabiliter: ἀλλ᾽ ἐπειδὰν ὁ νόμος φύσεώς ἐστι κληρο- *ta Mos p.*
νομεῖσθαι τοὺς γονεῖς ὑπὸ παίδων, ἀλλὰ μὴ τούτους κλη- *689.*
ρονομεῖν, τὸ μὲν ἀπευκταῖον καὶ παλίμφημον, ἡσύχασεν, ἵνα μὴ πατὴρ καὶ μήτηρ προσοδεύεσθαι δοκῶσι τὰ ἐπ᾽ ὠκυμόροις τέκνοις ἀπαρηγόρητα πένθη, πλαγίως δ᾽ αὐτοὺς ἐκάλεσε τοῖς θείοις ἐφιεὶς, ἵνα καὶ ἀμφοτέρων στοχάσηται, καὶ τοῦ πρέποντος, καὶ τοῦ τὴν οὐσίαν μὴ ἀλλοτριωθῆναι. *Sed quandoquidẽ lex naturæ eſt, vt filii ſint hæredes parentum, non parentes liberorũ, illud quidem quod ominoſum & piis votis contrarium erat, omiſit, ne pater materq; ex acerbis luctumq; inconſolabilem portendentibus liberorum funeribus, lucrari viderentur; oblique autem*

eos vocauit in eo,quod de patruis addit; vt & decorum ſeruaret,& bonorum ex familia alienationem impediret.

§. VI. Duo hic dicuntur: *primum* de alimentis,quatenus deſcendentibus debentur ab auis; *deinde* de vicaria ſucceſſione per ſtirpes ſiue repræſentatione. *Prius* illud, vt naturale eſt, ita legibus quoque ciuilibus variarum gentium
orat.18.pro Ariſtoph. bonis. repetitur, declaratur, determinatur. Apud *Lyſiam*, vbi ſermo eſt,de liberis paterna hereditate ſpoliatis, *ſecunda ſiue reliqua ſpes ſuperfuiſſe* dicitur, *vt ab auo educarentur.* ὑπόλοιπος ἐλπὶς ἦν, ὑπὸ τοῦ πάππου ἐκτραφῆναι. *Ludouicus Molina*
Tract.2.diſput.228. §.20. ita plenius complectitur: *Poſt patrem & matrem, qui proximiores fuerint in gradu, deſcendentibus, quemadmodum ipſi ſoli eis ſuccedunt, ita ipſos ſolos teneri eis alimenta præſtare, & è contrario, deſcendentes aſcendentibus propter eandem rationem. Quando tamen proximiores impotentes eſſent, ad illa præſtanda; tenerentur, qui poſt eos proximiores ſunt, ea præſtare. Hoc tamen de iure communi hanc patitur limitationem, quod nepotibus, ſi legitimi ſint, ſoli aſcendentes per lineam paternam tenentur alimenta præſtare, non vero aſcendentes per lineam maternam, niſi in defectu aſcendentium per lineam paternam, vt vtrumq; habetur l. pen. D. de liber. agnoſc. Ratio eſt,quoniam nepotes,de eodem iure communi, ſunt in poteſtate auorum & proauorum paternorum, ad eoſq; pertinet vſusfructus & adminiſtratio bonorum talium nepotum; non vero ſunt in poteſtate auorum maternorum. Eademq;*

demq; ratione nepotes per lineam maternam non tenentur præſtare alimenta auis aut proauis maternis, niſi in defectu aliorum nepotū, qui ex ipſis per lineam maſculinam deſcendant. Vbi autem iure ciuili aliter conſtitutum eſt, filiiq;, per matrimonium egrediuntur patriam poteſtatem, adeoque nepotes nunquam ſunt in poteſtate auorum; aui quoque materni æque ac ſimul cum paternis ſuccedunt nepotibus (quod de *iure Luſitano & Caſtellæ, Molina* teſtatur) ad naturalem æquitatem res redit, vt æqualiter alant alanturque, in quibus ſucceſſionis obtinet æqualitas.

Repræſentatio, cum ſit quædam ſurrogatio de perſona filii in perſonam patris, totiensque obtineat, quotiens quis non ſuo ſed patris iure ſuccedit; poſititii ſane iuris habetur; dum vlteriores in locum ſuorum parentum fictione quadam iuris promouentur, vt cum iis in ſtirpes ſuccedant: ab æquitate tamen naturali excitatur ſuadeturque, vt hîc Grotius oſtendit. Neque abludunt inde cetera, quæ de *Repræſentatione*, in deſcendentibus in infinitum, in aſcendentibus nunquam, in collateralibus obtinente in primo gradu filiorum, quando vel fratris filii cum patruis in bonis defuncti patrui ſuccedunt, vel quando cum aſcendentibus fratres defuncti ac fratrum filii ſuccedunt; ſtatuuntur rationibus manifeſtis & euidentibus nixa, quibus nihil æquius meliusue vir prudens repererit. Quamquam non vnius modi legislationes & con-

ſue-

ſuetudines hîc occurrere conſtat. quarum in toto ſucceſſionum ab inteſtato argumento, quæ ſit ratio habenda, *Grotius* ipſe monet §. *XI.* Videatur *Tholoſanus, de ſucceſſione Nepotum.*

Syntagm. IV. lib. 45. c. 8.

§. VII. Succeſſionis ab inteſtato deſcendentium, originem naturalem, ex coniectura voluntatis, quatenus in rectè animatis neque praue iudicantibus, intelligi præſumique debet, hactenus repetiit. Voluntas illa ordinem naturæ maxime probatum tenet, & tenere intelligitur: in quantum conſtat, de neceſſitudine aſcendentium & deſcendentium. Nam *dubitatio*, e. g. an hic ſit pater, an ille filius, parit vltro exceptionem, de qua §. *ſequente.* Tum *ſignificata in contrarium voluntas*, e. g. abdicatione aut exhæredatione, coniecturam tollit. quæ exceptio regulæ ante propoſitæ h. §. adducitur. Abdicationi in deſuetudinem deductæ iam olim ſucceſſit exhæredatio. In vtraque, ſi voluntas, abdicantis & exheredantis fuerit manifeſto iniqua, naturalique æquitati contraria, merito ſubuenitur officio iudicis, ad id quod natura æquiſſimum eſſe dictat, rem reuocante. Vnde crebra illa apud *Veteres*, in cauſis hereditatum, tractatio, de voluntate ſani hominis, ſiue de voluntate quæ ſano homini conuenire vel non conuenire videatur. Et apponit ipſe Grotius hoc loco *cautionem de alimentis.* Ponamus caſum, aſſimulatum ei qui in *Iſæi oratione prima, de Cleonymi hereditate*, affertur: & ad filium transferamus, quod ibi *de fratris filiis* factum eſt. Fecerit

Videantur Iſæi orationes X. de hereditate.

cerit pater teſtamentum, quo exheredauerit filium, ſed ex iracundia & odio non iuſto in tertium quendam, quo filius familiariter vtetur. illo tertio mortuo, pater profeſſus ſit, ſe velle mutare teſtamentum, & exhereda-tionem antiquare; miſeritque de familiaribus qui acciret hominem publica lege taſtamentis ſcribendis & mutandis neceſſarium: illo ceſſante & tempus extrahente, pater denuo iuſſerit poſtridie adduci: ſed interiectâ nocte mortuus ſit. An dubium eſſe poteſt, quin rectiſſime Judex, ipſaque naturali æquitate poſtulante, exheredationem, & primo non iure factam, & poſtea facienti improbatam, in irritum reuocare poſſit? Vnde & in *Abdicationibus*, apud Rhetores, non leuia præſidia cauſæ reponuntur in voluntate iuſta iniuſtaue abdicantis examinanda: quod valere non debeat iudicium patris, niſi idonea ratione iuris nixum. Videantur quæ in *Controuerſia I. lib. I. apud M. Senecam* dicuntur, & ad eam notantur. tum *Declamationes Libanii*, à XXXVI. vſque ad XLII. *Ioachimus Camerarius* ad *Ethic. lib. 8. c. vlt. Ariſtot.* ita annotat: *Abdicare, lege apud Græcos concedebatur Patri filium, tunc demũ, ſi cauſam abdicationis iudicibus probaſſet. Itaq; in hoc genere, Rhetorũ complures declamationes extant. apud Romanos quid ſeruatum conſtitutũue fuerit de filiorum abdicatione, non habeo dicere. Valerius quidẽ Maximus, iuſſum eſſe ait à Iulio Cæſare quendam equitem Romanum abdicare filium. In Codice autem Iuſtiniani reſcriptum Diocletiani &*

ni & Maximiani tale extat: Abdicatio, quæ Græco more ad alienãdos liberos vſurpabatur, & ἀποκήρυξις dicebatur, Romanis legibus non comprobatur. Quod *Ariſtoteles* loco laudato, difficilimo ſane, ait, *Parenti licere abdicare filium, non atque filio parentem; eo quod filius parenti debitor ſit, neque vnquã ſatis gratiam referre poſſit; adeoque creditor facile ſeparare debitorem, non atque debitor à nexu, quo creditori tenetur, ſe expedire, queat:* non abſolute ſed per comparationem meriti debitique in ſocietate patria dictum intelligitur; & conuenienter illis, quæ de amicitia καθ' ὑπεροχὴν philoſophatus erat. In parente tamen etiam notabiliter adſtringit hanc abdicandi poteſtatem, tanquam in re à quâ naturalis æquitas abhorret, neque niſi vltimum ſubſidium peti ſinit: quæ verbis & paraphraſi *Andronici Rhodii* omnium facilime efferuntur: ἴσως δὲ οὐδεὶς πατὴρ ἀφίσαται τοῦ υἱοῦ εἰ μὴ ὑπερβαλλόντως εἴη μοχθηρός ἥτε γὰρ φυσικὴ φιλία εἰς τοῦτο ἐπείγει, καὶ ἅμα ἀνθρώπινον ἐπὶ τὴν ἐπικουρίαν μὴ διωθεῖσθαι. τῷ δὲ υἱῷ μοχθηρῷ ὄντι μισητὸν, ἢ οὐ λίαν σπουδάζεται τῷ πατρὶ ἐπαρκεῖν. *Forte autem nemo pater ſegregauerit ſe à filio, niſi is mirum in modum fuerit prauus. Huc enim præterquam quod naturalis amicitia trahit, etiam humana conditio monet, non aſpernari aut reiicere quod auxilii cauſa comparatum eſt. Quod ſperari nequit in filio ſummè prauo, qui vltro abhorret, aut certe ſtudium omne auertit à ferendo patri auxilio.* Paraphraſis *Aſpaſii* deficit in poſterioribus verbis, ſenſumque non abſoluit. Cauſam ſcilicet in

cet in *abdicatione* & *exheredatione* ſpectari etiam natura iubet; & magnam eſſe vult, quæ naturalis neceſſitudinis caritatisque vincula laxare aut impedire queat. idque reciproce. quamuis in diuerſitate dignitatis, diuerſa ratio conſiderandi loquendique, ceteris vt debent ſe habentibus, non excludatur. Ne autem in cauſis exaggerandis aut in maius augendis, humanarum tempeſtates mentium temere deſæuirent, diligenter legibus ciuilibus cauſæ exheredandi ſunt deſcriptæ, neque reperitur facile caſus, cui non à lege proſpectum ſit, quæ exheredandi licentiam reſtringere non laxare debet. Præter *Iureconſultos*, ex profeſſo hoc agentes, *Ludouicus Molina* conſignat *cauſas, ob quas fas eſt exheredare vel deſcendentes vel aſcendentes*. Merito enim hæc ἐν παραλλήλοις ponuntur. *Tract. 2. diſp. 176.* Sicut *Longobardorum* quoq; *lex* de ſucceſſionibus, enumeratis cauſis exheredandi liberos, proſequitur: *Item ſicut nec patribus licitum eſt ſine iuſta cauſa aut culpa filios ſuos exheredare, ita nec filiis liceat viuo patre, cuicunq; res ſuas thingare, aut per quemlibet titulũ alienare, niſi filios forte aut filias legitimas aut filios naturales dimiſerit, vt ipſi ſecundũ legem conſeruent.* *lib. 2. tit. 14. l. 12.* Non plene autem nec ſatis cõmode, nec citra figuram loquuntur, qui omnes exheredandi cauſas ad *ingrati animi* crimen inſtituunt referre: quod à perſpicuitate definiendi certe abfuerit. *v. Arniſæ. relect. polit. lib. 1. c. 4. ſect. 4.* Quando ſic quoque vſus venit, ut malint aliqui in certis cauſis ad naturalem æquitatem reſpicere, illorum conſilio accomodari forte queat,

 quod

Controu. II. 9. quod apud *M. Senecam* dicitur: *Et quod iure ſit, verum eſt, & quod ſine iure quoq; rationem habet, recte fit. Rationem* intellige idoneam, ſiue quæ viri prudentis, & æquitatem naturalem probe edocti, iudicio ſatisfacere videatur.

Quod *Grotius* de *abdicatione* & *exheredatione* poſuit, ad *præteritionem*, etiam transferri poteſt, quæ & ipſa videtur *indicia voluntatis* coniecturam ordinariam excludentia ſuppeditare. Vnde præteritum *filium* non poſſe ab inteſtato ſuccedere, niſi teſtamentum dicat nullum, nonnulli ſtatuunt apud *Vasquium*; ipſe tamen *Vasquius* putat, *quando filius iam natus ſit præteritus, ſtatim teſtamentum eſſe nullũ, abſq; eo quod filius dicat nullum, ſecundum communem ſententiam.* Sed hoc ad effectus præteritionis pertinet. Diſputari enim hic ſolet, quid ſit *præteritio*, quis *præteritus habendus ſit* (quæ interpretatio pro diuerſis iuribus ciuilibus non eſt vniusmodi) *quis effectus præteritionis*. quo etiam pertinet quæſtio, *an præteritio ſit ademtio hereditatis; & pro exheredatione valeat*. Quæ omnia aliter, præſuppoſitis legibus ciuilibus, aliter ex naturalibus coniecturis iudicantur. Videatur iterum *Vasquius de ſucceſſ.* 1, 2, 20, 41. &c.

de ſucceſſ. 2, 1, 7, 27. &c.

§. VIII. *De iure liberorum naturalium*, quoad ſucceſſionem, agit, occaſione *exceptionis* à regula de filiorum ſucceſſione ab inteſtato; quam ſuppeditat dubitatio originis, *quando non ſatis conſtat, hunc illo eſſe genitum.* Dubitationis eius tollendæ apud gentes moratiores, matrimonium dicatum eſt: pauci enim nec diu reperti, qui promiſcuo concubitu vten-

tu vtentes, liberos vel ex formæ ſimilitudine, vel, vt libitum erat, eligerent. Si tamen, extra matrimonii vinculum, de certa origine conſtet; tum quoque coniecturam voluntatis, & ex ea ſucceſſionem ab inteſtato naturaliter locum habere, *Grotius* ait: ſiue naturalibus quoque liberis, æquum in parentum bona ius eſſe, ex naturali coniectura voluntatis; niſi lex intercedat. Atque ita, ſicut citra matrimonii nexum, ius ſuccedendi in bona gignentium, quo dictum eſt modo fundaretur: ita, quo minus in ipſo matrimonio ius ſucceſſionis arctetur & reſtringatur, vel lege, vel pacto, natura non intercedere videtur. Saluis ſemper alimentis: quibus cauetur, etiam ſilendo. Hæc ſumma & connexio §.

Quod *de patre noſcendo* dictum eſt, lucem capit ex illis, quæ de *concubina vnica, domi retenta* diſputantur. vbi agitur de differentia natorum *ex tali*, aut *ex matre domi non retenta*, ſiue etiam *pluribus concubinis eadem in domo ſimul verſantibus*. Unde diſcrimen proprie huc pertinens inter *naturales*, & *nothos ſiue ſpurios*. Et de nominibus quidem variis, multi egerunt olim & hodie: in his *Interpretes Homeri*, *Anonymus*, quem *Didymum* vocant, & *Euſtathius*, *ad Iliad.* Δ. *v*. 499. vbi υἱὸν πριάμοιο νόθον memoratur, & *Odyſſ*. Γ. *v*. 28. vbi periphraſi quadam, *diis inuitis natus educatusq́;*, nothum creditur ſignificare. Latius enim nothi vocabulum fuiſſe, quod poſtea contractum eſt, vel hinc diſcere licet. Neque Latini habuerunt, quod huic eſſet παράλληλον, notante *Seruio*. *ad Æn. 7.*

Ceterum ad rem ipſam pertinentia diſcrimina, naturalis quoq; ratio in hac de illegitimis liberis diſputatione, ſuppeditat iſta: I. Fauorem iuris naturalis matrimonio debitum, qui à concubitu extra matrimonium abeſt, omnino diſcrimen perpetuum conſtituere inter genitos ex matrimonio, & extra matrimonium. etiam ſi lex ciuilis hoc non diceret. Ne enim generatio hominum aliter, quàm ordine hominibus digno, & à brutorum more diverſo, fiat, ſocietatis humanæ intereſt. II. In ipſa tamen conſuetudine, non coniugali, multum intereſſe, quis cui miſceatur; adeoq; illud diſcrimen, quod Juris periti faciunt, inter eos, quorum coniunctionem matrimonialem tempore conceptionis & natiuitatis nihil impedire poterat, ſi ea voluiſſent potius vti, & eos, quibus illo tempore matrimonium contrahere, nefas erat, æquitate naturali affirmari: ſicut & illud, quod de impedimento temporario aut perpetuo traditur. III. Igitur, quamuis culpa in parentibus hæreat, neque quomodocunque natis poſſit imputari, ita tamen naturam ſe hic gerere, vt nec æquare ſic natos absque omni labe aut impedimento honeſtatis natis cupiat, neque nulla miſeratione proſequendam infelicem prolem ſtatuat; ſed quodammodo honeſtati & homini conſulere velit; huic equidem, in quantum illa patitur. Honeſtatis autem menſuram, in hoc genere, ad publicum ſocietatis humanæ, tum ſocietatis ciuilis, denique huius aut illius ciuitatis decus exigi oportere, natura gradus & ordinem demon-

demonſtrante, liquet. Simul iſtud: incerto & nefario concubitu genitis, vltra alimenta, naturalem æquitatem nihil polliceri. IV. In ceteris, liberaliorem eſſe fauorem in liberos naturales, ſi deſint liberi legitimi, quàm ſi adſint, & cum naturalibus in comparationem veniant. Vnde putem, leges ciuiles, quæ non excludant quidem naturales liberos, ſed legitimis poſtponant ſiue inæquales faciant, quoad partes hereditatis; non aliud ſtatuere, quàm quod ratio naturalis & iudicium viri prudentis, ſi res in quæſtionem veniret, etiam absque lege dictaret. Quo participatio etiam cum aſcendentibus inſtituta, in defectu deſcendentium, videtur pertinere. Vt autem in totum ſuccedat filius naturalis, ſicut filius vnicus ſuccederet, (in defectu deſcendentium, excluſis aſcendentibus) quod aliter quàm expreſſa voluntate genitoris queat fieri, quis facile dixerit? Hic autem de præſumtâ voluntate agitur. V. Quando voluntas præſumitur, ex beneuolentia eiusque gradibus, intelligi naturaliter in hac materia debere beneuolentiam eius, qui inteſtatus deceſſit, vt ſe diſpenſare in proximos modo rectæ rationi conſentaneo & ordinario debet. Quare beneuolentiæ ſic ordinatæ, prior & potior eſt ac eſſe debet, in legitimos, quàm in naturales, affectio. Illa enim beneuolentia, cum ſine cauſa, occulto impetu parentes hos magis quàm illos amant ex liberis ſuis, nihil hic habet loci. Indolis autem præſtantia, aut offi-

v. L. Longobard. lib. 2. tit. 14. l. 2. &c.

 cia

cia meritaue liberorum in parentes, ſicut expreſſam tabulis idoneaue diſpoſitione parentum voluntatem poſſunt vel illuſtrare, vel commendare; ita, cur in præſumenda voluntate nequeant magnopere attendi, ſatis apparet. Hæc annotare volui, ne incaute acciperetur, quod vulgo dici ſolet: *Naturales à legitimis ſola ciuilis ratio diſtinguit.* ſcilicet, in quibusdam, à lege ciuili, ex vſu ciuitatis, definitis expreſſisque. Nam non ſunt nulla, quibus Naturales à legitimis naturalis ratio diſtinguit. quam leges varie, propius, remotius ſequuntur, aut ab ea etiam longiuſcule deuertunt. pro conditione locorum, temporum, nationum. Moraliſtæ varios caſus & quæſtiones, huic loco implendo, ita ex Juribus ciuilibus cumulant, vt rationes ex philoſophia, naturæque & gentium ſcitis, eadem opera indagare videantur. ſpecimen dabit *Ludouicus Molina tract.* 2. *diſp.* 165. *& ſeqq. Leſſius lib.* 2. *cap.* 19. *dub.* 6. Nam *Dicaſtillo* collectorem agens, repetit L L. & D D. placita *lib.* 2. *tract.* 19. *diſp.* 1. *dub.* 19. *&* 20. Apud *Annaeum Robertum*, ad ſeruiendum cauſæ quædam dici videas *Rerum Iudicatarum lib.* 1. *cap.* 9. *& lib.* 2. *c.* 14. Apud *Sulpitium Victorem*, in *circumſcriptionum actionibus* ponitur caſus: *Liceat ex ancilla filios ſuſcipere legitimos. Qui habebat ex legitimis nuptiis filium, alterum ex ancilla ſuſcepit. Lex erat, vt patrimonium commune divideret, qui eſſet maior ex fratrib⁹; eligeret minor. Poſuit maior natu ex altera matrem fratris, ex altera parte patrimonium.*

Inſtit. orat. p. 124.

nium. elegit ille matrem, & reum facit fratrem circumſcriptionis. Proponuntur & diſceptantur eadem apud *M. Senecam Rhetorem.* Vbi *Excerpt. controu. VI. 3.* *Cuiacius* (*lib.* 13. *obſeru.* 24.) illam legem, *Liceat filium ex ancilla tollere*, fictam putat: quod abſurdum ei videretur, legem ferri, qua liceret *filiō legitimo coheredem ex ancilla tollere*, vt habet *Seneca* paraphraſis. Nolim prorſus negare, vſpiam extitiſſe talem aliquam legem: cum hactenus nemo nobis *legum fictarum* in Rhetoribus exempla ſatis oſtenderit. ſpecies facti varias fingi, ſicut vſitatiſſimum, ita notiſſimum eſt. De legibus, non idem dixerim. Id ſcio, è *Platone* & *Cicerone* proponi quaſdam leges, non quæ tum omnes latæ fuerint, ſed quæ ſecundum optimam & naturæ conuenientiſſimam rationem fieri potuerint debuerintue. At fingi ad eundem modum leges, quæ à naturæ fontibus minus prope hauriantur, & tempori tantum certo, certoque ſtatui congruant, eius rei exempla deſidero. cum præſertim antiqui Rhetores, vel ex manifeſtis fabulis, vel ex medio fori vſu, exempla ſoleant petere. Ne dicam, in ipſis figmentis & fabulis, τὸ εἰκὸς & ea quæ fieri ſolent, ſtudioſiſſime ſpectari. Sane, in hoc argumento legibus quarundam ciuitatum, duriſſimam conſtitui naturalium liberorum conditionem, nemo ignorat. & apud *Iſæum* præſto eſt illa Athen. lex νόθῳ μηδὲ νόθῃ εἶναι ἀγχιστείαν μήθ' ἱερῶν μήθ' ὁσίων, *Notho aut nothæ non eſſe ius propinquitatis, ſacrorumue aut publicorum*; quæ & apud *Demoſthenem* extat, & *orat. 5. p. 469.* *orat. aduerſ. Macartat. p. 665.*

cum explicatione apud *Ariſtophanem in Auibus*, vbi Lex Solonis dicitur, Νόθῳ μὴ εἶναι ἀγχιστείαν, παίδων ὄντων γνησίων, *non eſſe ius propinquitatis ad hereditatem adeundam Notho, liberis exiſtentibus legitimis*: & amplius, ἐὰν δὲ παῖδες μὴ ὦσι γνήσιοι, τοῖς ἐγγυτάτω τοῦ γένους, μετεῖναι χρημάτων. *ſin vero legitimi non adſint liberi, bona deuenire ad eos, qui genere proximi ſunt.* Videndus *Scholiaſtes Græcus*, qui etiam ἀγχιστείαν, interpretatur μετουσίαν τῆς οὐσίας, ſiue *participationem bonorum*. quod ex eo deſcribit *Suidas*. Ab hac duritie deflexerunt, qui τὰ νοθεῖα, ſiue nothis dari ſolita ex bonis paternis vsque ad mille drachmas, lege induxerunt. Quosdam etiam, nothis indulgentiores fuiſſe, non tantum oſtendunt ea, quæ *Grotius* ipſe §. *XII. h. cap.* affert; ſed etiam illud *Sophoclis* apud *Stobæum*,

v. Ἀγχισ.

Serm. 169. ὁ δὴ νόθος τοῖς γνησίοις ἴσον σθένει.

quamquam color, qui aſſumitur,

ἅπαν τὸ χρηστὸν γνησίαν ἔχει φύσιν,

non citra figuram dicatur. *Turcarum* exemplum non meretur adduci. licet idem aliis iam olim in mentem veniſſe, ſatis conſtet. Verum iſta οὐδὲ πάρεργον ad *Legem* ante allatam licuerit adiicere.

Exempla iuris in perfecto matrimonio non perfecti ex lege aut pacto, quantum ad ſucceſſionem, affert duo. *Primum* eſt, in *Matrimonio ad Morgengabicā*, vt hic vocat, ſiue *ad morganaticam*, vt alii dicunt. quod & *ius Morganiticum* vocatur. *Matrimonium* autem *ad Morganaticam* dicitur *contractum*, ſtilo Feudalium

um Placitorum, *quando ea conditione quis vxorem ducit, vt liberi expertes ſint hereditatis paternæ, & teneantur, certum quid accipere. Quod ſæpe fit in fauorem, vel liberorum prioris matrimonii, vel agnatorum. Si quis præſertim ducat nobilitate ſibi non parem.* Sicut explicatur apud *Beſoldum in Theſauro Practico. Alterum* exemplum eſt. *Secundarum Nuptiarum apud Brabantos.* quibus in *Annotatis*, *Grotius* comparat ex *Lege Burgundionum*, illam conſtitutionem: *Si pater cum filiis diuiſerit, & portionem ſuam tulerit, & poſtea de alia vxore filios habuerit aut vnum aut plures, illi filii, qui de ſecunda vxore ſunt, in illam, quam pater accepit, portionem ſuccedant: & illi, qui cum patre diuidentes portiones ſuas fuerint conſecuti, ab eis penitus nihil requirant.* v. Morgē Gab. Tit. I. l. 2.

§. IX. X. XI. Quæ ſit ſucceſſio ab inteſtato liberorum tum legitimorum, tum naturalium, ex naturali coniectura voluntatis; hactenus declarauit. Nunc, quæ ſit ratio ſuccedendi in bona, deficientibus liberis, exponit erudita & eleganti diſputatione. Quæ vt minus cauillationibus ſit obnoxia, probe notandum eſt: 1. Loqui eum de naturali coniectura, in legibus variarum gentium apparente, in quantum ſcilicet Leges ipſæ eam ſequi videntur, in duobus maxime illis ratiocinandi generibus, quæ initio §. IX. exprimuntur. 2. De coniectura naturali, non ad ius naturæ præceptiuum exacta, ſed probabili, & rationibus quas natura ſuppeditare poteſt, conſenta-

neâ. 3. In caſu; inteſtati, & vbi nulla lex ciuilis, naturalem coniecturam variauit, aut anteuertit. 4. addita limitatione coniecturæ naturalis, per coniecturam voluntatis in legislatore, ex lege aliis lata. 5. Secundum iudicium gentium communiter. Sicut rectiſſime dicerem: quæ Jure ciuili conſtituuntur, de ordine ſuccedendi ab inteſtato, vt prima ſors ſit deſcendentium, ſecunda aſcendentium, tertia collateralium, quarta coniugis, quinta fiſci, poſteriore ſemper in vicem & ſubſidium priorum ſubeunte, naturali coniecturæ voluntatis optimè congruunt. Etiamſi enim forte aliquis occinere poſſit, amicos interdum magis diligi, quàm proximos: non tamen inde conficietur, amicis naturaliter locum ante proximos competere; ne ſi dicas quidem; quibusdam amicis. Vt enim aliquis oſtendere iſta poſſit, ſiue ſignificationes ſuæ voluntatis indubias edere, ita præſumi nunquam debet, quod aliquis totum genus ſuum poſtponere amicis voluerit. Nam de vno & altero, ex genere, nunc non eſt ſermo: Quod ſi tamen hic quoque fingeres caſum; hic & ille de proximis, diſſedit à defuncto, ingratus erga ipſum fuit; ergo non præſumi poteſt illa defuncti voluntas, quod hunc aut hos voluerit ſibi ſuccedere: primo nondum aliquid aduerſus ceteros propinquos pro amico dixeris; deinde recta voluntas hominis bene ſani, ſicut poteſt ex maximis cauſis ad exheredandum niti, ita, niſi hoc feciſſe demonſtretur,

tur, in dubio nihil tale præſumitur; ſed mitiora omnia hîc in ſpe & voto ſunt. cum pro magno ſæpe errore aut peccato, paululum aut nihil ſupplicii ſatis ſit: & hoc quoque ſenſu quotiens dubitatio mouetur, ſuus cuique ſanguis indiſcretus haberi debeat. Jam & alterum caſum formari videas, quaſi ex hypotheſi Grotiana (quæ quidem non Grotii, ſed Ciceronis eſt) in hunc modum; Amicus adminiculo fuit defunctis ad acquirenda bona, ergo defuncti velle putandi ſunt, ex propoſito gratiæ referendæ, potius ad Amicum, quàm ad proximos gradu aut origine, bona ſua peruenire. Dici poteſt *primo*, nimis vage & late iſta proponi. Poteſt enim amicus hoc feciſſe, aliis meis meritis prouocatus; poteſt feciſſe, vt non mihi modo, ſed meæ domui & generi conſuleret, nec indigus ipſe opis talis; certe nulla ſpe hereditatis, aut voto recipiendi inde aliquid, quod ſciret, generi & propinquis dari, vt primum amico datur. Sicut igitur licet quidem amici rationem habere, in teſtamento, & per legata ac donationes, ita in caſu non ſignificatæ voluntatis (de quo vnice hic ſermo) dominium rerum defuncti, non præſumitur ad amicos tranſire, ſed ad eos, qui propinquitate aut origine defunctum quodam modo referunt. horum eſt deinceps arbitrii, & interdum officii, amicum defuncti indigum, propter eximia in defunctum merita, de bonis in quæ ipſis ſucceſſionem naturalis coniectura voluntatis tribuit, remunerari ac recreare. Igitur

gitur non confunditur à Grotio hereditas cum legatis; legata enim non præſumuntur, ſed probantur. Ipſe autem de præſumenda voluntate inteſtati, neque quid fieri vellet profeſſi, agit. Dum in hâc diſſertatione verſamur, & amicitiæ vocem abuſui aut obſcuritati obnoxiam animaduertimus, ſedulo tenendum iudicamus, quis ſit ordo naturalis neceſſitudinis, quotiens amici cum propinquis comparantur: ne figuris & præconiis beneuolentiæ, quæ in amicitia cernitur, decepti loco non ſuo diſponamus regulas officiorum & iurium, in ſucceſſionibus ab inteſtato. Quantuscunque enim ſplendor laudum, amicitiæ paſſim circumfundatur, propinquitas
1. *offic.* 17. ante amicitiam eſt. Bene ſeruat *Cicero* ex *Ariſtotele* ordinem naturæ, quando *liberis fratrum coniunctiones*, & his, qui quaſi alteri fratres ſunt, *conſobrinorum ſobrinorumq;*; inde ex affinitatibus *plures propinquos*; atque iis omnibus *amicos* ſubiungit. neque generalem regulam omittit: *propinqui potiores, quam alieni*, adiectâ ratione: *cum his enim amicitiam na-*
in Lal. c.5. *tura ipſa peperit.* Et, quamquam omni ope enitendum ſit, vt ad propinquitatem amicitia quoque, quo ſenſu ſpecioſe extollitur, adiungatur: in æſtimanda tamen & comparanda neceſſitudine, propinquitas, φυσική, amicitia, ἐπίκτητος eſt: & amici, vt modo dictum, ſi citra propinquitatem ſanguinis ſpectantur, inter ὀθνείους (*extraneos, alienos*) etiam ab *Ariſtote-*
8. *Eth.* 12. *le* referuntur, & quoad τοὺς συγγενεῖς (*cognatos &*

& propinquos) inferiore loco ordinantur. quotiens autem ad neceſſitudinem & coniunctionem adiungitur amicitia, vſus eius declarari in illuſtriore materia videtur; vt &, quos ad amicitiam natura inuitat, diligentius colant naturalem affectionem, &, ne præter naturæ inſtitutum, vincula amoris vſpiam negligant, excitentur. *φυσικῶς γὰρ οἱ συγγενεῖς στέργουσι πάντας τοὺς συγγενεῖς. naturaliter enim cognati cognatos amant*; vt *Aſpaſius* effert, ſiue amare debent, vt ab eadem radice rami, & ad ſe inuicem pariter & ad radicem, neceſſitudinem habent. *ad 8. Eth.*

In hac philoſophia, quoniam ſubtiliter partiri, non artificium, non curioſitas, ſed neceſſitas eſt; de *Beneficio* quoque, aliqua moneri oportet. Nam & hac comparatione vtitur *Grotius* in hoc argumento, *Ciceronem*, vt apparet, ſecutus, qui totam beneficii dandi accipiendique rationem, ad iuſtitiæ regulas exegerat. Qua ſi quis ſimilitudine, importunius vti inſtituat, in ipſo impingat limine, neceſſe eſt. Beneficium enim reddere, quàm dare, magis neceſſarium eſt. In ſucceſſione autem ab inteſtato, maxime neceſſarium eſt, beneficium dare; in ſecundis reddere. Liberis & deſcendentibus damus, & damus neceſſario, ex dictatu æquitatis naturalis, cui iura ciuilia attemperantur, antequam aſcendentibus reddimus. ſi quidem bona ſua, ordine quem natura probat, relinquere, eſt beneficium dare aut reddere, vel ex ſignificata, vel ex præſumta voluntate. Latius enim *beneficii* notio pater,

ter, quàm continuatio & translatio dominii in ſuccedentes vel ex teſtamento vel ab inteſtato: neque per omnia conuenit iſta comparatio, ſed in quibuſdam partibus tantum cernitur. Quare ſicut viuentes, donando & in teſtamentis legando, liberius poſſunt benefici eſſe vel dando vel reddendo, intra terminos tamen illius

1. offic. 14. cautionis, quam *Cicero* poſuit, *ne iniurioſi ſint in proximos:* ita inteſtatorum voluntas, non coniectatur illa libertate, quæ in transferendi dominii actu à domino præſente & viuente, variis ex cauſis & momentis voluntatem trahere potuit, ſed menſura arctiore, nec vltra diſcrimina neceſſitudinis ac coniunctionis, æſtimatur. Illa ergo diſcrimina notaſſe & intellexiſſe, eſt vidiſſe pedum viam, quam natura in hoc argumento ingredi iubet: vbi, ſi beneficiorum vocabulo vtimur, de beneficiorum ordine inter coniunctos propinquosque, non inter extraneos, agi, ſatis liquet. Legenda eſt omnino nobilis diſputatio *Ariſtotelis de gradibus propinquitatis & naturali cognatione lib. VIII. Eth. cap.* 12. (*ap. Andron. Rhod.* eſt 16.) vnde, tanquam ex fonte *Grotius* §. *IX.* hauſit, quæ affert de *Fratribus, patruelibus, reliquisq́; cognatis.*

pag. 679. edit. Lugd. 1590. Quod autem ad locum *Platonis* attinet, ex *lib. XI. LI.* is cum ſententia cōmuni, Grotio quoq; probatâ, de dominio pleno, & poteſtate libere id transferendi, cuiq; domino competente parum videtur conuenire. De Teſtamentis enim, formam legis propoſiturus Plato, de licentia

trans-

tranſferendi dominii, quā ſibi ceu iure ſuo vindicarent Teſtatores, ita præfatur, vt reipublicæ intereſſe putet, conſtringi iſtam libertatem. *Moriturus*, inquit, *dum vult omnium rerum ſuarum dominus eſſe, non ſine ſtomacho ſolet dicere*: Δεινόν γε, ὦ θεοί. εἰ τὰ ἐμὰ ἐμοὶ μηδαμῶς ἐξέσται δοῦναί τε ὅτῳ ἂν ἐθέλω καὶ μή. καὶ τῷ μὲν, πλείω, τῷ δ' ἐλάττονα, τῶν ὁπόσοι περὶ ἐμὲ φαῦλοι καὶ ὅσοι ἀγαθοὶ φανερῶς, βασανισθέντες ἱκανῶς ἐν νόσοις· οἱ δὲ ἐν γήρᾳ, καὶ ἄλλαις παντοίαις τύχαις. *Graue vero imprimis, proh Dii, ſi mea mihi non licebit cuicunq; vole dare aut non dare; huic quidem plura, illi pauciora, prout eorum quiq; bonos ſe mihi æquosq; aut ſecus præbuere, vel in morbis, vel in ſenio, omniq; alia fortunæ viciſſitudine abunde ſpectati exploratiq;*. Hanc orationem ait, veterum legislatorum auctoritate comprobatam eſſe, ſciſcentium ſcilicet: ἐξεῖναι τὰ ἑαυτοῦ διατίθεσθαι ἁπλῶς ὅπως ἄν τις ἐθέλῃ τοπαράπαν, *licere de rebus ſuis cuiq; per omnia, quomodocunq; velit libere diſponere ac ſimpliciter*. Atque hîc, *Plato*, memorabili talium, de licentia teſtandi, legum examine ſuſcepto, *duplici exceptione*, tanquam limite, opus eſſe oſtendit: *naturali* vna, *ciuili* altera. Quid enim, ſi teſtatorem morbo aut ſenio fluctuantem & infirmum, adulationum delinimentis quis aggreſſus, perſuaſerit ei, παρὰ τὸ βέλτιστον διατίθεσθαι, *vt præter id quod æquū bonumq;, ſiue quod æquius melius eſt diſponeret?* Quis non videt, exceptionem hic ab ipſa *natura* porrigi, quæ vltimas hominum voluntates non patitur ab honeſti tramite exerrare; & legisla-

giſlatorem monet, vt intra honeſti æquique limites teſtandi liberam facultatem ordinet? ſicuti nimirum vir bonus de viri boni inteſtati voluntate poſt mortem præſumendum iudicaret. *Alteram* exceptionem ſuppeditat ratio optimæ reipublicæ, quam Plato ſpectat, & ad eam non minus rem teſtamentariam, quàm reliqua legibus conſtituta vult referri. Vtriusque autem, & naturalis honeſtatis, & ciuilis vtilitatis reſpectu, legem talem ferendam eſſe de teſtamentis, quæ & generi defuncti, & ciuitati vniuerſæ conſulat, oſtendit; colore vſus vtrinque apto: quod dominium priuatum, & ex eo, libera de rebus ſuis diſponendi facultas, intelligi debeat ſaluo iure generis & propinquitatis, quod è natura ſuſcitatum migrari, niſi magna ex cauſa, nequeat; tum ſaluo iure ciuitatis & dominii eminentis, quatenus ciuitatis intereſt, ne quis dominium rerum ſuarum contra publicæ vtilitatis rationes exerceat. In qua diſputatione, ſi verba *Grotio* excerpta, *Bona non eſſe teſtatoris, ſed totius generis prateriti futuriq́ʒ; & præterea ciuitatis totius*, paulo diligentius conſiderentur, non eodem modulo metienda videbuntur. Prius enim illud, à natura venire, vt cœpimus dicere, certe naturali rationi valde conſentire, dixeris: *poſterius*, ex conſtituto, & à conſequenti, accidere, eaque ſignificatione, quam attulimus, tantum locum habere, omnes vident. Quam interpretationem ſi quis accipiat, non erit verendum, ne conciliari non poſſit, cum priua-

torum

torum dominio, jus totius corporis. Sed hæc, occaſione ſingularis loci Platonici, verboſius forte, quàm oportebat.

Ad ea interim, quæ h. §. IX. de *bonis paternis maternisq́.* dicuntur, referri poſſunt diuerſæ ſententiæ *Bartoli* & *Baldi:* quorum *Bartolus* quidem ſtatuit, quod hic dicitur: ſcilicet, *bona quæ deſcendenti ab inteſtato ſine liberis aduenerunt ex parte patris, aut patris cauſa, pertinere ad ſolum patrem, aut ad alios aſcendentes ex parte patris, non vero ad matrem, aut ad aſcendentes ex parte matris; eodemq́ modo, bona quæ eidem aduenerunt ex parte matris, aut matris cauſa, pertinere ad ſolam matrem, aut ad aſcendentes ex parte matris: Baldus* autem contendit, *quæcunq́ bona ab inteſtato decedentis, æque eſſe diuidenda inter patrem & matrem, & inter alios aſcendentes paternos maternosq́.* ſicut *Ludouicus Molina* enarrat, &, vtramque ſententiam diuerſis in locis vſu & conſuetudine receptam tradit. Addi poſſunt quæ *Scipio Gentilis libro ſingulari de bonis maternis* tradit. Tract. 2. diſp. 163. §. 4. & 5.

Ceterum in hoc genere diſtinguendorum paternorum & maternorum bonorum, rediri ſubinde, ad faciliorem rationem propinquitatis, notabiliter Grotius ſub finem §. monuit.

De *bonis nouiter quæſitis* (§. X.) repeti debent, quæ antedicta ſunt de gradib⁹ caritatis à natura demonſtratis, quos reueretur, quicunque naturalem rationem exaudit. Poteſt quidem amicus amari ante proximum, ſed in rebus, vbi ius proximis partum non attenditur. Naturalem

enim neceſſitudinem in propinquis, ius amicitiæ, in ſe ſpectatæ, nec ſoluit, nec anteit.

Quæ autem ad oſtendendum diſcrimen inter bona auita, & nouiter quæſita, Grotius diſſerit, doctiſſimus *Feldenus*, non ſatis cum iis conuenire, quæ de paternis auitisque præceſſerunt, exiſtimat. *Quid, ſi occaſione paternorum bonorum* (inquit) *noniter quæſita ad nos devenerunt, an non iis, qui paterni gradus ſunt, potius quàm aliis debebuntur? Id enim ius amicitia quoq; ſuadere videtur.* Vbi quod de iure amicitiæ, præſertim vtilitatis reſpectu, dicitur: nec vltra quàm fas eſt produci debet, nec amicitiæ naturali proximorum inter ſe, opponi poteſt. Deinde, bona, occaſione paternorum bonorum ad nos delata, non ſunt paterna bona. Porro, occaſio illa, nimis obſcure & vage dicitur: demonſtranda erat, & in caſu determinato proponenda, ſi definitio quæſtionis poſtulatur. Denique, nec occaſio acquirendi, titulum acquiſitioni conſtituit, nec induſtria; etiam naturali æſtimatione, nullas fert partes in diſcernendis acquiſitis.

Locus *Ciceronis* de origine teſtamentorum, ex naturali animorum affectione extat *III. Fin.* 20. videri dignus.

Locus *Quinctiliani Patris ex Declamatione CCCVIII*, priore ſententiâ tantum huc pertinet: in ſequentibus enim, vt in tota tractatione, oratorie contra propinquos, pro amicis, pleraque iniquius dicuntur. Et iſta verba, *de bonis defunctorum velut in medio poſitis*, licentiam

am figuræ ſapiunt, ſolique comparationi teſtamenti facti & non facti, nec vltra, accommodari debent.

XII. Præmiſſis, quæ ad naturam ſucceſſionis ab inteſtato communiter pertinebant; nunc ad *ſucceſſionem in regnis* accedit: tum *hæreditariam*, tum *linealem*, eamque vel *cognaticam* vel *agnaticam*: deniq; *arbitrariæ conſtitutionis*. Non, quod *ſucceſſio regnorum* per omnia ſe habeat, aut exigi poſſit ad modum priuatæ ſucceſſionis in bona, aut quod iuris ciuilis ſingula conſtituta de hæreditate & ſucceſſione, pari menſura hic locum habeant: ſed, quod ea, quæ in iure ciuili aut in priuatorum ſucceſſionibus naturalem habent rationem aut æquitatem, huc, in quantum fas eſt, accommodata hanc philoſophiam illuſtrent, latiusque commendent. Et quid in illa diſtinctione regnorum *patrimonialium*, & *vſufructuariorum*, huc iterum allatâ, deſiderari queat, non ſemel diximus. Interim *Grotius*, in hoc argumento voluit ſignificare: in ſucceſſione regnorum, deferri regna, *vel* ex liberrima voluntate regnantis, vt expreſſâ, ſic præſumta; *vel* ex præſumta voluntate populi, quæ & legibus fundamentalibus, quas vocant, exprimi poteſt. prout ſcilicet regnantes *vel* liberam ac infinitam poteſtatem Imperii & agendi & continuandi acceperunt; *vel* habendi modum ex conſenſu & voluntate populi vt præſcriptum ita pendentem agnoſcunt. Ea mens eſt; quæ & aliis verbis, nec ſimplici vice, ef-

ferri poteſt. Sed ſubeſſe quaſdam tricas, & difficultates, non negauerim. Igitur ſi quis in hoc ſucceſſionis regiæ negotio, ſubtilius velit partiri, non ſit reprehendendus, arbitror. Atq; hîc ſpectanda erit *primo* voluntas regnantis; deinde voluntas populi. An & quatenus *Voluntati Regiæ*, facultas & arbitrium ſucceſſionis ordinandæ continuandæque deferri poſſit ſoleatve, delatumue intelligatur, non perfunctorie inſpiciendum eſt. Duo ſunt modi euidentiores, quibus omne conſtituendi regis arbitrium in vnius regis voluntatem ceſſiſſe videtur: *vel* in ſubacto armis & victoriâ ſine exceptione populo; *vel* in dedito citra conditiones populo. *Tacita* vtrobique populi conſenſio, hic expreſſius, ibi per modum inuitæ actionis, ad voluntariæ tamen æſtimationem redigendæ, obſeruatur. Victor enim belli, non conditionibus ſed victoriâ finiti, omne imperium ſiue ſummam poteſtatem, vt exercendam, ita in poſterum conſtituendam & in republica propagandam ſibi ſuo iure vindicat. cuius iuris hæc vis eſt, vt poſſit ſucceſſorem conſtituere, quem voluerit. In dubio tamen, quin liberis & propinquis ſuis ſucceſſionem deſtinari voluerit, ſatis in aperto eſt. Quid, ſi defecerint? Hic duplex caſus occurrit. vel enim vltimus deceſſor regni bello & armis parti, huic ſoli præfuit; atque ita populus reipublicæ conſtituendæ & ſucceſſoris legendi liberam facultatem recipiet: vel alterum regnum habuit, cuius acceſſio ſubactum hoc re-

gnum

gnum fuerit; atque tum ſi per formulam pronunciæ factæ acceſſerit priori, nihil iuris habet, ſed vt pars totius corporis arbitrium ſequitur; ſin victor, vt ſeparatum regnum, tenuit, dubitationes oriri videantur poſſe. quibus tamen non immerito oppoſueris ſimplicitatem fidei, quæ cenſetur victori non regi modo eiusque familiæ, ſed populo obligata, & ſucceſſoribus à victore populo denuo lectis. Alius eſt caſus, de quo *infra* II, 16, 16. Quod bello ſubactis, idem poteſt euenire in *deditis ſine conditione*. Vbi quia vtriusque commune eſt, quod vnius ſub ditionem victi deditiue veniunt, quatenus ciuitatis aut populi perſonam is refert, (aliter enim fieri nequit, vt ab vno ſubigatur populus ciuitaſue alia, aut deditione recipiatur) non illud modo in conſiderationem deducitur, non minus ac cetera vincentis recipientisue arbitria, etiam morem propagandæ per ſucceſſionem ſummæ poteſtatis ſubire victos deditosque, ſed præterea ſpectatur is caſus, quo Rex victor ac ſuperior, victos deditosue, vel vt partem ſuæ reipublicæ contribuit, de quo genere iam dictum eſt; vel vt ſeparatæ reipublicæ imponit regem, & modum ſuccedendi in poſterum ordinat. Quomodo enim poſſint huic ordinationi intercedere, qui nullam ſibi poteſtatis ſummæ partem, nullum ſui regendi arbitrium relinqui agnoſcunt, haud facile dixeris. Sed hic euenire poteſt, vt regi ita inſtituto, victisque aut deditis præfecto, regnum permittatur,

 vel

vel vt prorſus à tradentis præficientiſue regno ſeiunctum, aliud denique, nec ab hoc dependens vllo modo, niſi forte per fœdera æqualia connexum; vel vt feudali aut clientelari nexu obligatum. Priori modo, ſi inſtituti præfectique primum regis diſpoſitio, deficiente familia, neque ſignificata voluntate, ceſſauerit, non redibit regnum ad eum, cui olim victoria aut deditione ceſſerat, & poſtea in fidem alterius translatum erat (niſi in translatione diſertis verbis exceptio, ſeu conditio addita tale ius reſeruauerit) ſed populi arbitrio conſtitui poterit reſpublica. Poſteriore modo, ſequenda erit iuris feudalis ac clientelaris, nota & electa, tempore talis regni inſtituti traditiue, auctoritas. Atque hæc omnia volumus accipi de populis ſibi inuicem externis. nam quæ ciuilibus bellis eueniunt, aut aſtu in republica geruntur ab inuaſoribus, quin recte ſint à *Grotio* definita *libro I. c.* 4. non dubitauerim. Illud autem, non fecerim meum, cum dicitur, ſi imperium habeat inuaſor, depelli eum aut tolli non poſſe, eo quod ad imperii naturam parum pertineat, quo ſit cunque modo quæſitum: niſi ita explicetur, vt imperium habere is dicatur demum, cui non momentanee ſuccubuit reſpublica (ſicut in bello plurimum differt, prælio an bello victus ſis) ſed penitus, & recepto iam iugo, fideque inuaſori obligata. Ne enim materialiter hæc tantum ſpectentur (vt in Scholis loqui ſolent) humani generis intereſt. niſi furi quoque & latroni domi-

nium

nium rerum quomodocunque partarum velimus adiudicare, quia verus dominus eripere ipſi nequit. ſicut autem, quantum ad ius prioris & vere domini, tum demum fur & latro deſineret talis eſſe, ſi certis ex cauſis verus dominus abdicaſſet ſuum ius, & in eum iam idoneo titulo tranſtuliſſet, qui ante nullo iuris effectu tenebat; ita inuaſoris & oppreſſoris iniquitas non ſolo ſucceſſu conualeſcere, ſed accedente actu ius dare idoneo, nomen & decus imperii adipiſci poteſt. Imperium enim pro nudo & mero facto accipere, ſiue ex vocabulo iuris, facti nomen redigere, neſcio an boni in ciuili diſciplina exempli eſſe queat. Sed de his alibi. Ceterum, quæ de regum in regnis bello acquiſitis aut deditione receptis libera voluntate & facultate ſucceſſionis ordinandæ poteſtatisque ſummæ continuandæ diximus, naturalem habent exceptionem, voluntatis palam inhumanæ ac belluinæ, ad populi exitium, aut immenſam contumeliam, exitio proximam, tendentis. Huius generis eſt, quod Gunnarus Noruegis deuictis *Canem*, regem dedit; regio honore & miniſteriis proſequendum. quod factum miror, quomodo *Iohannes Magnus*, ſcriptor & Chriſtianus & Archipræſul, colore, non quidem reperto, ſed quæſito, eleuare in animum induxerit. *Hiſt. Goth, lib. 7. c. 15.* Miror etiam, quàm ſegniter tantæ feritatis vecordiam reputauerit *Stephanus Ioannis Stephanius*, cum in *Notis ad Saxonem Grammaticum* inter exempla ignominiarum militarium, diſcipli- *p. 160.*

næ cauſa adhibitarum, reponit immane facinus, quod exemplo caret. Quod enim ex *Snoronis Sturleſonii Chronico Noruagico*, quaſi ſimile factum Oiſteni cuiusdam Vplandiæ reguli, aduerſus Trondhemenſes patratum ponit, ad eandem hiſtoriam pertinet. Gunnarus enim ſiue Gunno (quem *Io. Iſacius Pontanus*, *Hiſt. Dan. lib. 1. p. 29.* *regem* Sueciæ, neſcio vnde, vocat; cum *Saxo Grammaticus* *Hiſt. Dan. lib. 7. p. 133.* nihil aliud quàm *fortiſſimum* Suecorum, absque regis titulo appellet) Oſteni Sueciæ regis auſpicio, ſuo ductu rem geſſit. Quod *Hiſtoria Suecica Ioannis Loccenii* *lib. 1. p. 29. & 30.* amplius declarat, facinusque inauditum digno grauitate viri boni ac prudentis iudicio proſequitur, ad *ſæuitiam* ducis referens incredibilem, neque diſſimulans cognomen à *crudelitate* ipſi regi impoſitum. Inter alia notabiliter, *Aliquando ſuſpicabar*, inquit, *Oſtenum præfeciſſe iis hominem nomine vel re canem, aut qui caninis morib⁹ eſſet, cui nolentes volentes obtemperarent. haud enim facile credat poſteritas, tam inhumanum fuiſſe Oſtenum, vt hominibus rectorem brutum obtruderet; aut Noruegos tam abiectis fuiſſe animis, vt canē regem ferrent. Sed præter alios Snoro Sturleſonius vetus Noruagica hiſtoria ſcriptor idem affirmat.* &c. Certe, ſi potuiſſent excutere tam infandæ tyrannidis iugum, nullius eos iuris reſpectus à vindiciis libertatis retrahebat. Inquis; fidem dederant, vt canem regem honorarent? Non poteſt fides adſtringi in rem diuino humanoque iure inconceſſam, & ad Dei, Imperii, omnisque humanæ ſortis iniuriam, ac ludibrium pertinentem. Hæc ergo

ergo ipſo iure nulla ſunt. Quid ſi imponeretur Rex, homo infimæ conditionis, ſeruus, aut omnibus flagitiis contaminatus? Seruus ortu, tolerabilior eſt, ſeruo vitiorum. nec ſunt nulla exempla bonorum ex ſervis regum. Servus vitiorum, accedente originis vilitate, ſi, ne imponatur ceruicibus deuictorum aut deditorum, precibus poſſet impetrari, bonum factum eſſet. Sin; quia nemo fatebitur, ſe tales imponere, vt tales; & in futurum de moribus hominum ambigua æſtimatio eſt; ius reſiſtendi aut vim opponendi non poteſt demonſtrari. Quod ſi autem ex propoſito & ſemper tales homines pro Regibus imponerentur victæ deditæue nationi (quod tamẽ nec accidere, nec ratione cognitionis ad liquidum perduci poſſe videtur) prope eſt, vt hoſtilis animus imponentis colligi queat: eximio illo ſenſu, alibi à Grotio, explicato; non, quo tyrannus quiuis, figura augente, hoſtis populi interdum dicitur. Quid, ſi is in cuius manu, ex cauſa prædicta, eſt, regem dare; populo Chriſtiano imponeret regem Turcam aut Mahumetanum? Certe qui Chriſtianos ſub imperium accepit, vel armis vel deditione, is tacite obligauit ſuam fidem, ſe non erepturum illis, quod humanis imperiis non ſubiacet: alioquin victor e. g. antequam victos ſeruaret, ſiue vitam illis concederet, debuiſſet hanc conditionem verbis exprimere: aut vita vobis aut Chriſtianæ religionis libertas deſerenda eſt. talia enim non ſubintelliguntur. & cum dediti ſe ſuaque omnia, diuina humana dedunt,

tacita ineſt cautio, quatenus humani imperii & obſequii modus capit. Nam Deo excepta, nullis pactionibus continentur. Deo magis obediendum quàm hominibus. Non dubitem, quin qua fieri poteſt ope reſiſtere liceat. Verum hoc quoque in iis eſt, quæ euenire non poſſe videntur. Quis enim Rex Chriſtianus nationi ſubiectæ imponat regem Mahumetanum? Et ſi victor ipſe ſit Mahumetanus, alterius generis naſcitur diſputatio, pertinentque huc partim, quæ modo dicta ſunt.

Poſtquam hactenus actum eſt, de ſucceſſione in regnis ab inteſtato, *ex præſumta voluntate regnantium*, vbi ſcilicet ſucceſſoris conſtituendi omne arbitrium penes regnantes reponitur; conſequens eſt, vt nunc agatur, de regno per ſucceſſionem deferendo, *ex præſumta populi voluntate*, ad §. *XIV.* & *ſeqq.* Quo in loco, ante omnia recte conſtituendum eſt, *quando & quomodo hoc fieri, exiſtimandum ſit.* Reſpondet *Grotius: in iis regnis quæ libero populi conſenſu facta ſunt hereditaria*; ſiue, *quæ modũ habendi accipiunt ex populi conſenſu*; ſiue *quæ habentur iure vſufructuario.* Hæc enim: *Grotio*, idem valent. Non ſemel diximus, quid in verbis deſiderari queat, ſi quis curioſius hîc verſari velit. Illud interim ſpectari, palam eſt: in his regnis, ſucceſſionis ordinandæ arbitrium non à libera voluntate regnantium, ſed à voluntate populi ſuſpendi. Id quot modis accidere queat, requirendum eſt. *vel* enim, populus omne arbitrium in modo conferendæ

ſum,

ſummæ poteſtatis ſibi reſeruauit abſolute, lege, pacto, more; quod, niſi, vbi Electio ſucceſſioni oppoſita obtinet, fieri nequit: atq; id extra quæſtionem eſt. *Vel*, legem ſucceſſionis ſingillatim deſcriptæ tulit populus, ſiue potius cum rege pactus eſt, conuentione ad ſucceſſores quoque valitura, de ratione & ordine ſuccedendi: quod & ipſum non eſt hujus loci. nam vbi deſcripta eſt voluntas paciſcentium, non opus eſt coniectura voluntatis. *Vel*, elegit populus regem, eiusque familiam in poſterum, ſine mentione ordinis aut deſcripta ſerie. vt, ſi dixiſſet: regnum tibi & generi tuo damus ſiue poſteris tuis: aut, tibi, & qui erunt maſculi de genere tuo. Dubitatur, an illa mens fuerit Iſraëlitarum Gedeoni dicentium; *Dominare noſtri tu, & filius tuus, & filius filii tui.* Iud. 8, 22. quidam enim compendium & figuram agnoſcunt in his verbis, quaſi dixiſſent, *tu & genus tuum:* alii, non ultra nepotem, ſucceſſionis proferendæ animum extendunt. Talis populi voluntas, an ſcripto comprehenſa, aut traditione inde à primordiis accepta, aut tacite ſubintellecta ſit, non intereſt nihil. Sane ſi eiusmodi conſtitutionis & pactionis, ſcriptura ſemper extaret publica, minus aliquanto dubitationis quæſtionibus de ſucceſſione miſceretur. At vero, ſi hiſtorias gentium conſulimus, pauciſſimos apud populos, qui ſucceſſionem electioni præferunt, imo vix apud vllum, monſtrari queat primæua ſucceſſionis inſtitutæ memoria literis conſignata. Fama tra-

tradente pleraque creduntur; & exemplis antegreſſi temporis, præſentis ſtatus iura iudicantur. Potiſſima fere hîc ratio regnat, vt generi delatum credatur regnum, quod ſine determinatione temporis, ſine reſeruatione ordinandæ deinceps ſucceſſionis, delatum eſt. Detulerat ſummam omnium rerum poteſtatem Auguſto Senatus Populusque Romanus (nam armis parta, magnificis decretis firmauit ei conſenſus ciuitatis) neque addiderat aliquid de ſucceſſore. ſed permiſſâ ſemel principi republica, etiam ſucceſſoris conſtituendi poteſtas, de qua nihil exceptum erat, permitti viſa eſt. igitur non ſui tantum ſanguinis rationem habuit, ſed eo extincto, adoptionibus ſuppleuit, quod ad ſucceſſionem deeſſe videbatur. neque, cum omnia rumor aduerſus tantum Principem conquireret, cuiusquam auditæ ſunt querelæ; quod ſucceſſionem conſtituiſſet: quamuis, cur & quem conſtituerit, curioſius requiſitum eſt. Verum, vt cœpta exequamur, ſi conſtet vndecunque, non homini modo ſed familiæ delatum eſſe regnum, primum eſt quod præſumitur: noluiſſe populum, extra familiam ſucceſſorem quæri, dum familia ſufficit; id eſt, toti familiæ partum eſſe ius, quod ad extraneos, ſtantibus familiæ munimentis, transferri non debeat: *ſecundo*, aſcendentibus excluſis, de cetero populum voluiſſe ſeruari eum ordinem, qui naturali æquitati ſatis conſentaneus in heredibus ex aſſe, quantum ad deſcendentes & collaterales

ple-

pleriſque placuit: ſed, an, quoad collaterales in infinitum, *tertio*, non fuerit promtum affirmare: *quarto*, deficiente familia, ad liberam & nouam electionem, & ius populi, quod in deferendo primum familiæ regno habuit, rediri, non mortuo tantum vltimo rege, ſed ſi viuus, velit ſuopte iudicio extraneum nominare ſucceſſorem citra conſenſum & voluntatem populi. Hæc enim ſi acceſſerit, noua pactio eſt. Sed quid, ſi adoptione velit inſtaurare familiam? Dicetur ſubinde. ordine enim ſequentur quæſtiones etiam reliquæ de ætate, ſexu, aliiſque. *quinto*, cogitandum eſt, an non, ad euadendas tricas ſatius ſit, in hoc argumento, de præſumenda voluntate, non populi tantum, ſed populi & Principis voluntatem, velut in pacto ſpectare. vt appareat etiam differentia regnorum, in quibus totum ius ordinandi ſucceſſionem, Principis arbitrio ceſſit; cuius ſolius voluntas ſpectanda deinde vel præſumenda eſt: & in quibus, voluntas Principis in ſucceſſoribus ordinandis, limites accepit à voluntate populi. Non autem hoc tantum, ſed illud quoque, libero conſenſu populi fieri poſſe, iam ante diximus. vtrum autem factum ſit, in fundamentis huius diſputationis ſemper locandum eſt. Vnde etiam conſtare poterit, an & in quantum ſibi populus iudicium de ſucceſſione retinuerit, vel non retinuerit.

Putet aliquis, ſucceſſione ſemel, hoc vel illo modo conſtituta, vix opus fore multis dubitatio-

tationibus,atque adeo ſolicite conquiſitis quæſtionibus ac definiendi rationibus, eo quod Princeps, cui arbitrium ſucceſſionis ceſſit, non commiſſurus ſit, vt incerto ſucceſſore moriatur. Sed longe nos aliud docet rerum humanarum fragilitas; & Romanorum præſertim Imperatorum veterum caſus. In primis illi ſtudebant ſucceſſioni; etiam per adoptionum ſubſidia. ſed quàm frequentes fuere, ex hiatu & interrupta ſerie deſtinatæ ſucceſſionis, calamitates, quibus vndiq; agitatum & concuſſum eſt Imperium?

In regnis ergo eiuſmodi, bello aut deditione acceptis, conſtituendæ ſucceſſionis arbitrium, penes regnantes eſſe poſſe & ſolere; imo, etiam vbi aliter ab initio conſtituta ſunt regna, factum eſſe, vt ſucceſſoris conſtituendi poteſtas regum in manu conſenſus populi tacitus, ipſaque conſuetudo repoſuerit, nullum eſt dubium. Quouſque? Dicas, vſque in caſum non ſignificatæ voluntatis conſtituendæ ſucceſſionis. neque video, quid magnopere incommodi habeat, ſi ita reſpondere velis; & ſignificationem voluntatis explices, vt ea non tantum expreſſis verbis intelligatur fieri, ſed & facta eſſe ſubintelligatur, ſi moris publici auctoritas habuerit, quo ſe applicet, id eſt, ſi non defuerit, qui ex conſuetudine priorum temporum, gradu interiore aut vlteriore, ſuccedere poſſit debeatue. Quanquam hic etiam atque etiam videndum eſt, quo poſſimus vſque vocabula iuris producere. Et, eſtne

aus

aut fuit in mundo exemplum, vbi, abſque pacto aut lege, aut legis auctoritatem imitante conſuetudine, populus obligatus cenſeri debeat, ſucceſſorem ſumere etiam ex remotioribus gradibus, citra ſignificatam voluntatem deceſſoris? Eſt profecto præſumendæ voluntatis in regnante modus, nec in infinitum porrecta neceſſitas. Quis enim nolit vel abſoluere vel venia proſequi Syros apud *Iuſtinum*? lib. 40, c. 1.
Hæc regna interim magis quodammodo eſſe hæreditaria, ſiue propius ad naturam hæreditatis accedere, non immerito Grotium dixiſſe, res ipſa docet: cum & teſtamento transmitti, & dotis nomine dari, & donari, & per modum hæreditatis diuidi, aliisque modis alienari conſuetiſſe conſtet.

Quod autem §. *XII.* de ſucceſſionis & transmiſſionis varietate & libertate dicitur, ac in *Annotatis* pluribus exemplis illuſtratur, pleramque partem, non ad præſumtam ſed ſignificatam voluntatem priorum regum pertinet. quorum ſcilicet iudicium pro lege fuit populis. Ita nothus Moloſſus non ex præſumta ſed declarata Pyrrhi voluntate ſucceſſit, & Paphlagoniam Mithridates non tantum regum domeſticorum interitu, ſed *adoptione* ap. Iuſtin. *teſtamenti*, ad patrem ſuum peruenisſe ait. Nec 38, 5.
diuiſio in regno inter mares & fœminas, tam ex præſumta voluntate, quam vltimis regnantium iudiciis accidiſſe videtur. Ita *Ægypti regnum Ptolomæus vxori & alteri ex filiis, quem illa legiſſet, relinquit* apud *Iuſtinum*. Et regna 39, 3.
inter

inter fratres ac ſorores diuiſa, vel teſtamentariam diſpoſitionem, vel pactionem plerumque præ ſe ferunt. In reliquis duo tanguntur, quæ præſumtionem generare idonea ſunt, *adoptio*, & *mos gentis* in ſucceſſione regia. *Adoptio* enim ſiue ex fauore (vt notho ad legitimorum ſortem vocato) ſiue ex neceſſitate (quatenus deficientibus liberis ſufficiuntur aliunde aſciti) ortum ducat, ſatis indicat, adoptantem voluiſſe, vt in iura & locum liberorum adoptatus veniret. *Mos* autem, an nominari queat ex vno alteroque aut pluribus etiam factis, & in quantum, non eſt nulla ſententiarum diſcrepantia? Videmus enim ſtudio cauſæ, & officioſis conſiliis, vel vnum aliquando exemplum in id laudari, vt nouum non eſſe, aut præter morem, quod ſuadetur, inferri queat. Qui locus cautiones deſiderat idoneas, & iudicii diligentiam: ne quod ex concurrentibus momentis, & permixta rationum aliarum virtute, aliquando valuit, vni titulo tribuatur, qui præſcriptus eſt.

Neque tamen Grotium aliquis merito incuſauerit, quod ſignificatam, & præſumptam voluntatem quodammodo hic confuderit. Declarandæ theſi, non alienum hoc videri poteſt, quatenus cauſam facti ſpectantes aut requirentes, præſumendæ voluntatis originem eadem opera indagare videntur.

In §. XIII. aliquem mouere, quod de conditione non diuidendi regni præmittitur: *Quod ſi dictum ſit, ne diuidatur regnum, nec cui cedere debeat*

debeat expreſſum ſit. Agitur hîc de regnis, quæ in patrimonio eſſe, aut excellentiore modo hæreditaria haberi, Grotius vult: denique (nam huc valet tantum eius ſententia) in quibus, in ſucceſſoribus conſtituendis, omnia ex voluntate regnantium vel expreſſa, vel præſumta, vnice geruntur. Quæ diſputatio, ſi, vt oportet, ad hiſtoriam & rerum geſtarum fidem exigatur, vix ſupererit locus, legi aut conditioni regnantibus dictæ, ne diuidant regnum aut plures ſucceſſores conſtituant: ſi præſertim bellicas acquiſitiones, & puras deditiones animo reuoluamus. Niſi quod accidere poſſe diximus, vt aliter delato primitus regno, tamen ſucceſſionis ordinandæ pleniſſimum arbitrium regnantibus permittatur: tum ſane deferentes hanc vnam exceptionem de non diuidendo regno poſſent adiicere. Sed fortaſſe, ſi iterum ad euentuum humanorum ſpecimina, oculos referamus, vſum magis & conſuetudinem non diuidendi in hac aut illa gente regni, quàm legem dictam, aut pactionem interpoſitam, laudari poſſe comperiemus. vt liberalius accipi illud, *ſi dictum ſit*, rationis ſit.

Quod autem dicitur, *in regno indiuiduo tali, quale deſcripſimꝰ ante, primam præſumtionem eſſe pro ætate vel maris vel feminæ*; accipi debet ſeiunctim: nempe, vbi de maribus agitur, natu maximo; vbi in defectu marium, de fœminis quæſtio eſt, natu maximæ videri regnum conuenire. non promiſcue, filiæ e. g. maiori, ante

fratres minores. prærogatiua enim ſexus naturaliter eſt ante prærogatiuam ætatis: nec præſumtione, ſed declaratione voluntatis talia mutantur. Res clara eſt etiam in exemplis, quæ de vno genere, de maribus ſcilicet, *hic* & *in Annotatis* adferuntur. Sed de ætatis quidem prærogatiua & primogenitis ſubinde amplius erit agendum.

In *fine* §. adiicitur: *qui autem in regno tali ſuccedit, coheredibus tenebitur pro ipſorum partibus æſtimationem rependere; ſi & quatenus id fieri poteſt.* Bene addidit: *ſi & quatenus fieri poteſt.* Accurate enim loquendo, vix poteſt fieri. Nimirum, hypotheſis illa, de regno apprime hæreditario claudicat, neque per omnia accommodari poteſt. Sit in tali ſtatu, regnum hereditas; ſed hereditas ſingularis generis, hereditas indiuidua (de regno enim indiuiduo nunc ſermo eſt) quæ naturam ſuam diuiſione amittit, vnique propterea conuenit. Regni ergo talis, id eſt, indiuidui, non ſunt coheredes. Sint in aliis bonis paternis coheredes liberi. regni indiuidui natura eſt eiuſmodi, vt coheredes non præſumantur, ſed præſumtione naturali excludantur. ergo nec regni cauſſa & nomine, æſtimationem rependere tenetur, qui ſucceſſit. At, inquis: in tali regno, non diſtinguitur ipſum regnum ab hæreditate ceterorum bonorum, ſed in bonis ad heredem tranſeuntibus numeratur. Non reprehendo ſtilum, olim & hodie vſitatum, ſed deſidero explicationem. Non ſunt prorſus eadem,

quæ in aliquibus propriis & differentibus ſeparantur. Locum inueniunt eiusmodi locutiones, quotiens verſamur circa communia & conuenientia. Vbi ad momenta, cuique generi interiora & propria, ventum eſt, adiectione & interpretatione opus habent. Non ita eſt in patrimonio regnum indiuiduum, ſicut quæuis alia bona, aut vulgaris hæreditas: ſed, vt & regnum maneat, & indiuiduum regnum. Hæc res ſtatim te ad differentia ducet. Igitur, in quæſtione noſtra, ſi rex ſucceſſor regni indiuidui patrimonialis iis, quos de cetero natura & ius cohæredes dedit, ita æſtimationem rependere debet, vt vnam tantum regni partem iure propio ipſe teneat, ceteras à coheredibus, repenſa cuique æſtimatione, redimat, nec ſucceſſor vere erit regni, nec ſeruabit regnum. id eſt, ſucceſſio ad irritum recidet. vnde enim illi eæ opes, vt pro pluribus partibus, ex vnica ſua parte, æqua rependere queat? an de reditibus ceterarum partium per penſiones & in diem? atqui his fructibus regnum ſuſtinetur. an ex portione hereditatis paternæ reliquæ, à regno & regni rebus ſeiunctæ? at, ſi illa non ſufficit, ſi nulla eſt? Ergo hoc quidem fieri nequit, vt regni ſucceſſor, ceteris tanquam coheredibus, æſtimationem rependere veluti pro ipſorum partibus *teneatur*. Quid ergo? an ſi patrimonium à regno diſtinctum, vel exiguiſſimum, vel nullum reliquos coheredes ſoletur; fratre e. g. in regno viuente, fratres ceteri ad egeſtatem redigentur?

tur? Hîc iam prouidentia hominis, legis, moris ſuccedit, & periclitantibus ſubſidia reperit. Poteſt enim iudicio aut teſtamento deceſſoris aliquid conſtitui ad ſubleuandos, quos dicimus; in quantum vires & rationes regni ferre queunt. Et talia legibus etiam conſtituta, aut moribus inducta ſæpe videmus. Ipſe quoque, qui regnum ſucceſſione adeptus eſt, æquitatis & humanitatis memorem ſe præſtare volet, ſaluis regni neruis & neceſſariis opibus. Et hoc non erit, tanquam pro partibus communis hereditatis æſtimationem rependere. Alia ad nomina hinc tranſit totum hoc negotium. Apanagium enim, ab æqua hereditatis parte & titulo plurimum abeſt.

Vt, ſepoſitis lege & more, *indiuiduum* præſumatur regnum, (id enim ex præſumendis *primum* ponitur) non ex voto tantum & voluntate populi, ſed à Regis quoque primum electi voluntate videtur repeti poſſe. Licet enim non ipſi tantum ſed & Familiæ delatum ſit regnum, meminiſſe tamen volet, vt regnum, non vt regna, ſe accepiſſe. Neque voluntas mutandi præſumi, ſed probari debet. Ex indiuiduo autem regno diuiduum facere, nihil aliud eſt, quàm ex vno regno plura regna, ſi non conſilio, certe euentu effectuque facere. Siue enim, liberorum quiſque ſuam partem iure & nomine regio (aut iure, ſi non nomine) tenebit, atque tum totidem reges & regna euadent: ſiue parti quiſque ſuæ præfecti, in commune quidem conſultabunt interdum,

vt

vt membra vnius corporis, ſed fœdere non imperio colligati: ſiue, communi auſpicio collegioque regnabunt; atque ea non regni ſed optimatum ſpecies erit. Quæ in exemplis occurrentibus examinanda ſunt. aliquando enim duo tresue indiuiſa poteſtate regnum aliquod tenuiſſe dicuntur; quæ non regii imperii forma, ſed Ariſtocratia triumuiralis eſt. Quæ mutationes in voluntate Principis cum Familia ad regnum vocati, præſumi nequeunt. Cum præſertim pericula huius ſtatus nullo vnquam æuo ignorari potuerint.

Alterum (§.XV.) *vt ſucceſſio ſtet intra eos qui deſcendunt à primo rege*, manifeſtâ æquitate præſumitur. Nam finge, Regis primum vocati Fratrem, habere filios regno magis idoneos aut vtiliores, quàm ſint ipſius Regis filii; non illi tamen, ſed hi ſuccedere debent: quia, in conferendo regno, nomen *Familiæ* aut *poſterorum* non aliud agnoſcit principium, quàm perſonam primi regis; nec habere latitudinem intelligitur, ſed à puncto deſcendere, & in deſcenſu demum & ex deſcenſu in latera creſcere. Atque hæc valere, quotiens in ſeriem proficit Familia, modo, quo dictum eſt, deſignata ac deſcripta, facile cuiuis fuerit credere. Quid, ſi primum electus ſpe prolis & collatione iuris in Familiam tranſituri, improlis obierit? an, obtentu iuris in familiam collati, frater ſucceſſionem ſibi vindicauerit? Ne dixeris. noua conſtitutione opus erit, ſiue electione. vbi fraternum nomen, ad ſuadendum aliquid

auctoritatis, non autem ad vindicandum aliquid iuris ſuppeditare poſſet. Niſi conſtiterit clariſſimis documentis, Familiæ aut Generis nomen aliter ſumtum eſſe, quàm à nobis deſcriptum eſt. Venit in mentem Conradi I. Imperatoris exemplum. Is moriturus, ſucceſſorem nominauit Henricum, qui cognomento Auceps vſurpatur. Applaudentibus cæteris, ægrius tulit frater Eberhardus, quod ad ſe potius peruenire ſucceſſionem, æquius ſcilicet iudicaret. Electus erat Conradus Rex primus ſui generis, vt teſtatior habet memoria. Electus eſt, ſi non cum plena poteſtate ſucceſſoris conſtituendi (quod illis tamen temporibus non abſurdum fuiſſe, videor demonſtrare poſſe) certe cum ſpe ſucceſſionis familiæ delata, ſi filios dehinc generaſſet. neque enim id non ſubintelligebatur tum in collatione Imperatoriæ dignitatis. quod autem Familiæ ratio etiam in latera haberi intelligatur, non dixerim: & Fratris, Eberhardi querelam, non de interuerſo iure, ſed de iudicio Fratris Regis acceperim. quaſi voluiſſet ita agere: cum in tua manu fuerit ſucceſſorem nominare, cur non habuiſti potius rationem ſanguinis? Si enim addere vellet rei exaggerandæ: dum tibi delatum eſt imperium, toti generi noſtro, etiam in tranſuerſum, ius partum eſt, non eſſet audiendus. Scio, alios de moribus iſtorum temporum aliter ſentire, ſed hæc non ex vano dici, in loco oſtendi poſſet. Videatur *Huldricus Mutius lib. 12. Ditmarus Merſeburgenſis*

genſis lib. 1. *Abbas Vrſpergenſis, &c.* In Neruæ quoque hiſtoria mouetur hæc quæſtio, apud *Dionem*: vbi Nerua Traianum adoptaſſe dicitur, *καί τοι συγγενῶν τῶ Νερύα ὄντων, quamuis non deeſſent quidam de cognatis eius.* Quaſi, dum Nerua electus erat, non poſteritas tantum ab ipſo deſcendens, ſed totum genus in latitudine ſpectatum eſſet. Sed hic quoque poteſt dici, Neruæ cum imperio ceſſiſſe poteſtatem ſucceſſoris conſtituendi, non generis, ſed iudicii reſpectu: atque in eiusmodi ſententiis laudari iudicium eius, quod cum ex libera illa poteſtate ſucceſſoris nominandi, neceſſitudinis & propinquitatis rationem potuiſſet habere, merita & dignitatem prætuliſſet. *lib. 68. Xiphilin.*

De *Naturalium* & *Adoptiuorum* ſucceſſione præſumenda, *tertia* ſequitur annotatio §. XVI. De *illis* primo. Non præſumi *Naturalium* ſucceſſionem, propter *contemtam*, deinde propter *incertam* originem, ait. De *incerta* origine repetenda ſunt, quæ ſupra dicta ſunt in diſtinguendis matribus domi retentis cuſtoditisue, & incuſtodita conſuetudine amatis. Fieri enim poſſe, vt pater non ſit dubitabilis, *Grotius* ante agnouit. Ergo, quatenus id vſu venit, ceſſabit exceptio incertæ originis. De *contemtu* partim ſubeſt ratio *perpetua*, quæ matrimonium & ex eo genitos aliter natis præfert: partim *mutabilis*, pro erroribus temporum, nationumque: vt in contemtu, niſi plane vulgo aut inceſtu quæſiti (de quibus hic nulla

quæſtio) ſæpius non habeantur. Locus *Curtii* §. *præcedente* allatus, exemplo eſſe poteſt. Agitur ibi de ſucceſſione regiæ domus ac familiæ, de genitis ad regnandum, de hereditario imperio: cui Aridæus Philippo patre genitus, matre Philiña Lariſſæa, quam *Plutarchus* γυναῖκα ἄδοξον καὶ κοινὴν *feminam obſcuram & communem* vocat, deſtinabatur tamen & præficiebatur. Neq; ad dignitatem Imperatoriam ſucceſſione adipiſcendam, Arnolpho obſtitit, quod ex concubina natus eſſet. ſed exempla quidam infinita ſunt, partim etiam *Arniſæo* cumulata, qui contra naturales pronuntiat. Sed diſtinguendæ ſunt quæſtiones. ſi enim quæras, quid liceat Principi, cui ſucceſſoris deſignandi poteſtatem abſolutam conuenire conſtat, ſi velit ſuo iudicio, filium extra ſolenne matrimonium genitum præferre in tali matrimonio genitis: hæc quæſtio non erit huius loci: vbi de præſumto ſuccedendi iure, ſolum ſermo eſt, niſi quis velit, ſaluo ac ſepoſito illo iure Principis, ſcrutari: an id fecerit Princeps, quod naturalis quoque ratio faciendum dictaret. Quando autem de ſucceſſione ex præſumta voluntate populi, aut huius ac Principis ſimul agitur, omnis dubitatio huc recidit, an notione generis & familiæ, comprehendantur etiam filii naturales. Negat Grotius, eo quod in hoc negotio non credantur intelligi, niſi ſecundum patriæ leges geniti. Licet enim diſpar ſit conditio Regum & ſubiectorum, quantum ad legum δύναμιν ἀναγκαστικὴν ſeu vim cogen-

in Alex. f.

Relect. polit. lib. 2. c. 2. ſect. 13.

gentem attinet, verba tamen & conceptus rerum ita ſe menti humanæ offerunt prout legibus communiter, præſertim non vnius ciuitatis ſed plerosque apud populos, deſcribi negotiorum ſingula intelliguntur: vt, qui liberos, nepotes, propinquos, & in complexu, genus, familiam, dicit, nihil aliud dicere videatur, quàm quod legibus populorum communiter pro liberis aut familia habetur, id eſt, quid aliud, quàm cum reſpectu matrimonii loqui, vnde iſta omnia nomina cooriuntur & definiuntur? Quare non loqueretur ciuiliter, qui diceret: Principis nullos eſſe liberos naturales, omnes legitimos; tum quod ad ſolennia matrimonii contrahendi non adſtrictus ſit, tum quod diſcrimen naturalium & legitimorum liberorum, à lege tantum ciuili veniat, cui itidem Princeps non ſubiectus ſit. Præterquam enim, quod ſtilum omnibus ſæculis, toto orbe receptum abrogare potius quàm explicare, non priuati moliminis res eſt. Princeps ad ea matrimonii iura, quæ naturalia ſunt, & nuſpiam non agnita, adſtringitur; quibus ſcilicet fit, vt ſit matrimonium. Quis enim ſolo concubitu matrimonium definiat? Hoc fatendum eſt, congreſſum extramatrimonialem, longius aut propius à conſuetudine coniugali abeſſe, pro conditione diuerſa coniunctionis ejuscemodi. ſicut in diſputatione de concubinis, de perſonis ſolutis & matrimonio obſtrictis, de naturalibus liberis eorum qui nunquam iuſtam vxorem domum du-

xerunt, aut ante eam ductam liberis operam dederunt, & eorum,qui iuſtæ vxori pellices ſuperinduxerunt, amplius declaratur. Et, quamquam confundi diuerſa principia nemo ſuaſerit, inter Chriſtianos tamen nemo affirmare debet, matrimonii,vt talis, legibus quemquam hominum exceptum eſſe. Lex enim de adulteriis, & promiſcuo concubitu, ſicut in diuina lege naturalis eſt: ita neminem non obligat, & ab iis eruditiore ſenſu æſtimatur, qui ſacrarum literarum non ſunt imperiti. Poſſunt hæc omnino ſtare, ſalua ciuium aduerſus Principem reuerentia: cuius maxima ſemper ratio habeatur oportet. Vt ergo infamia abſit, à naturalibus Principum liberis, quatenus à lege ciuili conſurgit; diſcrimen tamen & comparatio cum natis ex coniugio, non poteſt abeſſe. neque enim ſolius legis ciuilis eſſe hunc partum, ſed naturali ratione fundari, ſupra monuimus. Neque prius neceſſe eſt credere, nullum eſſe diſcrimen inter Principum liberos in matrimonio & extra id genitos; donec oſtendatur, vllo vnquam ſæculo nihil interfuiſſe inter Principum vxores, & pellices ac amicas. Vtique, quæ ratio mouit pleroſque legislatores, vt diſcrimina hæc ſancirent, non videtur temporis & neceſſitatis, ſed veritatis perpetuæ titulo inſcribi.

His, vt oportet, conſideratis, circa filios naturales in ſucceſſione regni, conſequenter iis, quæ ſupra de naturalibus in genere annotauimus, licebit dicere: *ad §. VIII.* I. Vbi regnum familiæ eſt dela-

delatum, ſi communiter diſcrimen originis ex matrimonio & extra matrimonium ibi obtinet, nullo modo *præſumi* voluntatem, naturales promiſcue ad ſucceſſionem admittendi. II. ac ne collateralibus quidem in defectu deſcendentium legitimorum præponendi. III. Imo, ſi plane deficiat genus primum electi, ſolo naturali aut naturalibus ſuperſtitibus, non præſumi voluntatem hos admittendi, quaſi ex obligatione primæ collationis in familiam. niſi IV. mos apud eam gentem obtinuerit, hos vel ſæpius, vel dicto caſu admittendi. conſuetudinis enim in præſumenda voluntate, quis reſpectus eſſe debeat, nemo negauerit. V. Si mos fuerit, adoptandi naturales, aut alio modo legitimis adæquandi, & naturalium aliquis adoptatus, vel alia ratione vſitata legitimis adæquatus fuerit; regis quidem adoptantis aut adæquantis indubia videtur voluntas, niſi ratio ſuccedendi in regnum prorſus à ſucceſſione in patrimonia alia, diuerſa in vſu ſit; de populi autem voluntate quomodo ratiocinandum ſit, cogitatu dignum eſt. Neque enim huc pertinet voluntas regnantis, vt ſola præſumitur, & quatenus regnanti vnicè permiſſa intelligitur ſucceſſoris conſtituendi poteſtas, cum hic ſpectetur populi voluntas vel ſola, vel vt Principis voluntati per modum conuentionis coniuncta. Quod ſi ergo dicas, populus voluit naturalem ita adoptatum aut legitimis æquatum, ſuccedere, vt legitimus ſuccederet, quia adoptioni &

adæ-

adæquationi non contradixit; non ſatis valide tuam orationem exaudiri crediderim. Multa enim obſtare poſſunt, quo minus in contentionem cum principe populus velit deſcendere: ſi præſertim adoptioni tali nihil de ſucceſſione regni adiectum, aut populo promulgatum eſt. Id enim ſi factum eſſet, res ad nouam videretur cum populo pactionem rediiſſe, vel expreſſam, vel tacitam. Quo ipſo caſu non ſupererit forte nulla quæſtio de cauſis effectuque ſilentii in populo, non vno modo ſemper æſtimandis. Maiori ſpecie dici autumaueris; cur populus ab initio, cum regnum detulit familiæ, non excepit naturales? ſi excepiſſet, iam nulla ſupereſſet quæſtio de præſumenda voluntate, diſertis ſcilicet verbis ſignificatâ. Sed hîc quoque moris & ſtili communis non minima eſt auctoritas, ſi quæras, an *Familiæ* & *Generis* vocabulo, etiam *naturales* comprehendi ſoleant. neque nulla erit differentia, ſi tempore delati Familiæ regni, primus Rex iam habuerit naturalem filium, præter legitimos, vel non habuerit. Sed quoniam ipſa formula delati ab initio regni rarius extat in memoriis publicis: augetur coniecturæ difficultas. niſi quod aliquando non alienum eſt, ſpectari mores & exempla gentium eiuſdem originis, aut neceſſitudinis.

De *Adoptiuis* nunc agendum eſt. quibus ſucceſſionem ex præſumpta populi voluntate *Grotius* abiudicat, ratione non admodum valida: & cui fortiter opponi dixeris, quæ adopti-

oni

oni commendandæ in hoc caſu paſſim obuia, & vel ex *Panegyrico Plinii*, ac *oratione Galbæ apud Tacitum*, nota ſunt. In Romano quidem Principatu, quin Princeps adoptans ſucceſſionem adoptato conſtitueret, dubio caret. Notæ Auguſti adoptiones, multiplicatæ. Quo exemplo ceteri conſtanter vſi ſunt. De Nerua Traianum adoptante, ante dictum eſt. Traianus Hadrianum adoptauit: aut ſi ab aliis aſcitus eſt, nomine Traiani valuit adoptio. *Hadrianus* ipſe, cum primum Ceionium Commodum adoptaſſet, Æliumque Verum appellaſſet, ſuperſtes ei *Antoninum*, qui poſtea *Pius* dictus eſt, adoptione aſciuit: *ſed ea demum lege, vt ille ſibi duos adoptaret, Annium Verum & Marcum Antoninum.* In illa adoptione; *apud Xiphilinum* orationis eius ad proceres quoſdam tale ponit initium: ἐμοὶ γόνον μὲν οὐκ ἔδωκεν ἡ φύσις ποιήσασθαι, νόμῳ δὲ ὑμεῖς ἐδώκατε. *Mihi quidem natu non dedit filium habere, ſed vos lege dediſtis.* Quâ lege? poſſis ſuſpicari, quia ad principes ſenatorii ordinis viros loquitur, Senatus conſultum aliquod de imperio eius intelligi. Sed id non poſſet eſſe aliud, quàm quo Imperium adoptione quæſitum Senatus ſolita decretorum honorificentia comprobaſſet. Petierat enim, apud *Dionem*, per litteras à Senatu, vt imperium ſibi confirmaret, ſchemate illo Ariſtocratico, de quo alibi; & veniam petierat, *quod de imperio ſuo iudicium ſenatui non dediſſet.* Quo ſenſu Principi Romano, vna cum imperio ius ſucceſſionis in liberos

Spartian. Hadr. c. 4. Ind. c. 23. & 24.

Dio lib. 69.

Spartian. Hadr. c. 6.

non

non genitos modo ſed adoptione adſciſcendos proferendæ collatum intelligeretur. Quamquam in adoptione, & alio poterant titulo niti, quoties cum Auguſto dicerent: *Hoc*
Vellei. 2. 104. *reipublicæ cauſa facio*, cum Principi ex lege Regia, *quæcunq; ex vſu reipublicæ eſſe cenſeret, agere facere ius poteſt. uſq; eſſet*. Adoptionem autem ad ſucceſſionem in Imperio à Principibus Rom. fieri conſueuiſſe, *vel* teſtamento, *vel* cærimonia publica, *vel* ſolo arbitrio ſiue nutu Auguſto, ex *Spartiani* loco valde memorabili conſtat; vbi de
In Æl. Ver. c. 2. Ælio Vero inquit: ***Nihil habet in ſua vita memorabile, niſi quod tantum Cæſar eſt appellatus: non teſtamento, vt antea ſolebat, neq; eo modo quo Traianus eſt adoptatus, ſed eo prope genere, quo noſtris temporibus à veſtra clementia*** (Diocletianum alloquitur) ***Maximianus atq; Conſtantius Cæſares dicti ſunt, quaſi quidam Principum filii viri, & deſignati auguſtæ maieſtatis heredes.*** Sed & de cetero, vbi lex communiter ſupplet adoptione, quod natura negauit, præſumi voluntas populi videtur, vt filium Principis adoptiuum in defectu legitimorum, legitimis iure parem credat. Vt enim promiſcue rex adoptet, extantibus legitimis filiis, vix videtur accidere poſſe. Et quando adoptio ſucceſſionis conſtituendæ cauſa à Principe facta eſt, ſicut allata exempla habent, ſignificata Principis voluntas non præſumta occurrit. cui, quod conſer[illegible]o tempore voluntas populi, pronior [illegible] eſt; pro moribus præſertim loco[illegible]porum. Vix enim videtur Princeps

ceps aliquem ſucceſſorem adoptaturus, niſi de poteſtate id faciendi publica ſit præſumtio. An autem, vbi Principi hoc licet, aut licere præſumitur, examen adoptionis quoad ſucceſſorem ac cenſura populo penitus adimi, aut quodammodo relinqui videatur, non adeo in expedito eſt. Tiberius certe videtur metuiſſe, ne *ſenilis adoptio*, *vxorio ambitu* procurata, titulum vel prætextum daret, res nouare cupientibus, tanquam aduerſus Principem παρείσακτον. *Tac. I. A. 7.*

§. XVII. *Quarto* annotatur, vt in regnis ex præſumpta populi voluntate deferendis, præferantur mares feminis. Quæ res, ſicut ratione gradus hic explicatur, dubio caret: ſi prius certum eſt, ex præſumta populi voluntate vnquam ſuccedere feminas. Videtur enim omnino eorum, qui detulerunt ab initio certæ ſtirpi, votum pertinere ad virorum opera & merita, qui proprie & ordinarie ſuffecturi videntur regendæ reipublicæ; cum in feminis ea ſpes non ordinaria, ſed indoli extraordinariæ debita, locum habeat. Ad ea autem, quæ raro & vix eueniunt, primæ conſtitutiones rerum, ex præſumta quidem voluntate non ſolent tendere. Atque hic regium munus, quotiens cogitatur, aut ſpectatur; non minus ad belli quàm ad pacis opera refertur. Licet enim bellum in votis non eſſe debeat populo; quæ tamen eſt rerum humanarum inconſtantia, crebra eius neceſſitas ſtatim ſe oculis obiicit, vbi de regno agendo ſermo eſt.

vnde veluti ſolenni deſcriptione reges ſignari videmus; *qui eos in hoſtem educere, qui ante agmina incedere, in campum degredi, gladium ſtringere queant.* Quæ virorum munia ſunt: & rarum ac extraordinarium eſt, vt illud *Poëtæ* conueniat: *vos etenim iuuenes animum geritis muliebrem, Illaq; virgo, viri.* cumque in ſucceſſione conſtituenda, vel maxime quies regni ac tranquillitas ſpectetur (qua cauſa populi nonnulli electionis diu vſitatæ incomodis turbisque feſſi ad ſucceſſionis legem tanquam ad ſacram ancoram confugerunt) mulierum imperia contrarium portendere creduntur. niſi certis limitibus legibusue imminentia occupentur. at ille non eſt caſus, de quo agimus. non enim præſumtio quæritur, vbi declaratio voluntatis habetur. Sed nimirum hæc præſumtio, de qua *Grotius* agit, reuera ad quandam excluſionem feminarum tendit; hoc ſenſu: credendum eſt, populos in conſtituenda ſucceſſione, mares proprie ſpectaſſe, feminisque præhaberi voluiſſe; ſi tamen mares defecerint, feminarum non niſi ſubſidiariam opem & ad inſtaurandum genus, aut ad eligendum deinde ſucceſſorem marem, certe non ad continuandam diu muliebris imperii ſeriem, electam eſſe. Hunc enim caſum (continuandi pluribus deinceps feminis regni) non præſumi poſſe, ſed probari oportere dixeris. Interiectum autem eiusmodi imperium femineum, ex temporis vſu, & ad ſucceſsionem denuo inſtaurandam, aut incho-

inchoandam, longe minus habet periculi, quàm ſi præteritâ feminâ generis ad regnum delecti, dubitandi & litigandi occaſio aduerſus nouum electum ac quæſitum Principem exiſteret. Ad hunc ergo modum, non infiicianda fuerit prorſus præſumtio populi pro feminis ex domo Principali non in vniuerſum excludendis. Cum præſertim tot exempla gentium variarum, non aliter iudicantium, in promtu ſint; quæ huic præſumtioni omnem probabilitatem detrahi non patiuntur: Et, cum de more conſtat in hac aut illa gente recepto, pæne plusquam præſumtio adſit. Atque huc pertinent memorabilia exempla, quæ *Grotius* §. *ſeq. XVIII.* collegit. Illud maioris eſt operæ, definire, an ex præſumta voluntate populi primum ſucceſſionem familiæ ita conſtituentis, vt feminæ ſuum ſuo tempore quendam locum ſortiantur, poſteri ſic obligentur, vt ex magna reipublicæ vtilitate, aut periculorum circumſtantia, aliter agere non poſſint? Videntur agnouiſſe caſum huius dubitationis, qui tam ſtudioſe cauerunt, ne ex ſolâ præſumtione vnquam iudicandum eſſet. Annotandum eſt amplius: ſi populus ſemel ſignificauit, ſe in imperio feminæ deferendo genus & propinquitatem regiæ familiæ ſpectaſſe, videtur in poſterum quoque agnouiſſe, ius aliquod feminarum in ſucceſſione: neque male de nationis voluntate hinc præſumi. Conſidera *Diploma*, quo Margarethæ Reginæ ſucceſſio regni Danici ſtabilitur, *etiam propter generis propin-*

quitatem, quoniam duxerunt, nullum hominem linea notionis de illo ſanguine ipſa eſſe propinquiorem. apud *Ioh. Iſac. Pontanum.*

hiſt. Dan. lib.9.p.514

Eſt enim etiam præſumendæ voluntatis aliquis vſus in interpretandis Legibus & Actis publicis ad ſucceſſionem ſpectantibus: quatenus Dubitatio circa verba ad coniecturas voluntatis vltro deducit. concurrit ſcilicet hic, verborum explicatio, & coniectura voluntatis; notabili tamen diſcrimine, quantum ad ſuperiora. Hactenus enim de coniectura voluntatis, citra reſpectum legis alicuius extantis actum eſt: nunc de voluntate, an & quatenus legibus non expreſſa, contenta tamen aut ſubintellecta ſit, quæritur. Ponenda ſunt exempla, quamuis ſine nomine. Extiterit alicubi Lex Succeſſionis, *quæ Regis toti Familiæ ac Generi, ſiue Regi & omnibus eius Hæredibus & poſteris regnum decernat*, nulla adiectâ ſexus differentia: an hæc lex feminas quoque admittit? Dici poteſt, ſi tempore conditæ legis, moris publici noti erat receptique in illa gente, mares ſolos admitti ad ſucceſſionem regni; videtur lex interpretanda pro ſolis maribus, ex patriis ſcilicet moribus: vnde voluntas paciſcentium & conſtituentium optime colligitur. Sin moris nulla copia, vt in nouo & primum inſtituto regno, locum habere poterunt, quæ ante diximus: vt videamus, extendenda an contrahenda ſit coniectura voluntatis. Aliud. Dictum ſit in lege ſucceſſionis, *vt deſcendentibus in Familia deficientibus, collaterales ſuccedant, vocabulis agnationem & cognationem non diſtinguen-*

guentibus: an feminæ comprehenſæ dicentur? Ita videatur, eo quod voluntas eius, qui legem aut pactionem in literas retulit, liberalius interpretanda putetur, quàm eius, qui nihil ſcripto ſignificauit. cur enim non expreſſerit, ſi verba ſecundum totam ſuam latitudinem intelligi noluit, ſtatim quæritur. Aliud. Dixerit Lex ſucceſſionis, *Si heredibus Regiis maribus deficientibus, Filia vel Filiæ ſuperſint, electio ſit penes ordines regni:* an hinc recte colligitur, Feminarum excluſio? Ita viſum fuerit nonnullis: aliis opinantibus, nihil aliud ordinibus hîc, quàm iuris pro feminarum ſucceſſione conſtituti declarationem & applicationem tribui. Quæ ſententia vt vincat, tutiſſimum fuerit, interpretatione legis nomothetica & authentica, eam ſuffulcire.

§. XVIII. *Quinta* annotatio ad prærogatiuam *ætatis* pertinet, quæ cum prærogatiua ſexus comparatur, eique poſtfertur, exemplis *partim* ad §. *præcedentem*, vt dictum eſt, ſpectantibus, *partim* ad §. 22. Et de præſumta quidem voluntate populi, nulla videtur natu maximo controuerſia moueri poſſe. In coniecturis enim plauſibilis valde eſt ordo, quem natura facit aut præmonſtrat. Quod ſi enim exiſtimes, præſumendam potius populi voluntatem pro digniſſimo, citra diſcrimen ætatis; cogitandum ex diuerſo erit; iudicium, quis ſit digniſſimus, haud raro periculis inuolui; & ſæpe vix deliberando definiendoque in re præſenti ſatis expediri, ſignificata voluntate regnantis, nedum præſumendæ voluntati conueni-

uenire. Hæc enim præſumtio voluntatis quodammodo exigi debet ad reſpectum futuri, vnde determinationem accipit, hoc ſenſu: populus voluiſſe videtur, regnum in Familia propagari, ea ſuccedendi ratione, quæ maxime obuia, tutiſſima, vſitatiſſima habetur. nihil autem magis naturale & vſitatum eſt, quàm vt inter æquales, ordinem faciat ætas. Vltra hæc, quod præuideri non poteſt, præſumi non debet: nec ex incerto accidentia, aut ſingularibus cauſis obnoxia iis æquari fas eſt, quæ in commune conſulentes deſtinaſſe videntur. Quare nec illud exemplum ex contrario ponendum eſt, quando conſtat, Principi liberrimam poteſtatem deſignandi ſucceſſoris ceſſiſſe. Si conſtat hoc inquam, certa rerum fide. tum enim nulla de præſumenda voluntate populi quæſtio ſupereſt, vbi omnia à voluntate Principis pendent. Atque ad præſumendam quidem populi voluntatem, de qua hîc agitur, ſimpliciſſime dicas hoc ſufficere: Voluit populus ſucceſſionem in regnum fieri in Familia: ergo voluit aliquo ordine fieri, vt in diuerſis gradibus, ita in vno gradu. quis ille ordo? vt inter filios, quorum prima ſors eſt, primus ſuccedat, id eſt primogenitus. cur enim in ordine conſtituendo alius præferatur, nulla ratio communis, & in ſummam, dari poteſt. Neque de Principis voluntate, aliunde aut aliter præſumi poteſt. De cuius ſignificata voluntate in contrarium, non eſt hîc agendum. quamquam, niſi demonſtrata facultate

con-

conſtituendi ſucceſſoris ab ipſius ſola voluntate ſuſpenſa, non liceat ei mutare ordinem, quem populus delato Familiæ imperio intelligitur ſpectaſſe, aut ſolum ſpectare potuiſſe. Hæc prærogatiua ordinis explicatur & illuſtratur varie, *vel* per colores rationum, *vel* per titulos iuris. *Rationes* non adferuntur vnius generis roboriſque. Communis eſt Ratio; quia, quod primogenitis in vniuerſum eximie conuenit, etiam in negotio ſucceſſionis regiæ locum habere exiſtimatur. Hæc enim comparatio, ſepoſita lege, aut ſignificatione voluntatum ſub quacunque formula, prima ſe offert. Si enim prærogatiua naturalis, ex neceſſitate ſcilicet & natura ordinis, primogenito competit, cur ea non attendi debeat in ordine ſuccedendi neceſſario, vbi nulla intercedit definitio legalis, vix repereris. In regno ſcilicet indiuiduo, & per ſucceſſionem, electioni oppoſitam, deferendo. Nam id, etiam non dictum, ineſt quæſtioni. ne quis obiiciat, poſſe in fratres diuidi regnum, ſiue æquum eſſe vt diuidatur; aut ſi prærogatiua primogeniti ad titulos iuris tranſeat, Electionem omnem fore iniquam. Longe aliud eſt, de eligendis, aliud de ſucceſſuris citra electionem Principibus loqui. In Electione illa, nulla præſumtio voluntatis, vt hic ſpectatur, locum habet. Iam in rationibus, quibus τὰ πρεσβεῖα ſiue πρωτοτόκια explicari ſolent, quando *Philo* ait, ἐν ταῖς συγγενείαις οἱ πρεσβύτατοι παῖδες *legat. ad* τυγχάνουσι πρεσβείων, ὅτι πρῶτοι τὸ πατρὸς καὶ τὸ μη- *Cai. p. 1032.*

 τρὸς

adæquationi non contradixit; non ſatis valide tuam orationem exaudiri crediderim. Multa enim obſtare poſſunt, quo minus in contentionem cum principe populus velit deſcendere: ſi præſertim adoptioni tali nihil de ſucceſſione regni adiectum, aut populo promulgatum eſt. Id enim ſi factum eſſet, res ad nouam videretur cum populo pactionem rediiſſe, vel expreſſam, vel tacitam. Quo ipſo caſu non ſupererit forte nulla quæſtio de cauſis effectuque ſilentii in populo, non vno modo ſemper æſtimandis. Maiori ſpecie dici autumaueris; cur populus ab initio, cum regnum detulit familiæ, non excepit naturales? ſi excepiſſet, iam nulla ſupereſſet quæſtio de præſumenda voluntate, diſertis ſcilicet verbis ſignificatâ. Sed hîc quoque moris & ſtili communis non minima eſt auctoritas, ſi quæras, an *Familiæ* & *Generis* vocabulo, etiam *naturales* comprehendi ſoleant, neque nulla erit differentia, ſi tempore delati Familiæ regni, primus Rex iam habuerit naturalem filium, præter legitimos, vel non habuerit. Sed quoniam ipſa formula delati ab initio regni rarius extat in memoriis publicis: augetur coniecturæ difficultas, niſi quod aliquando non alienum eſt, ſpectari mores & exempla gentium eiuſdem originis, aut neceſſitudinis.

De *Adoptiuis* nunc agendum eſt. quibus ſucceſſionem ex præſumpta populi voluntate *Grotius* abiudicat, ratione non admodum valida: & cui fortiter opponi dixeris, quæ adopti-

oni

oni commendandæ in hoc caſu paſſim obuia, & vel ex *Panegyrico Plinii*, ac *oratione Galbæ apud Tacitum*, nota ſunt. In Romano quidem Principatu, quin Princeps adoptans ſucceſſionem adoptato conſtitueret, dubio caret. Notæ Auguſti adoptiones, multiplicatæ. Quo exemplo ceteri conſtanter vſi ſunt. De Nerua Traianum adoptante, ante dictum eſt. Traianus Hadrianum adoptauit: aut ſi ab aliis aſcitus eſt, nomine Traiani valuit adoptio. *Hadrianus* ipſe, cum primum Ceionium Com- *Spartian.* modum adoptaſſet, Æliumque Verum appel- *Hadr. c. 4.* laſſet, ſuperſtes ei *Antoninum*, qui poſtea *Pius* *Ind. c. 23. & 24.* dictus eſt, adoptione aſciuit: *ſed ea demum lege, vt ille ſibi duos adoptaret, Annium Verum & Marcum Antoninum.* In illa adoptione; *Dio lib. 69.* *apud Xiphilinum* orationis eius ad proceres quoſdam tale ponit initium: ἐμοὶ γόνον μὲν οὐκ ἔδωκεν ἡ φύσις ποιήσασθαι, νόμῳ δὲ ὑμεῖς ἐδώκατε. *Mihi quidem natu non dedit filium habere, ſed vos lege dediſtis.* Quâ lege? poſſis ſuſpicari, quia ad principes ſenatorii ordinis viros loquitur, Senatus conſultum aliquod de imperio eius intelligi. Sed id non poſſet eſſe aliud, quàm quo Imperium adoptione quæſitum Senatus ſolita decretorum honorificentia comprobaſſet. Petierat enim, apud *Dionem*, per litteras à Senatu, vt imperium ſibi confirmaret, ſchemate illo Ariſtocratico, de quo alibi; & veniam petierat, *quod de imperio ſuo indicium ſenatui non dediſſet.* Quo ſenſu Principi Romano, *Spartian.* vna cum imperio ius ſucceſſionis in liberos *Hadr. c. 6.*

non

non genitos modo ſed adoptione adſciſcendos proferendæ collatum intelligeretur. Quamquam in adoptione, & alio poterant titulo niti, quotiens cum Auguſto dicerent: *Hoc*
Vellei. 2. 104. *reipublicæ cauſa facio*, cum Principi ex lege Regia, *quæcunq; ex vſu reipublicæ eſſe cenſeret, agere facere ius poteſtasq; eſſet*. Adoptionem autem ad ſucceſſionem in Imperio à Principibus Rom. fieri conſueuiſſe, *vel* teſtamento, *vel* cærimonia publica, *vel* ſolo arbitrio ſiue nutu Auguſto, ex *Spartiani* loco valde memorabili conſtat; vbi de
In Æl. Ver. c. 2. Ælio Vero inquit: *Nihil habet in ſua vita memorabile, niſi quod tantum Cæſar eſt appellatus: non teſtamento, vt antea ſolebat, neq; eo modo quo Traianus eſt adoptatus, ſed eo prope genere, quo noſtris temporibus à veſtra clementia* (Diocletianum alloquitur) *Maximianus atq; Conſtantius Cæſares dicti ſunt, quaſi quidam Principum filii viri, & deſignati auguſtæ maieſtatis heredes.* Sed & de cetero, vbi lex communiter ſupplet adoptione, quod natura negauit, præſumi voluntas populi videtur, vt filium Principis adoptiuum in defectu legitimorum, legitimis iure parem credat. Vt enim promiſcue rex adoptet, extantibus legitimis filiis, vix videtur accidere poſſe. Et quando adoptio ſucceſſionis conſtituendæ cauſa à Principe facta eſt, ſicut allata exempla habent, ſignificata Principis voluntas non præſumta occurrit. cui, quod conſenſerit eo tempore voluntas populi, pronior coniectura eſt; pro moribus præſertim locorum & temporum. Vix enim videtur Princeps

ceps aliquem ſucceſſorem adoptaturus, niſi de poteſtate id faciendi publica ſit præſumtio. An autem, vbi Principi hoc licet, aut licere præſumitur, examen adoptionis quoad ſucceſſorem ac cenſura populo penitus adimi, aut quodammodo relinqui videatur, non adeo in expedito eſt. Tiberius certe videtur metuiſſe, ne *ſenilis adoptio*, *vxorio ambitu* procurata, titulum vel prætextum daret, res nouare cupientibus, tanquam aduerſus Principem παρείσακτον. *Tac. I. A. 7.*

§. XVII. *Quarto* annotatur, vt in regnis ex præſumpta populi voluntate deferendis, præferantur mares feminis. Quæ res, ſicut ratione gradus hic explicatur, dubio caret: ſi prius certum eſt, ex præſumta populi voluntate vnquam ſuccedere feminas. Videtur enim omnino eorum, qui detulerunt ab initio certæ ſtirpi, votum pertinere ad virorum opera & merita, qui proprie & ordinarie ſuffecturi videntur regendæ reipublicæ; cum in feminis ea ſpes non ordinaria, ſed indoli extraordinariæ debita, locum habeat. Ad ea autem, quæ raro & vix eueniunt, primæ conſtitutiones rerum, ex præſumta quidem voluntate non ſolent tendere. Atque hic regium munus, quotiens cogitatur, aut ſpectatur; non minus ad belli quàm ad pacis opera refertur. Licet enim bellum in votis non eſſe debeat populo; quæ tamen eſt rerum humanarum inconſtantia, crebra eius neceſſitas ſtatim ſe oculis obiicit, vbi de regno agendo ſermo eſt.

unde

vnde veluti ſolenni deſcriptione reges ſignari videmus; *qui eos in hoſtem educere, qui ante agmina incedere, in campum degredi, gladium ſtringere queant.* Quæ virorum munia ſunt: & rarum ac extraordinarium eſt, vt illud *Poëtæ* conueniat: *vos etenim iuuenes animum geritis muliebrem, Illaq; virgo, viri.* cumque in ſucceſſione conſtituenda, vel maxime quies regni ac tranquillitas ſpectetur (qua cauſa populi nonnulli electionis diu vſitatæ incom̃odis turbisque feſſi ad ſucceſſionis legem tanquam ad ſacram ancoram confugerunt) mulierum imperia contrarium portendere creduntur. niſi certis limitibus legibusue imminentia occupentur. at ille non eſt caſus, de quo agimus. non enim præſumtio quæritur, vbi declaratio voluntatis habetur. Sed nimirum hæc præſumtio, de qua *Grotius* agit, reuera ad quandam excluſionem feminarum tendit; hoc ſenſu: credendum eſt, populos in conſtituenda ſucceſſione, mares proprie ſpectaſſe, feminisque præhaberi voluiſſe; ſi tamen mares defecerint, feminarum non niſi ſubſidiariam opem & ad inſtaurandum genus, aut ad eligendum deinde ſucceſſorem marem, certe non ad continuandam diu muliebris imperii ſeriem, electam eſſe. Hunc enim caſum (continuandi pluribus deinceps feminis regni) non præſumi poſſe, ſed probari oportere dixeris. Interiectum autem eiusmodi imperium femineum, ex temporis vſu, & ad ſuccesſionem denuo inſtaurandam, aut incho-

inchoandam, longe minus habet periculi, quàm ſi præteritâ feminâ generis ad regnum delecti, dubitandi & litigandi occaſio aduerſus nouum electum ac quæſitum Principem exiſteret. Ad hunc ergo modum, non inficianda fuerit prorſus præſumtio populi pro feminis ex domo Principali non in vniuerſum excludendis. Cum præſertim tot exempla gentium variarum, non aliter iudicantium, in promtu ſint; quæ huic præſumtioni omnem probabilitatem detrahi non patiuntur: Et, cum de more conſtat in hac aut illa gente recepto, pæne plusquam præſumtio adſit. Atque huc pertinent memorabilia exempla, quæ *Grotius* §. *ſeq. XVIII.* collegit. Illud maioris eſt operæ, definire, an ex præſumta voluntate populi primum ſucceſſionem familiæ ita conſtituentis, vt feminæ ſuum ſuo tempore quendam locum ſortiantur, poſteri ſic obligentur, vt ex magna reipublicæ vtilitate, aut periculorum circumſtantia, aliter agere non poſſint? Videntur agnouiſſe caſum huius dubitationis, qui tam ſtudioſe cauerunt, ne ex ſolâ præſumtione vnquam iudicandum eſſet. Annotandum eſt amplius: ſi populus ſemel ſignificauit, ſe in imperio feminæ deferendo genus & propinquitatem regiæ familiæ ſpectaſſe, videtur in poſterum quoque agnouiſſe, ius aliquod feminarum in ſucceſſione: neque male de nationis voluntate hinc præſumi. Conſidera *Diploma*, quo Margarethæ Reginæ ſucceſſio regni Danici ſtabilitur, *etiam propter generis propin-*

quitatem, quoniam duxerunt, nullum hominem linea notionis de illo ſanguine ipſa eſſe propinquiorem. apud *Ioh. Iſac. Pontanum.*

hiſt. Dan. lib.9.p.514

Eſt enim etiam præſumendæ voluntatis aliquis vſus in interpretandis Legibus & Actis publicis ad ſucceſſionem ſpectantibus: quatenus Dubitatio circa verba ad coniecturas voluntatis vltro deducit. concurrit ſcilicet hic, verborum explicatio, & coniectura voluntatis; notabili tamen diſcrimine, quantum ad ſuperiora. Hactenus enim de coniectura voluntatis, citra reſpectum legis alicuius extantis actum eſt: nunc de voluntate, an & quatenus legibus non expreſſa, contenta tamen aut ſubintellecta ſit, quæritur. Ponenda ſunt exempla, quamuis ſine nomine. Extiterit alicubi Lex Succeſſionis, *quæ Regis toti Familiæ ac Generi, ſiue Regi & omnibus eius Hæredibus & poſteris regnum decernat*, nulla adiectâ ſexus differentia: an hæc lex feminas quoque admittit? Dici poteſt, ſi tempore conditæ legis, moris publici noti erat receptique in illa gente, mares ſolos admitti ad ſucceſſionem regni; videtur lex interpretanda pro ſolis maribus, ex patriis ſcilicet moribus: vnde voluntas paciſcentium & conſtituentium optime colligitur. Sin moris nulla copia, vt in nouo & primum inſtituto regno, locum habere poterunt, quæ ante diximus: vt videamus, extendenda an contrahenda ſit coniectura voluntatis. Aliud. Dictum ſit in lege ſucceſſionis, *vt deſcendentibus in Familia deficientibus, collaterales ſuccedant, vocabulis agnationem & cognationem non diſtinguen-*

guentibus: an feminæ comprehenſæ dicentur? Ita videatur, eo quod voluntas eius, qui legem aut pactionem in literas retulit, liberalius interpretanda putetur, quàm eius, qui nihil ſcripto ſignificauit. cur enim non expreſſerit, ſi verba ſecundum totam ſuam latitudinem intelligi noluit, ſtatim quæritur. Aliud. Dixerit Lex ſucceſſionis, *Si heredibus Regiis maribus deficientibus, Filia vel Filiæ ſuperſint, electio ſit penes ordines regni:* an hinc recte colligitur, Feminarum excluſio? Ita viſum fuerit nonnullis: aliis opinantibus, nihil aliud ordinibus hîc, quàm iuris pro feminarum ſucceſſione conſtituti declarationem & applicationem tribui. Quæ ſententia vt vincat, tutiſſimum fuerit, interpretatione legis nomotheticâ & authentica, eam ſuffulcire.

§. XVIII. *Quinta* annotatio ad prærogatiuam *ætatis* pertinet; quæ cum prærogatiuâ ſexus comparatur, eique poſtfertur, exemplis *partim* ad §. *præcedentem*, vt dictum eſt, ſpectantibus, *partim* ad §. 22. Et de præſumta quidem voluntate populi, nulla videtur natu maximo controuerſia moueri poſſe. In coniecturis enim plauſibilis valde eſt ordo, quem natura facit aut præmonſtrat. Quod ſi enim exiſtimes, præſumendam potius populi voluntatem pro digniſſimo, citra diſcrimen ætatis; cogitandum ex diuerſo erit; iudicium, quis ſit digniſſimus, haud raro periculis inuolui; & ſæpe vix deliberando definiendoque in re præſenti ſatis expediri, ſignificata voluntate regnantis, nedum præſumendæ voluntati conueni-

uenire. Hæc enim præſumtio voluntatis quodammodo exigi debet ad reſpectum futuri, vnde determinationem accipit, hoc ſenſu: populus voluiſſe videtur, regnum in Familia propagari, ea ſuccedendi ratione, quæ maxime obuia, tutiſſima, vſitatiſſima habetur. nihil autem magis naturale & vſitatum eſt, quàm vt inter æquales, ordinem faciat ætas. Vltra hæc, quod præuideri non poteſt, præſumi non debet: nec ex incerto accidentia, aut ſingularibus cauſis obnoxia iis æquari fas eſt, quæ in commune conſulentes deſtinaſſe videntur. Quare nec illud exemplum ex contrario ponendum eſt, quando conſtat, Principi liberrimam poteſtatem deſignandi ſucceſſoris ceſſiſſe. Si conſtat hoc inquam, certa rerum fide. tum enim nulla de præſumenda voluntate populi quæſtio ſupereſt, vbi omnia à voluntate Principis pendent. Atque ad præſumendam quidem populi voluntatem, de qua hîc agitur, ſimpliciſſime dicas hoc ſufficere: Voluit populus ſucceſſionem in regnum fieri in Familia: ergo voluit aliquo ordine fieri, vt in diuerſis gradibus, ita in vno gradu. quis ille ordo? vt inter filios, quorum prima ſors eſt, primus ſuccedat, id eſt primogenitus. cur enim in ordine conſtituendo alius præferatur, nulla ratio communis, & in ſummam, dari poteſt. Neque de Principis voluntate, aliunde aut aliter præſumi poteſt. De cuius ſignificata voluntate in contrarium, non eſt hîc agendum. quamquam, niſi demonſtrata facultate

conſtituendi ſucceſſoris ab ipſius ſola voluntate ſuſpenſa, non liceat ei mutare ordinem, quem populus delato Familiæ imperio intelligitur ſpectaſſe, aut ſolum ſpectare potuiſſe. Hæc prærogatiua ordinis explicatur & illuſtratur varie, *vel* per colores rationum, *vel* per titulos iuris. *Rationes* non adferuntur vnius generis roboriſque. Communis eſt Ratio; quia, quod primogenitis in vniuerſum eximie conuenit, etiam in negotio ſucceſſionis regiæ locum habere exiſtimatur. Hæc enim comparatio, ſepoſita lege, aut ſignificatione voluntatum ſub quacunque formula, prima ſe offert. Si enim prærogatiua naturalis, ex neceſſitate ſcilicet & natura ordinis, primogenito competit, cur ea non attendi debeat in ordine ſuccedendi neceſſario, vbi nulla intercedit definitio legalis, vix repereris. In regno ſcilicet indiuiduo, & per ſucceſſionem, electioni oppoſitam, deferendo. Nam id, etiam non dictum, ineſt quæſtioni. ne quis obiiciat, poſſe in fratres diuidi regnum, ſiue æquum eſſe vt diuidatur; aut ſi prærogatiua primogeniti ad titulos iuris tranſeat, Electionem omnem fore iniquam. Longe aliud eſt, de eligendis, aliud de ſucceſſuris citra electionem Principibus loqui. In Electione illa, nulla præſumtio voluntatis, vt hic ſpectatur, locum habet. Iam in rationibus, quibus τὰ πρεσβεῖα ſiue πρωτοτόκια explicari ſolent, quando *Philo* ait, ἐν ταῖς συγγενείαις οἱ πρεσβύτατοι παῖδες τυγχάνουσι πρεσβείων, ὅτι πρῶτοι τὸ πατρὸς καὶ τὸ μη- *legat. ad Cai. p.* 1032.

πρὸς ὄνομα τοῖς γονεῦσιν ἐφήμισαν, in cognationibus maximi natu filii prærogatiua ætatis honorantur, eo quod primi fauſtum patris matriſq; nomen parentibus attribuerint: non tantum affectus quidam apud parentes, honor apud alios eximius, ſed cauſa affectus & honoris valde probabilis ſignatur. Nec ſane *Deuteronimii* 21, 17. affectus, ſed cauſæ & rationis iuridicæ validiſſimæ nomine adhibetur. Vnde & illa ipſa phraſis, qua Jacobus Patriarcha, primogenita ſi-
Geneſ. 49. 3. gnauit, ad Ruben peruentura, niſi facinoribus ſuis indignum ſe reddidiſſet (*Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea & principium doloris mei, prior in donis, maior in imperio*) veluti in prouerbiale & periphraſticum ſchema primogenituræ ceſſit *Pſalm.* 78. *v.* 51. & 105. *v.* 39. vbi ſane nihil video, quod cauillationi & extenuationi merito queat eſſe obnoxium. Quæ autem ratio apud *Grot. h.* §. affertur *de maiore primogeniti peritia*, huic negotio (nempe ſucceſſionis regiæ) propius conuenit, & ab omnibus recte ratiocinantibus agnoſcitur.
ταὐτ. 8. Quare apud *Xenophontem*, in ipſa Cyri oratione, hæc ratio non ſola ponitur, ſed illa altera fundatur & ſtabilitur, de honore, ætati maiori, omnium conſenſione debito. *Æquali ſe amore vtrumq; filium proſequi*, ait; *ſed priores in conſultando imperandoq; partes vbicunq; vſus ferat, mandare ſe ei qui prior ſit, atq; adeo, vt conſentaneum eſt credere, rerum peritior. Ita enim* (addit amplius) *mea eiuſdemq; veſtra patria inſtitutis edoctus ſum, maioribus natu, non fratribus* tan-

tantum ſed & ciuibus, viâ, loco, ſermone cedendum eſſe. Et vos equidem, ò filii, ita ab ineunte ætate inſtitui, vt & Seniores honoraretis, & à iunioribus honoraremini. Quoniam igitur videtis me & vetuſta, & moribus recepta, & legibus inſtituta præcipere, par vtiq; eſt dicto vos audientes eſſe. Honor inter æquales quoad cetera, debetur maiori ætati: eo iure, quod Deus inſeuit hominum mentibus, id eſt, naturali, & ab omnibus gentibus non barbaris agnito. Et, ſi interiora quæruntur, maior peritia, cui & ipſi naturaliter honor debetur, in ætate maiore præſumitur. Si dicas, hanc rationem inualidam & per ſe nullius roboris eſſe, cum dicitur, peritiori & prudentiori deberi ſucceſſionem; hoc ipſum enim, quod peritiori debeatur imperium, probandum eſſe: poſſim primo deprecari verborum argutias. non enim hic de iure agitur ſummo, & obligationem ſtrictam inducente: ſufficit, ſi ſumatur, quod ratio æquius melius, ceteris pariter ſe habentibus, oſtendat. Deinde, non eſt abſolutæ quæſtionis, cui debeatur imperium; ſed quod ordine ii, quibus debetur (e. g. propter ſucceſſionem Familiæ delatam) præponendi aut poſtponendi ſint, quotiens neceſſitas ordinis inter plures, communem aliquam rationem poſtulat: & quidem in præſumendo vniuerſe, non in deſignando ſingillatim. Sed quid roboris ſubſit, poſtea fors noſcetur. Age audiamus aliam rationem. Affertur enim, præſtructo conceſſoque, quod pater filios potius quam externos

velit ſuccedere, inter filios pro primogenito: *quod hoc nato, ſi nemo alius filiorum naſceretur, vnus erat, cui maxime collatum regnum optaret pater; & eo ipſo, quo natus ſolus eſt, hunc ſtatim videtur nominare heredem & deſtinare ſucceſſorem, ne, ſi aliquid humanitus accidat, ad extraneum deuoluatur imperandi poteſtas.* Videatur alicui, nihil aliud dici, quàm dictum eſt: fortius certe aliquid & maioris roboris, num afferatur, neſcio an nemo dubitaturus ſit. Voluntas patris, vel quatenus voti, vel quatenus plusquam voti eſt & quaſi expreſſa, inde deducitur, quod primum natus, ipſo ordine naſcendi vt cetera parentis vota, ita quæ ad regni ſucceſſionem ſpectant, prouocat auſpicaturque, & quodammodo in ſe trahit. Ante hunc enim nemo eſt, ad quem voluntas patris, in hac re, nunquam otioſa, ſe determinet applicetque, non tantum, ſi nemo alius filiorum naſceretur, ſed etiam, ſi alii naſcerentur. Manebat voluntas inconcuſſa, non vt de ſolo, ſed vt de primo, & primum concepta. Quod ita intelligi poteſt: Prima illa deſtinatio patris in primum nato & pro primum nato, ex natura rei deſtinatæ modum accipit, vt, vel naturalem exceptionem in ſe contineat, atque ita mobilis ſit; vel ſine exeptione ac immobilis ſit. In re diuidua, illud: in indiuidua, hoc locum habet. Prorſus enim in ceteris quoque bonis, prima deſtinatio patris in primogenitum hæc eſt, vt eo nato, ſtatim optet, ſi nemo alius naſceretur, hunc maxime in ſua

bona

bona ſuccedere, quaſi deſignatum ſua voluntate heredem ex aſſe. Sed huic ſiue voto ſiue deſtinationi ineſt naturalis exceptio, ſi nemo alius naſceretur. Quia enim de re diuidua agitur, non præſumitur voluntas & deſtinatio parentis terminari ad vnum, niſi cum conditione ſolitudinis, & ſalua caritate in alios, qui exiſterent, fratres. At cum de regno indiuiduo agitur, natura rei, de qua agitur, non ſineret primam illam deſtinationem pro primogenito factam, loco moueri aut exceptione ſubaudita infirmari. Potuit enim ſtatim abſolui illa deſtinatio, neque cum conditione facta intelligitur. Vt multa alias diuerſa notentur in ſucceſſione in bona & ſucceſſione in regnum, hactenus tamen ſatis quadrabit comparatio. Vtrum autem ratio, hactenus explanata, diuerſi generis robur habeat, ſi cum aliis eodem tendentibus contendatur, cogitabit, qui volet. Verum per ſingula rationum momenta ire, longum fuerit; & cohærebunt aliqua cum iis, quæ ad titulos iuris huic negotio præſcribi ſolitos, in ſequentibus pertinebunt.

In *titulis* ergo *iuris*, primogeniti ſucceſſioni accommodandis, modo ſingillatim, modo collectim agunt: *Iure diuino*, *naturæ*, *gentium*, *ſanguinis*, & *hereditatis*, primogeniti ſucceſſionem affirmari contendentes. Apud Veteres, in actione Perſei contra fratrem minorem *ætati* maiori, coniungitur *ius gentium*, *vetuſtus Macedoniæ mos*, *iudicium patris*: & ſubinde, *ordo* *ætatis*, *Liv. 40. cap. 11.*

ætatis, *naturæ*, *moris Macedonum*, *ius gentium* memoratur; collectisque, quæ diſperſa erant, *ius* & *voluntas patris*, ſummam faciunt. Ex Junioribus *Bodinus*, *Nec tamen ſatis eſt*, inquit, *ſucceſſione regnum dari, niſi proximo cuiq; tribuatur, id eſt primogenito maſculo: ſic enim ordo non tantum naturæ ac diuinæ legis, ſed etiam omnium vbiq; gentium poſtulat.* Equidem diſtingui iuris vocabula poſſe, vt quod illi tribuitur, huic non videatur conuenire, non vnus monuit eruditorum. Nihil tamen eſt vſitatius, quàm vt cumulentur in certis argumentis ἐξηγητικῶς illa nomina, olim & hodie. qui ſtilus explicationem deſiderat ſane, reprehenſionem autem haud æque meretur. Primo enim, quod vere eſt *iuris naturalis*, eſt etiã *iuris diuini*. Lex enim naturæ proprie dicta pars eſt iuris diuini. ergo hactenus, non ſine ratione, coniunxeris. de iure autem diuino, quod Grotius voluntarium vocat, mox erit aliquid dicendum. Circa *ius gentium* præcipuus labor eſt, nec vna ſemper loquendi conſuetudo. qua de re ſuo loco plenius. Nunc illud ſuffecerit annotaſſe; quicquid vel natura dictante, vel ratione naturali ſuadente, complures potioresue gentes, ita receperunt, vt vel ius ciuile plurium gentium, vel mos earundem, in rebus, quæ iure definiri ſolent, habeatur, id priſco nouoque ſtilo *ius gentium* abſolute nominari, citra ſignificationem ſtrictiorem, quæ alibi attendi poteſt & debet. Hoc ſcilicet ſenſu, ius gentium appellatur, quod multis gentibus æquum

de rep. lib. 6. c. 5.

quum in aliqua re viſum eſt auctoritatis potius ritu, quàm peculiaris & ab aliis obligationibus diſtinctæ obligationis. Quod ſi idem naturalis ratio præcepit, ius naturæ rectius diceretur; quatenus tamen vſus eius apud gentes cernitur illo ſpectandi modo, ius gentium quoque dicitur, & iuri naturæ coniungitur. ſicut eodem pacto poſſumus dicere, eſſe aliquid iuris naturæ & ciuilis; ſi rem à natura præceptam aut vetitam, lex ciuilis quoque præceperit aut vetuerit. Plus negotii eſt, in iis, quæ ratione naturali non præcipiente, ſed ſuadente, nec vno gradu modoque ſuggeſta, vt iuris naturæ, ſic quoque iuris gentium dici ſolent. Huius ſtili rationem oſtendere decet, cum morem ex mundo proſcribere nequeamus. Sic in negotio noſtro, qui primogenitum ante ceteros ad ſucceſſionē admoueri *iure naturæ* dicunt, præterquam quod explicare ſuam ſententiam poterunt, quo dictum eſt ante modo, non patientur etiam ſe repelli, ſi dicas, ius naturæ nihil de ſucceſſionibus conſtituere. Facile enim ambiguitatem verbi declinantes, meminerint: naturam ea tenere principia, eas parere concluſiones, quæ ut in aliis, ita in negotiis tanti momenti, pro definito rerum ſtatu (e. g. in regno, in indiuiduo regno, in delata Familiæ ſucceſſione) actus morales non patiantur ſine regula aut conſilio eſſe. cum præſertim videamus, tot populos in eandem rationem eodem auſpicio ductuque conſenſiſſe. Vnde etiam *gentium ius* appellatur:

non

non quod omnes gentes regno & regiis ſucceſſionibus huius generis debeant vti; ſed quod & illæ, quæ vtuntur, ita iudicauerint; & illæ, quæ non vtuntur, ſi tamen iudicii copiam de regno & regiis ſucceſſionibus facerent, non aliter iudicare potuerint, quotiens perturbatio abeſſet. Qua in re nos ſatis erudit hiſtoria. Iam, qui *diuini iuris* mentionem faciunt in primogenitorum ſucceſſione, non ſtatim & de plano damnandi videntur. Primo enim neſcio an reiici debeat illorum ſententia, qui credunt in iis, quæ ſcriptura tradidit de prærogatiua primogeniti, non ſubeſſe nullam iuris naturalis explicationem: quæ & de cetero rectius inde petitur, quàm ex vllis aliis monumentis. Quo nomine & ſenſu merito exaudiueris *Bodinum* iſta inclamantem: *Et quoniam Dei ſapientiſſimi in Rep. Iſraëlitarum conſtituenda exemplar plane diuinum habemus, non video, quam obrem meliora, aut diuinis legibus neglectis, inanium hominũ errores ſequi, quantũ quidem fieri poterit, debeamus*, addenda ſunt, quæ ſequuntur de honore primogenituræ. Non credo quenquam fore, qui nos id putet velle, quaſi omnia illa legibus diuinis ſtatuta, etiam iuris naturalis eſſent. Sed, quin ex illis diuinis conſtitutionibus, multa poſſint ac debeant ad interpretandum ius naturale referri, nemo negauerit. Sic *Euſebius*, ex ceremonialibus legis, naturale præceptum cultus diuini pure caſteque obeundi, egregie deducit declaratque. Quamquam cur iuris diuini voluntarii hinc exulare mentio

v. Selden, de ſucceſſionibus, c. 5. &c.

de rep. lib. 5. c. 2.

Præp. Eu. lib. 9.

tio debeat, vbi exempla quæruntur eius quod optimum æquiſſimumque eſt, non facile dixeris. Et primogeniti prærogatiuam vniuerſim ratione hereditatis & ſanctitudinis ſtabilitam, in ſucceſſione regni non neglectam, niſi quotiens extraordinarium intercederet ipſius Dei mandatum, Annales ſacri oſtendunt.

De *iure ſanguinis* & de *iure hereditatis*, videndum eſt *primo*, quid his vocibus intelligant, qui primogenituræ extollendæ intenti ſunt: *deinde*, an tueri locutionem vtramque fas ſit. *Io. Mariana*, in excerptis ex diſputatione Iureconſultorum de ſucceſſione regni, cum enotaſſet, *quod iure ſanguinis regnum obueniat, dicuntur autem*, inquit, *ſanguini dari, quæ more, inſtituto, lege, aut priuata cuiuſpiam voluntate vni cuipiam familiæ deſtinata capiuntur, nō iudicio & voluntate vltimi poſſeſſoris; vti alia quæ hereditario iure prouenientia, pro voluntate mutantur.* In alia Juriſconſultorum diſputatione in cauſa ſucceſſionis Luſitanicæ apud *Hieronymum Coneſtaggium* legas: *Hac in parte* (nempe ex iure Cæſareo, & in comparatione priuatæ in bona ſucceſſionis) *probabant, in regnorum hereditate in primis ſuccedi iure ſanguinis, vt vocant, id eſt, habito reſpectu primi inſtitutoris; & ſequendo hoc ius perſonas competitorum per ſe ſolas conſiderandas ſine omni repræſentatione, & ſine reſpectu patrum ſuorum: non ſecus quàm ſi omnes eſſent vltimi poſſeſſoris filii: & hac ratione Philippum intraturum in locum filii primogeniti Henrici. Dicebant etiam, quantumuis concederetur*

rer. Hiſpan. lib. 20. c. 3.

lib. 3. de Portug. & Caſtell. Coni.

retur, quod Ducisſa (Brangantiæ) *volebat, nimirum in regnis non ſuccedi ſanguinis iure, ſed tantum iure, quod vocant hereditarium, habito tantum reſpectu vltimi poſſeſſoris; tamen illam nullo modo ſeſe æquiparare poſſe Philippo.*

Sicut autem *ius ſanguinis* non eodem modo explicari ſolet & poteſt; ita ex iure ciuili, de ſucceſſione priuatorum agente, ipſumque ſuccedendi ius inter iura ſanguinis recenſente, deſumſiſſe diſtinctionem eos, qui *primogenitum in regno iure ſanguinis ſuccedere* dicunt, nullum eſt dubium. vnde & de mente eorum conſtare poteſt; nempe, primogeniti ſucceſſionem, non pendere à voluntate vltimi poſſeſſoris, ſed à cognatione naturali: cumque ius primogeniorum vulgo ſtatuatur triplex *Diuinum* (cuius quæ ratio aut comparatio huc pertinere queat, ante dictum eſt) *Naturale* (de quo *Grotius* hîc diſquirit) & *Poſitiuum:* phraſis iuris poſitiui, non aliena illa quidem à more ſcriptorum, etiam citra imitationem iuris ciuilis loquentium, aſſumitur, ad Naturale ius primogeniorum declarandum. & procedit hactenus ſimilitudo, ſicut ſucceſſio in bona, quæ iure cognationis defertur gradu cognatorum, iure ſanguinis & naturæ, nec cum nudo iure ciuili comparando deferri intelligitur; ita etiam ſucceſſio primogeniti in regnum, iure ſanguinis & cognationis naturalis, quæ ſecundum naturam eſt, æſtimanda venit. At enim obſtat *ſanguinis* æqualitas, ſi primogenitus cum fratribus comparetur, quæ non videtur

tur

tur ei aliquid relinquere præ ceteris eximii? Hic facile credideris, æqualem ſanguinis proximitatem nunquam eſſe aliter concipiendam, quàm cum exceptione prærogatiuæ, quam neceſſitas ordinis inducit; & capacitatis, quam munus regium poſtulat. Neque ſane nunc vlterius eundum, & ad alias ſucceſſiones: ſed in ſucceſſionibus regiis manendum eſt, & quidem in regno indiuiduo. Igitur nihil dicemus de neceſſitate ordinis inter æquales, ratione ætatis; quæ ſupra aliquo modo, neque ad promiſcuos, ſed certi tantum generis effectus, demonſtrabatur. Vna hic attendatur neceſſitas ordinis, vbi æquales propter naturam rei, de qua agitur, non poſſunt ad participandum in commune admitti; ſiue vbi iure ſanguinis non poſſunt æquales æqualiter gaudere; imo, vbi ex æqualibus vnus neceſſario eſt ſumendus, qui iure ſanguinis ipſo actu vtatur. Intra terminos enim ita definitos loquuntur, qui de primogenito iure ſanguinis ſuccedente, ſiue ius ſanguinis quantum ad præſens, in ſe trahente, ſermonem occipiunt. Quare *Betſius*, *Ius primogenituræ*, inquit, *naturale voco, quod primogenito, naturali quadam ratione competit; vt in regnis & magnis Principatibus indiuiduis, nec à ſuperiore aliquo dependentib⁹, in quibus vnus tantummodo ex natura ipſius regni ſeu Principatus ſuccedit*. Ita etiam capacitatis exceptio, in quantum regii muneris adminiſtratio neceſſario efflagitat, naturaliter ineſt negotio, vt fruſtra obiiciatur exem-

de pact. ill. Fam. c. 8. p. 319.

exemplum, mente capti, à regno excludendi. At, vbi ſucceſſio iure ſanguinis defertur, immutabilis eſt conditio? Jam ſæpius dictum eſt, non poſſe ſucceſſiones in bona communiter vſitatas & legibus ciuilibus perſcriptas, per omnia comparari ſucceſſionibus regiis in regna: ſed in quantum diuerſitas, quæ vtrobique animaduertitur, pati poteſt. Quod in omni comparatione, etiam extra omnem legum morumue reſpectum, perpetuæ regulæ inſtar eſſe, quis non videt? Abſurdum autem haud æque putauerim, ſi quis comparandi cauſa dicat: iure ſanguinis, beneficio generationis, immediate à patre imperium habet primogenitus. In ſtatu deſcripto ſcilicet, & præſuppoſito, quod regnum ſit Familiæ delatum, quod indiuiduum.

lib. 40. c. 9. & 11. & 12. Antequam de iure hereditatis dicamus, liceat conſiderare illum locum *Liuianum*, cuius ſupra mentio: vbi Demetrius Philippi Macedonis filius primogenituræ ſuæ iuri, quantum ad ſucceſſionem regni, accommodat, vocabula *iuris gentium, vetuſti Macedoniæ moris, & iudicii paterni.* & ſubinde, *ordinem ætatis, naturæ, moris Macedonum, iuris gentium* vocat. Idem dici in repetitione, quod primo dictum eſt, nemo abnuat. de ſolo *paterno iudicio* dubites, an & quale argumentum faciat. Non eſſe nouum & peculiare argumentum, inde opineris, quia in ſeria repetitione omittitur, vt videri poſſet, producta argumenti vis, à iure ipſo ad applicationem iuris ſiue decretam executionem,

nem, mentione iudicii paterni. Si tamen argumentum (neque enim negauerim) an ceteris validius, & an figura orationis creſcentis, accipi debeat, quæri poteſt, ſi & quando & vbi, iudicium regis poſſidentis ſpectatur, ante omnia argumenta iuris, & loco omnium argumentorum iuris. Atque hic ſane verum videatur illud: Si ſucceſſionis conſtituendæ plena poteſtas in arbitrium Principis deceſſoris collata eſt, fruſtra alia iuris vocabula aduocari. cum in voluntate vnius, cardo totius negotii verti cenſeatur. Sed quomodo fieri id poſſit, & quando factum ſit, non eſt perfunctoriæ diſquiſitionis. Intereſt enim plurimum, an ſucceſſionis ordinandæ poteſtas in Familia, aut libere etiam extra Familiam, vni delata ſit. Poſterius ſicut rarum eſt, ita hic non venit in diſquiſitionem. In priori genere, non præſumenda videtur voluntas ea deferentium, quaſi is, cui delata eſt poteſtas ſucceſſores conſtituendi, poſſit præterire omnem ordinem vel naturalem vel conſuetudine introductum, ſine cauſa neceſſaria. imo, niſi contrarium probatur, non eſt dubium, quin reſpectu ordinis, de quo dictum, obligetur. niſi velimus excipere cauſam grauiſſimam & vrgentem ex neceſſitate & ſumma ratione reipublicæ. Quatenus ergo hæc libertas ſic ordinata præſumitur, non facit primum & præcipuum argumentum, ſed omne ſuum robur accipit, à iuris naturæ & gentium ſupra explicatis titulis, quaſi tu di-

caſſ: Principem in ſucceſſore nominando id feciſſe, quod facere debuit, aut quod aliter facere, niſi ſumma neceſſitate vrgente, per ius & æquum non debuit. In exemplo Macedonico non aliud ius forte agnoſcamus oportet. Quod enim, in tali ſtatu, aliquando Principibus ſupra quàm ex præſumta voluntate populi, aut formulâ primæuæ conſtitutionis regni, licere poterat, agentibus, nemo contradicit, extra noſtram quæſtionem eſt. Perſeum ergo ita acceperim agentem: ſibi ſucceſſionem deberi iure primogeniti naturali, apud gentes agnito, vſitatoque; neque ab huius iuris reſpectu patrem hactenus diuertiſſe oculos, aut iudicium aliud, quàm hic naturalis ordo poſtulat, feciſſe. Cauſæ enim, quod probe notandum, ſeruit Perſeus, cum *iudicium patris* ita allegat, tanquam actu aliquo declaratorio iam ipſi eſſet ſucceſſio conſtituta: quod ex hiſtoria probari nequit. quare Demetrius, auctoritatem iuris primogenituræ nequaquam defugiens, de iudicio tamen patris, promulgato ſcilicet dubitat, in illis: *tuo etiam, vt ait, iudicio.* Certe nullam eiuſmodi promulgationem iudicii paterni, & quaſi publicam deſignationem interceſſiſſe, *Hiſtoricus* oſtendit in hunc modum: *Hunc quoq;* (Didam) *Perſeus, ſicut pleroſq; patris amicorum, ex quo haud dubiũ cuiquam eſſe cœperat, ad quem, ita inclinato regis animo, hereditas regni pertineret, inter coniuratos in fratris perniciem habuit.*

Liv. 40, 21.

de inclinato patris animo ſentiunt, non de ſigni-

gnificato publica aliqua promulgatione. Poterat autem, ex rebus quæ acciderant, & regis animum diuerſe trahere poterant, dubitari: ſed cum rex quo inclinaret animus, præberet aliqua indicia, dubitatio exemta eſt. Verum, fac, publice regem ſignificaſſe: ſicut in eiusmodi regnis reges in expeditionem ituri, ſucceſſorem nominant, etiam vbi de ordine ſeruando nulla eſt dubitatio. non ſequitur inde, potius momentum in tali deſignatione, quàm in iure quod deſignans ſequitur. Sed hæc ἐν παρόδῳ.

Supereſt vt de *iure hereditatis*, quando primogeniti ſucceſſioni accommodatur, aliquid adiiciamus. Et quando quidem *iure hereditatis* ſuccedi dicitur, vt intelligatur ſucceſſio teſtamentaria, oppoſita ſucceſſioni quæ fit iure ſanguinis & ab inteſtato, extra noſtram diſputationem eſt illa quæſtio & ſignificatio. Agitur enim hic de ſucceſſionibus ab inteſtato, cumque has etiam vel lex ipſa ordinet, vel naturalis ratio, ex præſumta voluntate decedentium, regat: de iure legitimo hic non aliter agitur, niſi quatenus coniectura voluntatis, vbi interpretatione opus eſt, quæritur; aut, quàm legiſlator cuſtodiuerit regulas ſucceſſionum naturales, expenditur. Quatenus autem vocabulum *hereditatis* etiam in ſucceſſionibus ab inteſtato, vbi hereditas ſecundum naturam, ratione potiſſimum ſanguinis, etiam iure legitimo, deferri ad ſucceſſorem dicitur, locum habere ſolet: nihil obſtare videtur,

cum de ſucceſſione primogeniti, etiam ex præſumta voluntate, agitur, quin *ius hereditatis*, ibi quidem legitimæ, hic per ſimilitudinem ex naturali ratione ordinatæ, nominetur. Quod enim hereditates & ſucceſſiones à ſola lege ciuili & conſtitui & regi dicuntur, illud ſicut de hereditatibus & ſucceſsionib[9] ſuo quodam habitu informatis veriſsimum eſt, ita non extinguit ea, quæ in hoc genere ipſa naturalis ratio vel præcepit, vel commendauit; tum vbi lex deficit, tum vbi huc pertingit. quod in ſucceſſionibus regnorum apparet. Vnde Jureconſulti apud *Coneſtaggium: quia regna eſſent antiqui iuris gentium, illorum ſucceſſiones non debere exigi ad amuſſim iuris ciuilis, - - & licet Reges abſoluti ius ciuile in ſua regna ad commodiorem iuſtitiæ inter ſubditos adminiſtrationem introduxiſſent; tamen illos non propterea mutaſſe ſimplices regulas naturales ſucceſſionis regiæ: quas dicebant in hoc caſu ſequendas, perinde ac ſi eueniſſet ante, quàm naſceretur Iuſtinianus: & parum ad rem facere, quod nonnulli Doctores ſucceſſiones regnorum ciuilibus inſtitutis temere ſubiicere tentaſſent.* Quo conſilio hæc adducantur, in aperto eſt. nam de *repræſentatione* ipſa, aduerſus quam tendunt, an natura quoq; ei faueat, partim iam *ſupra ad* §. 6. aliquid dictum eſt, partim *ad* §. 30. dicendum erit. Licet porro ſummæ poteſtatis natura, propter diuinam illam ἐξοχὴν, qua pollet, omni commercio ſuperior videatur, propagationis certe alicuius capax eſt, quæ inter homines & ab hominibus fieri poteſt;

de Portugal. & Caſtell. coniunct.

quan-

quandoquidem Deus humani iudicii miniſterio, non reuelato iuſſu, aut immediata voluntatis ſuæ promulgatione imperia defert ac in ſucceſſores continuat. Ius ergo regendæ ciuitatis, quando vel transfertur teſtamento (qui tamen modus, vt præfati ſumus, non eſt huius loci) vel propagatur eo modo & ordine quo heredes ab inteſtato ſuccedunt, vel ex lege, vel ex voto & voluntate præſumta decedentium: cur vocabulum & comparatio hereditatis ex communi ſtilo proſcribi debeat, (etiam eo ſenſu, quo non mera & nuda propagatio ſucceſsioue vndecunque exoriens, ſed deſignatio à voluntate decedentium proficiſcens ſpectatur) non ſatis apparet. Vt in exemplo primogeniti maneamus, ab hereditatis appellatione ne ibi quidem abſtineri, conſilii eſt. In Gallia, *diſcriminis ratio inter maximum natu minoresq́; Regis filios manifeſta eſt, quia certiſſimum eſt primogenito regnum à patris obitu, niſi morte occupetur:* inquit *Io. Tilius.* ſucceſſorium tamen malunt, quam hereditarium regnum appellare; quatenus ſcilicet, ſtricto illo ſignificatu, hereditatis voce diſpoſitio regis aut ius hereditarium legi oppoſitum, intelligitur, ſicut *Limnæus* allatis teſtimoniis oſtendit. quanquam alio ſignificatu, non abſtinuerint heredum & hereditarii iuris, vocabulis, tum *Vincentius Lupanus*, tum *Scipio du Pleix*. *Lupanus* quidem, Delphini nomen explicans, *Ante*, inquit, *Regum maximi natu filii, vel quibus regnum hereditario iure obueniebat, ſuis nominibus*

de reb. Gall. lib. 2. p. 97.

Notit. Frãc. lib. 2. c. 2.

lib. 1. de magiſtr. Franc. *bus vocabantur.* & mox; *Delphinos dici, ſicut olim Romæ Cæſares, auguſtæ maieſtatis heredes.* *ap. Linn. l. d.* *Scipio* autem, vbi oſtendit, *Regem in Gallia fieri per continuationem immediatam iuris & poſſeſſionis ab vno ad alterum, non interueniente vllo interregni puncto*, comparatione heredum vtitur; *haud ſecus*, inquiens, *ac lex Romana agnouit continuationem iuris & poſſeſſionis in heredibus ſuis, l. in ſuis. D. de lib. & poſth.* Quod ſane etiam in aliis regnis ſucceſſoriis, vbi Familiæ delata eſt ſucceſsio, locum habere intelligitur.

XIX. Satis iam intelligi poſſunt, quæ h. §. de hæreditate in ſucceſsione regnorum, quæ ex populi conſenſu hæreditaria dicuntur, Grotius affert; & exemplis illuſtrat, primo in *feudis quibusdam*, vbi peculiaris hæreditas, & à cetera hæreditate, diſtincta ſpectatur. Et adferuntur caſus ac præiudicia Cameræ, quibus agnatis adiudicata fuerunt feuda hæreditaria mixta, vel pro ſe & hæredibus accepta, tametſi hæredes vltimo defuncto non extiterint. Quinimo doctiſsimus *Betſius* ferre nullo modo potest, quod nonnulli *feuda cum ipſa hæreditate confundunt, & rem hæreditariã ex iis conſtituere conantur*: exiſtimatque, *in feudis nullam ordinationem defuncti valere, vel manere, ſed filios omnes in iis æqualiter ſuccedere, neque hic inter feuda pactionata & hæreditaria vllam differentiam faciendam, cum quoad qualitatem hæreditariam plane non differant, nec vſquam in iure feudali inueniatur, feudum aliquod hæreditariũ ideo dici, quod filius id obtinere non poſſit, niſi etiam* *de pact. fam. ill. c. 9.*

iam ſit hæres. Sed quæſtio quidem prolixe ibi tractata, magnis ab vtraque parte rationibus & auctoritatibus inualeſcit, & extra noſtri propoſiti limites verſatur.

In *Emphyteuſi*, exemplum ponit, Feudis *παράλληλον*. Vt in aliis, ita in diſtinctione, Emphyteuſeos *hereditariæ*, *ſimpliciter* vel *mixte*, offert ſe iſte *παραλληλισμός*. Poteſtque e. g. filius fructus percipere, non tanquam hæres patris, ſed tanquam dominus rei emphyteuticæ. Et (annotante *Gailio*) *quod ad emphyteuſin attinet, quando pater eam pro ſe & filiis recepit, tunc filius, repudiata hereditate poteſt retinere emphyteuſin, quia ſuccedit vigore pacti vt fili⁹, non vt hæres.* &c. Videas etiam, quæ de *coloniis emphyteuticis indiuiduis*, & *paragio* annotat *Gryphiander in Oeconomicis Legalibus.* *obſeru. lib. 2. obſ. 18. §. 18.*

Jus *patronatus* defertur liberis & agnatis patroni, nec pertinet ad extraneos patroni heredes. conſtatque; *ius patronatus, quod vni tantum ex heredibus relinqui poteſt, non ad nepotem ſed ad patruum deferri, quoniam ius patronatus hereditario iure non defertur:* inquit *Arniſæus.* Quomodo autem Jus Patronatus Eccleſiaſticum ad quoscunque heredes etiam extraneos tranſeat, aut per appoſitum fundationi, patroni pactum arctioribus limitibus concludi queat, videſis apud *Magerum.* *lib. 1. c. 34. §. 63. & 64.* *relect. polit. lib. 2. c. 2. ſect. 10. §. 34. Mager. de Aduocat. c. 9. §. 480. &c.*

Ius præcipui quoque huc comparat Grotius, Jureconſultorum voce. *Sidonius Apollinaris lib. 6. ep. 12. Illud autem deberi tibi, quodam, vt Iuriſconſulti dicunt, præcipui titulo &c.* Vbi, *Io. Saua-*

Sauaro annotat: *Præcipuum, Donatus, Æneid.* 5. *interpretatur: quod præter communionem ſingulis proprio nomine deputatur, vt fit ſæpe in teſtamentis, cum aliqua per præceptionem, ſingulorum hæredum cenſuerit eſſe teſtator. Inde dictum quod ante communionem capitur. Feſtus excipuũ quod excipitur, vt præcipuum quod ante capitur. Sueton. in Galba c.* 5. *cum præcipuum inter legatarios habuiſſet. præcipuum autem donabatur per præceptionem. Præceptionis vetus formula ea erat: præcipito, ſumito tibiq́; habeto. quod per notas ſuccingebatur: P. S. T. Q. H. Notæ Magnonis & Petri Diaconi.* Hæc *Sauaro:* quæ & ante eum *Barnabas Briſſonius lib.* 14. *de V. S.* conſignarat.

Non autem vltra, quàm Grotius voluit & monuit, comparationem in his inſtitui debere, ſuperuacuum fuerit, annotare.

XX. & XXI. *Bona propria, beneficialibus* & *comparatis*, apud ſcriptores medii æui opponi; & beneficialia quidem, ab aliquot retro ſeculis, *Feoda* ſiue *Feuda* (vee-goet, recentius Lehengut) propria autem, in Germanicis legibus *Alode* (*hæreditatis* & *patrimonii* vocibus ἐκ παραλλήλου ſonantibus) poſtea *Alodium* & *Alodialia* dici notum, & pluribus viris eruditis demonſtratum eſt, in quibus poſt *Bignonium*, *Gottifredus Wendelinus in Gloſſario Salico*, omnino videndus eſt. Hæc locutio ad regna etiam transfertur, vt alia *allodialia*, alia *feudalia* dicantur; & ad ſimilitudinem ſucceſsionis in bona, ratio ſuccedendi in regnum, vbi præſumendo res geritur, explicetur.

ad form. Marc. lib. I. *c.* 2. *&* 12.

Caſus

Caſus, ſi regnum primitus non fuerit feudale, poſtea tamen hominium (ſeu ſacramentum fidelitatis, de quo *Bignonius ad Marculfum*) pro eo præſtandum acceſſerit, an ſucceſſio mutati vel inſtituti regni conditionem ſequatur; diſtinctione expediri poteſt. In tali enim mutatione fieri poteſt, ut feudalis ſtatus regno per omnia ſuam formam det, neque ſucceſsionem, qualis ante fuerat, præſumi patiatur. Vbi ergo huc nulla propior coniectura vocat, locum habebit, quod *Grotius* dicit. *lib. 1. c. 18. p. 479.*

In regnis à principio feudalibus, hiſtoria diligenter inſpicienda eſt: an feudalis conſuetudo, etiam ad ſucceſſionem pertinuerit; ſiue, an coniectura alio ducat: an lex ſucceſſionis feudalis, primum ſpectata, poſtea quoque obtinuerit. Varie enim iſta temporibus commutari, & coniecturam diuerſe trahere poſſunt.

XXII. & XXIII. Poſtquam de *ſucceſſione*, quæ *hæreditaria* dici ſolet, egit; nunc ad *linealem* progreditur, & *cognaticam* quidem h. §. *agnaticam*, *ſequente* deſignat: & huic illam ſubſtitui, bono regnorum, aliquando non inconſultum eſſe, monet. Quo pertinet etiam illa ratio ſuccedendi in infinitum: non in ordine agnatorum modo, vt iura quoque ciuilia in priuatis ſucceſſionibus ſtatuunt; ſed & in ordine cognatorum, vbi ſucceſſio ad gradum ſextum, & in certis perſonis, ſeptimum, iure ciuili reſtringitur. Sed in exemplis ſubiiciendis, pleraque huc ſpectantia rectius intelligentur.

XXIV. Modis ſucceſſionum maxime vſitatis deſignatis, alios quoque, ex arbitrio populorum aut Principum introduci potuiſſe, & introductos eſſe, h. §. & in *Annotatis* oſtendit. Vnde in tali ſtatu, cum prioribus exemplis comparato, locum habuerit, quod apud *Marianam* in diſputatione de iure ſucceſſionis regiæ dicitur: *Quod ſi priuatis Prouinciæ legibus aut more ſecus eſt ſancitum, illis ſtandum putamus, noſtra diſputatio ex ipſis naturæ principiis procedebat, & iure communi.*

Hiſt. lib. 20. c. 3.

XXV. Repetenda huc ſunt, quæ ſupra, de hereditate, & alienandi facultate in regnis, diximus. comparatio hæc eſt, nec vltra extendi debet. Qua de re non inerudite quædam Clariſſimus Vir *Ioh. Frid. Hornius* monuit. Accurate loquendo, in iis quoque regnis, quæ alienabiliter habentur, hæreditas Principis à regno diſtingui poteſt & debet. Quando igitur conſtat, omne arbitrium conſtituendæ ſucceſsionis vni Principi delatum eſſe (in qua re, præſumendi cautiones non ſunt negligendæ) poterit filiorum aliquis à Patre excludi ſucceſsione regni. ſed an eodem actu, quo excluditur ab hereditate extra regnum? Putem, vix euenire poſſe caſum talis dubitationis: quin Pater expreſſerit, velletne ſuam excluſionem ad hæreditatem tantum extra regnum, an ad regnum quoque pertinere. Quod ſi, porro, exheredem dixerit filium in bonis à regno diſtinctis, an regni quoque exheres habendus erit? Ne dixeris. nam qui bona alia à re-

de Ciuit.

à regno diſtinxit, exheredationem quoque non eodem pertinere, oſtendit. Diſtingui autem poſſe, nec incaute accipiendum, quod hic dicitur, *à bonis aliis talia regna nihil differre*, modo diximus. ſufficit enim, ſi ita capias; talia regna ita ſubiecta eſſe arbitrio regnantis, vt ſunt bona patrimonialia. ſaluâ in alios vſus differentiâ. Atque ita etiam reſtringerem illa verba: *qua legibus aut moribus obtinent de exheredatione, hic quoq;* (vbi de exheredando, ne in regnum ſuccedat, agitur) *habebunt locum.* Scilicet, ſi conſtiterit aliunde, exheredantem, non excludere tantum à bonis reliquis, ſed etiam à regno, exheredatum voluiſſe. Id autem non conſtat ex ſola excluſione in bonis, vt dictum eſt. Multo minus *pro tacite exheredato habuerim, qui graue crimen commiſerit in patrem, ſi nulla condonata culpa indicia.* niſi omnia ſtudioſe ac ſubtiliter diſtinguantur. Primo enim, qui pater grauiter offenſus à filio, nec ſtatim morte interceptus, non pronuntiauit ſuum judicium de filio exherede futuro, cum in ſua manu haberet, non præſumendus eſt, exheredare voluiſſe. &, ſi de imperfecta voluntate præſumas, parum valide concludes. Deinde, indicia culpæ non condonatæ, non ſtatim ad exheredationem ducunt. qui enim non prodidit ſuum iudicium, non definite hoc voluiſſe dicendus eſt. potuiſſet aliam caſtigationem velle, & pro peccato magno minus exheredatione ſupplicium optare. cuius voluntatis interpretatio-

nem

nem quomodo ſibi ſumere poſsit populus, qui non reſeruauit arbitrium aliquod examinandæ iudicandæq; ſucceſsionis, non valde in expedito eſt. Jam crimen in patrem comiſſum, vel ſolum patrem ſpectat, vel rempublicam ſimul: vel in vitam patris vel in honorem & alia tendit. Hinc fieri poteſt, ut magis minusue abhorreat à tali ſucceſſore populus; iudicium autem ſibi vindicare, in regno ita deſcripto, vt omnia ab vnius arbitrio in iudicando & exequendo pendeant, iterum populus nequit. Si pater nil definiuit, ordo & via ad definitionem parum ſe explicat. Quod in *Annotatis* dicitur, *regnum Dauidi fuiſſe patrimoniale Dei dono*, bonum habere ſenſum poteſt: modo non ita capiatur, ſicut alibi patrimonialia regna deſcribuntur, quæ poſsint etiam ad externos teſtamento, donatione, aliis alienandi modis, deferri. Dauidi enim & familiæ, intra limites deſcriptos delatum eſt. Deinde: ne quis patrimoniale regnum hîc exaudiat de infinita & abſoluta ſine exceptione regnandi poteſtate, repetenda erunt, quæ ſupra *lib.1.c.3.* §.20. de Hebræorum regno *Grotius* annotauit.

In regnis *hereditariis non alienabilibus*, tentari poſſet illa quæſtio: an conſenſus populi, ſucceſsionis negotium ita præſumendus ſit deſtinaſſe, vt nulla tacita exceptione, regnantium iudicio; in mutando ex magna cauſa ordine, aut præteritionem alicuius demonſtrando, aliquid relictum voluerit? ſed iam ante, quæ diſcerni hiç debeant, tetigimus. In *Annota-*

notatis ad illa verba, *ſed hereditatem ab inteſtato*; voluit *Grotius* nominare *lib. Mariana XIX. cap.* 20.

XXVI. De *abdicando regno* ita agendum eſt, vt *vel* abdicatio ipſa ſiue depoſitio ſpectetur absque translatione in alium, ſiue absque ſucceſſoris conſtitutione; *vel*, cum translatione in ſucceſſorem. Prior modus, in regnis, quæ ſucceſſoria vocantur, rarius accidit: vt ſcilicet aliquis abdicet regnum, jure conſtituendi ſucceſſoris in populi liberam voluntatem conſequenter & eadem opera translato. Vix enim accidit caſus, quo non legis prouiſio, aut ius alterius, libertatem nouæ electionis tollat aut moderetur. Ergo potiſſimum de abdicatione quæritur, quæ ſucceſſionem lege aut more deſcriptam complectitur, actu aut potentiâ. Et facultas quidem, vt abdicandi, ita conſtituendi ſucceſſoris, libera, nulliſque legibus aut moribus reſtricta, præſumi in rege non facile debet: &, ſi probetur, extra quæſtionem noſtram eſt. Quid circa leges & mores, adeoque circa & in ius aliorum poſſit abdicatio & abdicantis voluntas, ſiue de effectu abdicationis ad ſucceſſionem, potius quæritur. Vbi abdicatio quidem regni, cum reſpectu ordinis ſuccedendi recepti, ſiue, quatenus illi ordini nullum adfert intertrimentum, facile videtur concedi cuiuis regnanti: niſi quod iniuriâ in rempublicam non careret factum, ſi rex, ſolo quietis amore, ætate & viribus minime defectus, abdicatione ſua regnum

gnum transferret in filium minorennem, præſertim bellis incumbentibus. quod ſi tamen populi conſenſum impetrauerit, eique in republica & ætate ſucceſſoris aduerſus periculum muniendà, aliquas conſilii partes reliquerit, demtum intelligetur, quod ſubeſt iniuriæ. Liberis autem cognatisque & agnatis, vbi Regnum Familiæ delatum eſt, vel deſcendentium tantum ſerie, vel per latera etiam & lineas agnationis & cognationis, abdicatio nocere non debet aut poteſt, quia ius ſuccedendi his partum, non à voluntate regnantis ſed à lege & more, atque adeo à præſumta voluntate populi pendet. Videndum ergo, quomodo capiamus, quod *Grotius* hic dicit: *In Hereditariis regnis, qui ius à ſe abdicat, in liberos nihil poteſt transferre.* Hereditatis comparationem non eſſe πάνυ ἁρμόδιον, & priuatis ac à iure ciuili deſcriptis hereditatibus παράλληλον, non ſemel jam diximus. Et de *hereditariis non alienabilibus, §. præced. Grotius* monuerat: *populum viam quidem elegiſſe hereditariam, ſed hereditariam ab inteſtato.* Vnde *pater abdicans*, non præſumendus eſt pro ſe & liberis natis, ſed pro ſe tantum abdicaſſe. Quod ſi tamen abhibuerit talia verba, vt pro ſe & liberis abdicare, iurique Familiæ ſuæ parto renuntiare intelligatur, quæritur, quid actum ſit, ſi vel liberi pro ſuo iure reclament, vel populus ius liberorum ſuſtineat, aut aperte, aut tacite, nulla indicia mutatæ voluntatis, quantum ad ius ſucceſſionis familiæ partum, promendo. Nihil

egerit

egerit Pater, quoad ius liberorum. Quin populi voluntas, ſi ad voluntatem Patris, etiam pro liberis abdicare volentis, accedat, plurimum poſſit, nullum eſt dubium: ſed non ſtatim efficiet, ut Patris voluntas deſinat eſſe iniqua. Ipſe quoque populus, niſi mutatæ voluntatis rationibus nitatur probabilibus, iniuriæ opinione non vacabit. Verum hoc inter ea fuerit, quæ vix euenire poſſunt: niſi propter offenſiones, Rex & Regia familia, in eum ſtatum venerit, vt regnans velit, populus optet aut certe non nolit, talem abdicationem fieri, de qua hactenus agimus. Interim, ſi hereditaria regna ita acceperis, ut cum alienabilibus permutentur, omneque ſucceſſionis arbitrium in voluntate vnius repoſitum intelligatur, verum erit, quod *Grotius* ait: liberis quoque facto patris intercipi ſucceſſionem. Vbi vero res geritur ex præſumta, aut ſignificata voluntate populi; tum, vbi ius natis aut naſcituris indubium eſt, aliter iudicandum videbitur. Qua de re §. *ſequ.* etiam aliquid monebitur.

XXVII. Quando enim *iudicium de ſucceſſione* requiritur, ſubtiliter diſtinguenda ſunt, quæ ſeorſum conſiderari merentur. Ponam hic, quæ examinari ab eruditis & volo & peto. I. In negotio ſucceſſionis conſtituendæ hîc ſeponendus ille eſt caſus, quo vni ſimpliciter eius rei ius collatum intelligitur. nam ille, cur iudicem agnoſceret vllum, nihil habet obligationis. II. De cetero, natura negotij,

rem

tem ad terminos pactionis & conuentionis reducit; ſi originem ſpectemus. non enim aliter animo concipi poteſt, quàm vt populus, ſi non abſolute poteſtatem ſucceſſionis ordinandæ vel tranſtulit, vel dimiſit, reſeruauerit ſibi aliquod de ſucceſſione iudicium, vel aperte, ſi conuentionis tabulæ extant; vel interprete conſuetudine temporis idonei titulo adiutâ. Atque hic non pietatis modo ſuaſu, ſed iure neceſſitatis, populus audiendus erit, quod n. V. amplius monetur. III. Hoc iudicium ne iurisdictionis putetur (quod præclare *Grotius* monet) ita ordinis perpetui, qui rempublicam continet, intereſt; ſicut inter partes paciſcentes, ne pars, quæ ſe læſam dicit, ſibi ipſa ius dicat, caueri debet. quamdiu vllius iudicii copia ſperari aut obtineri poteſt. IV. Vbi autem iudicii copia inexplicabilibus impedimentis interuertitur, naturalis æquitas vocat ad id, quod vero iudicio proximum eſt. huius generis ſunt; collata in vnum & quaſi noua pactione compoſitâ partium paciſcentium ſententia; quæſiti arbitri; electi ſponte iudices, elicita prudentium virorum reſponſa, vel ſub cõditione acceptandi, vel ſub ſpe conuentionis inſtruendæ maturandæque. V. Quod ſi ſucceſſio à voluntate populi ſuſpenſa eſt, populus erit ſuæ voluntatis interpres; ſiue auctoritas populi valebit: vel vt verbis concepta & poſtmodũ explicata eſt, vel vt præſumi bonis coniecturæ regulis poteſt. Et hæc, etiãſi iudicii nomine ſtrictius accepto nõ contineatur, iudicii tamen plenum

num effectum ſupplet. VI. Et quoniam, vt ſupra dictum eſt, ſi res, ut in orbe ſunt, non vt diſputationibus ſcriptorum figurantur, ſpectemus, ſucceſſionis negotium. ſæpius apud populos tradito more & conſuetudine, quàm perſcriptis formulis regitur; conſiderari etiam fas eſt, an vſus tulerit, regnantis arbitrium in ſucceſſione ordinanda, an populi, potius haberi, an vtrumque æquali loco reputari conſueuerit. VII. Atque ita, ſi regnantis arbitrio populi voluntas acceſſerit, ſucceſſor, vt conuentione reipublicæ ad modum ſummæ poteſtatis habendæ pertinente, omnino obligabitur. VIII. Credimus enim, in regno vero, & à Principatus indole diſtincto talibus conuentionibus locum eſſe poſſe. Etiamſi populum dicas omnem iurisdictionem transtuliſſe in regem, pactionem tamen de modo habendi regni, ſi de ea conſtat, naturalis ratio non ſinit illa translatione extingui. IX. Igitur ad ſubmouendam iurisdictionem non adeo opus videtur, ad *ſtatum naturalem* confugere *quo nulla erat iurisdictio.* Hæc enim obſcurius dicuntur: & ſenſum non poſſunt habere, niſi fictitium: quando enim fuit ille ſtatus naturalis, quo nulla erat iurisdictio? an in fictitia illa omnium rerum cõmunione, ſine lege & ordine? an in ſtatu, qui fingeretur, ante conſociationem ciuilem ſiue inſtitutam rempublicã? ſed quæ tum ſucceſſio cogitari poteſt, cum non poſſunt cogitari, quib⁹ ſuccederetur & qui ſuccederent? Ordinis enim ciuilis eſt vocabulum,

ſucceſſio, quod extra eum quæri nequit. X. Quæſtio de primæua voluntate populi, quomodo populo qui nunc eſt, deferri intelligatur, quoue effectu, explanatius requirendum videtur. Poſſet populo qui nunc eſt deferri iudicium, vel ut interpretaretur voluntatem primæuam populi, qui fuit; vel vt ſuppleret. Vt ſi Partes contendentes de regni ſucceſſione, dicerent: Stabimus eo, quod de hac re primæuâ voluntate populi inſtitutum eſt. Sed quia dubitatio incidit de primæua illa voluntate; populum qui nunc eſt, conſulimus vt interpretem eius voluntatis. Nam ſi dicerent aperte; quia dubia eſt primæua voluntas populi qui fuit, ſequemur ſententiam & voluntatem populi, qui nunc eſt; res confecta eſſet. quem tamen caſum Grotius non ſpectat; ſed priorem. Jam ſi populo qui nunc eſt, ut interpreti, delata eſt quæſtio; fieri id potuerit vel cum obligatione ſequendi interpretationem, vel ſine tali obligatione. Illo modo, populus vt interpres arbiter; hoc modo vt interpres conſultor, conſiderari videtur. Quæ ſi apertis & diſertis verborum formulis diſcernuntur, nihil ſupereſt controuerſiæ. Sed ſi quæſtio defertur populo, non expreſſa conditione effectum interpretationis ſpectante; quærendum reſtat, quæ tacite inſit conditio. Quo Grotius quoque videtur hanc diſputationem deducere, cum *ſequendum* tali loco *populi ſenſum* exiſtimat. ideo enim delata cenſetur hæc quæſtio populo; niſi ex verbis deferentium, diuer-

diuerſum conſtet. Quæ vna exceptio eſt. additur altera: *niſi ſatis certo conſtet, olim aliam fuiſſe populi voluntatem, & ex ea ius quæſitum.* Hîc caute incedendum eſt. videatur enim hoc non euenire poſſe, in terminis propoſitæ diſputationis. ſi certo conſtat de primæua voluntate populi, quis locus quæſtioni, quæ cauſa audiendi ſenſum populi? aut quis, poſt populum qui nunc eſt, iudex de eo ipſo, quod certo conſtet de populi voluntate, qui olim fuit? non partes litigantes: ſi enim in hoc conſentirent, non incidiſſet illa quæſtio. non alterutra partium: quæ præiudicare alteri non poteſt. Quod ſi fingamus caſum, quo de primæua quidem voluntate populi certo conſtet (ſcilicet ex ſana interpretatione, eiusque regulis, ſicut eodem modo communiter omnibus ſe offerunt) ſed id non videant omnes partes litigantes, aut etiam populus, ſtudio aliquo abductus abreptuſue; ſupererit tamen quæſtio de iudice aut arbitrio, ſiue de ferenda ſententia. Id enim h. §. tot. quæſitum eſt.

§. XXVIII. & XXIX. Quæ hoc loco diſputari ſolent, collegit ſatis vberi conſignatione *Arniſæus in Relectione Politica.* *lib. 1. c. 2. ſect. 11.*

Quod fine §. 28. dicitur, de controuerſia *Ottonis I. & Henrici fratris*, præter *Sigebertum*, & *Henricum Bodonem*, *Meibomio* laudatum ad Witikindi III. *p. 71.* referunt etiam *Liuthprandus*, & *Dietmarus*, qui, Matrem fauiſſe Henrico contra Ottonem, non aſtipulantibus tamen optimatibus, addit. *Liuthpr. lib. 4. c. 8. Dietm. lib. 1.*

Ad controuerſiam Ludouici §. 29. cum Galeatio fratre de Ducatu Mediolanenſi, adde Gerardum de Roo: *Neq; enim*, inquit, *affirmare dubitabat; ſe fratre Galeatio iure præferri debuiſſe, quod etſi natu minor, tamen ex patre iam Duce, non priuato, vt illum, eſſe natum: qua in re Cyri regis exemplum pro ſe adducebat. Quin de fratre eiusq; filio iaciebant, neutrum in Ducum numero habendum eſſe, quod deuolutam ad Rom. Imp. ditionem ſine auctoritate Cæſ. Maj. vſurpaſſent. quam quod Io. Galeatius iam confirmari ſibi petat, id ſerum eſſe*, &c.

Hiſt. Auſtr. lib. 10. p. 389.

Quia autem Grotio placuit hanc totam diſputationem ſuſpendere à præſumtâ voluntate populi, ratio manifeſta eſt pro filiis ante regnum acceptum genitis. Quotiens enim populus regnum Familiæ detulit ſiue Principi & deſcendentibus eius, quibuscunque vocabulis hoc ſignificantibus, aut indiciis hanc mentem declarantibus; filii etiam iam geniti, ſiue familiæ, ſiue deſcendentium nomine ac ſignificatione veniunt: ex indubia rectæ interpretationis regula, niſi diſertis verbis fuerint excepti. Vbi nulla talis exceptio, immota ſtat regulæ auctoritas. Vt enim nominentur filii naſcituri deinde, prætèrito eo qui natus eſt; eorum eſt, quæ accidere non poſſe dixeris. imo, ſi diceretur; regnum deferri Principi eiusque familiæ & dehinc naſcituris; non excluſi intelligerentur, qui iam nati ſunt. Familiæ enim, aut æquipollentis deſignationis nomine, iam natis proſpectum eſſet;

à qui-

à quibus ad nondum natos produci orationem, appareret.

§. XXX. Quæſtionem *de Nepote & patruo*, Grotius ita tractat, vt *primum* diſpiciatur, quid in *ſucceſſione non hereditaria*; *deinde*, quid *in hereditaria*, æquitati conſentaneum ſit. In ſucceſſione *non hereditaria*, lineali ſcilicet agnatica & cognatica, transmiſſione mortuorum in viuos, faciles res habet explicatus. Succeſſio *hereditaria* conſideratur primo, vt in *diuiduis* regnis; deinde vt in *indiuiduis*.

In regnis *diuiduis*, nepotem & patruum concurrere ad partes, ait, præſumendo pro iure repræſentationis; niſi moribus gentis conſtet, ſubitionem in locum ſiue repræſentationem non obſeruari: quod in Germania olim eueniſſe conſtet, donec & ibi introducta ſit, vt ſupra in *Annotatis ad* 2, 7, 11. oſtendit. Addatur laudatis, *Legis Wiſigothorum libr.* 4. *tit.* 5. *l.* 4. Videas autem in conflictu & diſputationibus litigantium, modo vituperari repræſentationem, vt figmentum iuris ciuilis; modo laudari, vt non iure ciuili mero, ſed æquitate naturali nixam. quod & hic & ſupra (2,7,6.) Grotius firmat. Neq; dubitauerim, ſententiam hãc, quod natura faueat repræſentationi, præhabere. vnde & in ſucceſſione priuatorum ius repræſentationis in linea directa moribus & legibus paſſim inualuit: in linea autem collaterali dubitatum eſt. Quanquam, & hic Jus Pandectarum nouâ conſtitutione Juſtinianus Imp. ſuppleuit, eodem fauore æquitatis ductus; *Nou.* 118.

προνόμιον quidem ſeu priuilegium & prærogatiuam appellans, non ut iuri communi contrarium ius ſingulare, ſed vt ſupplementum iuris veteris; quo eadem prærogatiua fauoris, nec abſimili ratione, in collateralem lineam conferretur, quæ in directa iam ante obtinebat. ſicut §. *ſeq.* amplius declarat Grotius. Videa-
p. 680. &c. tur *Annæus Robertus rer. iudicat. lib. 3. c. 15.* Acceſſerunt nouiſſimæ conſtitutiones Imperiales. De quibus, & exceptione Juris Saxonici, quid moneat *Nicolaus Betſius*, inſpicias licet.
de pact. illuſt. fam. n. 2.
Sæpius autem iam dictum eſt, ſucceſſionem hereditariam regnorum, non eſſe penitus ad modulum ſucceſſionum priuatarum exigendam, cum ne à Principatibus quidem minoribus, ad regna, argumentum duci, æquo animo nonnulli patiantur. Vnde illud a-
lib. 20. c. 3. pud *Marianam: At in minoribus Principatibus heredes reuocantur ad ſtirpem. Negant id quidam. deinde ſi concedatur, non continuò verum eſt, in regni id ſucceſſione ſeruari debere: vbi multa propria ſunt, ab aliis omnibus hereditatib9 diſcreta.* Hæc ſcilicet merito admittuntur, tum aliis nominibus, tum quatenus leges de ſucceſſionibus ciuiles, & mores plurium gentium, non poſſunt pro lege obtrudi iis, qui ſuperiorem non habent. Quatenus autem hereditaria ſuccedendi ratio, ductu naturalis æquitatis ſuſtentatur, merito in regnis quoque id dixeris oportere aſſumi, quo nihil æquius melius natura inuenit. Niſi quod hic nonnulli opponunt exceptionem *vtilitatis publicæ:* cuius

ius momentis in dubio, inclinari poſſit definitio in alterutram partem. Ita *Mariana* loco, quem indicauimus; *tametſi*, inquit, *iure ſucceſſionis controuerſo eam ſequi partem, rempublicam poſſe, non negamus, modo voluntate certoq; iudicio, quæ rebus & tempori erit maxime accommodata. vnde varia in vtramq; partem illuſtria exempla manarunt.* Quo reſpexiſſe videtur *Grotius* in ſequentibus.

In regnis enim hereditariis *indiuiduis*, nepotem & filium ſecundo genitum, pro paribus haberi, & ætatis tantum prærogatiua diſcerni, ait. Quod ita exaudiendum eſt, vt nec more aliquo perpetuo, nec naturali ratione perpetua niti, ſed lege alicuius populi induci aut ſententia definiri, prout reipublicæ vtilitas monebat, potuiſſe intelligamus. nempe, vbi quædam eligendi facultas, aut de ſucceſſione iudicium, populo ſupereſt. Nam in lineali agnatica & cognatica ſucceſſione, vbi nulla populo electio reliqua, *nepotis cauſam vltro vincere*, mox addendum fuit *in fine* §. Et in quantum hic populi eſſe poſſit aut debeat, iudicium, non ſegniter diſpiciendum eſt. In cauſa ſucceſſionis Luſitanicæ, cum regnicolæ dicerent, *extinctam eſſe lineam regum maſculinam, & hoc caſu ius electionis ad ipſos pertinere*, Iuriſconſulti Luſitani replicabant: *illos non plus priuilegii habere in eligendo rege, quam reliquos populos in Hiſpaniarum regnis, quæ per ſucceſſionem deferuntur, donec aliquis legitime natus ex ſtirpe regia ſupereſt: imo Luſitanos minus hac in parte iuris* ba-

habere, quàm reliquos, quod regnum Luſitaniæ partim ex donatione regum Caſtellæ, partim ex ditionib⁹ virtute regum Luſitaniæ acquiſitis conflatum eſſet: cumq; ſubditi regnum primis regib⁹ non contuliſſent, nullum poſſe caſum exiſtere, quo facultatem regis nominandi vel eligendi arrogare iure poſſent. Addantur & ſequentia de electione Regis Joannis, apud *Hieron. Coneſtaggium.* Et in controuerſa ſucceſſione, aliquando dubitatur, ſatiusne ſit, ſolo Principis adhuc ſuperſtitis iudicio, quàm populi requiſitâ ſententiâ, rem definiri. In eadem ſucceſſione Luſitanica, reprehenderunt nonnulli Henricum Regem Luſitaniæ, quod conuentu ordinum regni indicto cauſam eam ventilandam exiſtimaſſet: *debuiſſe eum intra ſe, & de ſententia nonnullorum & fidorum Doctorum rem decidere, & pro ratione perſonæ, ad quam pertinere hereditatem intellexiſſet, conuentiones & transactiones ita inſtituere, vt regni libertati, quam maxime conſuleretur, excluſis ex parte ſatisfieret, & multis membris in vnum corpus compactis, belli ciuilis periculum auerteretur.* Quod *conſilium*, omnium maxime *cum prudentia & pietate coniunctum* exiſtimat *Coneſtaggius.* non quod per modum iudicii, rex potuiſſet rem definire: nam inter competitores Rex Hiſpaniæ miſerat legatos, *vt extra iudicium rege Henrico ius manifeſtum & cauſæ Philippi bonitatem oſtenderent, hac tamē lege, ne quid facerent, ex quo in Regis Henrici iuriſdictionem conſenſiſſe viderentur:* ſed quia auctoritate & conſilio, ceteros, excluſos ſcilicet, ad pactio-

de Portug. 19. & Caſt. coni. libr. 3. p. 1105. &c.

In idem p. 1103.

In idem p. 1106.

pactiones & conſenſum adducturus ſperabatur rex Henricus. Quæ referri debent, ad diſputationem ſupra §. XXVII. propoſitam. Nunc autem, vt ad quæſtionem de Nepote & patruo eius, redeamus, videndum eſt, quid Patri, quid populo liceat. Si pater viuus hunc illumve ſucceſſorem deſtinat, faciet hoc vel ex *lege & conſuetudine regni*, vel ex *arbitrio*. *Legem & conſuetudinem regni* ſi ſequitur, nihil vltra ius ordinarium facit, ſed illud enuntiat, ac ſe ſequi teſtatur. excedere autem non poterit, niſi *vel* demonſtratum certumque ſit, eum habere abſolutum ſucceſſionis ordinandæ arbitrium, citra vllius iuris morisque reſpectum; *vel* ſi ſumma reipublicæ ratio, quæ pro neceſſitate eſt, ipſi porrigere videatur cauſam diſcedendi à lege & conſuetudine; quales actiones non ſemper populi aut procerum iudicio ſubiacere fas eſt; ſi euidentiâ rei commendentur ac defendantur: *vel* ſi negotio in euentum collato, ſuum iudicium interponit præter legem & morem regni, tum demum valiturum, ſi nemo contraiuerit aut contraire auſus fuerit: *vel* deniq; ſi ſuam voluntatem à lege & more regni *deuiam*, proponens, optimatum ſiue ordinum auctoritate confirmari curat. *Primus* caſus, nihil habet dubitationis, ſi de tali iure conſtet, non ſuſpicionibus ſed argumentis rerum; non autem euenire putandus eſt, in regnis, quæ Familiæ delata ſunt vltro, adeoque optimo iure & more, vnde nunquam ordo abeſſe præſumitur. Ratio eſt manifeſta, ſi enim Familiæ delatum eſſet regnum, nullo aut tumultua-

rio ordine propagandum, non ſatis conſultum fuiſſet reipublicæ. qualis voluntas populi non præſumitur. Quando igitur voluntatem populi, ſuæ reipublicæ tranquillitati & ſecuritati quàm optimè proſpicere volentis, quærimus, putandus eſt ſemper voluiſſe in negotio ſucceſſionis, id quod huic fini conſequendo accommodatiſſimum eſt, aut plerisque eſſe videtur. atque ita pro nepote contra patruum coniectura ſtabit; quia naturalis æquitas maxime huc ducit, ſicut pleroſque circa hanc quæſtionem occupatos ſenſiſſe, etiam *Arniſæus* monſtrat: & *Bodinus* (*VI. de Rep. 5.*) cum potiora pro patruo argumenta conſideraſſet, *me tamen*, inquit, *ab hac ſententia mos maiorum inueteratus, & res ſæpius iudicata reuocarunt:* & rarius euenire, quæ metuuntur ab altera parte, exemplo regni Francorum per 1200. annos, declarat. Sed & *Grotius*, è duabus potiſſimam difficultatem, de *proximitate*, præclare diſſoluit, ex regulis bonæ interpretationis. quod pro Nepote etiam hic valere debet. Altera de *ætate* ratio, temporis eſt & euentus peculiaris. hic autem, quid in ſummam regno proſit, ſpectatur: & non eſſe tanta illa pericula, quanta figurantur, vt præuerti nequeant, niſi ab ordine, qui maxime naturalis eſt, diſcedatur; vel Germanicarum in Principatibus ſucceſſionum exempla oſtendunt: quatenus vel tutela patruorum, in vſu eſt; vel *ſucceſſio in Electoratibus ex iure primogenituræ*, ſancitur lege pragmatica Carolina, adeoque quæſtio, an nepos excludat patruum, definitur.

Relect. polit. lib. 2. c. 2. ſect. 10.

Aur. Bull. cap. VII.

cuius

cuius pragmaticæ ſummam, vi argumentorum perſignatam, exhibet *Lampadius*; prolixa *part. 3. c. 4.* autem demonſtratione ſenſum explanat *Arnoldus Engelbrechtus*, non abs re præfatus, in *in Nucl. 1.* huius conſtitutionis de ſucceſſionibus auctori- *P. Diſſ. 18.* tate & firmitudine, quietem & pacem Germaniæ verti. In *ſecundo* caſu, alia quæſtio expedienda eſt; an & quatenus neceſſitas ſiue ſumma reipublicæ vtilitas Principi ſuppeditet facultatem à lege & more regni diſcedendi. Sicuti autem hoc loco illud manifeſtum eſt, neceſſitatem extraordinario quodam rerum habitu, & ſingularibus ſtatus præſentis momentis, non per communia quædam & generalia, & in vtramque partem diſputari ſolita, deſcribi debere: ita populi non conſulti, ſecuta factum approbatio, ſiue tacita, ſiue aperta, regulæ & iuri nepotis de cetero & in ſummam, non præiudicat, aut melius eſſe quod factum eſt, eo quod ex lege ac more fieri debebat, planum facit; niſi forte ad tempus præſens. quod nec ipſum tamen certo colligi poteſt; quoniam populus approbare potuit regis ſui factum, præter legem & morem, non quod æquius melius id iudicaret, ſed quod in dubium vocare vel cauſam vel factum diſputando aut contendendo, certas ob cauſas parum conſultum duceret. Ita enim in *tertio* caſu poteſt & ſolet accidere. Atque tum facti eſt negotium, non iuris. In *quarto* caſu etiam, auctoritas potius Principis, quàm poteſtas cernitur: dum à lege & more regni, ipſo quidem Principe referente, ſed totius Reipu-

blicæ

blicæ ſententiâ diſceditur. Populo autem, quid in hoc genere liceat, itidem non eſt negligenter diſpiciendum. Si ponatur caſus, vbi omne arbitrium conſtituendæ ſucceſſionis penes Principem fuerit, citra reſpectum alicuius legis & moris; atque ille princeps deceſſerit, nullo ſui iudicii aut voluntatis edito indicio, inter fratrem & nepotem, videatur res rediiſſe ad populi iudicium. Verum, ſi populus meminit, Principes priores, etiam in infinita illa & libera ſucceſſoris conſtituendi poteſtate, nepotem fratri præhabuiſſe; aut in caſu, non declarati iudicii, neminem repugnaſſe, quo minus nepos ante fratrem defuncti regnum capeſſeret; viſa fuerit pedum via: neque deſerendum credideris tramitem, quo propius ad tranquillitatem publicam contendi quitum eſt. Si hoc quoque exemplorum lumine populus deſtituatur, poterit quidem tempori ſeruire, ſed vt rationem, quæ in hoc genere prima eſt, deſerere non videatur debere; niſi rerum circumſtantia expoſtulauerit. Atque ita cauſſa Nepotis rurſum fauorabilis erit. Si lex ſucceſſionis perſcripta eſt, non eueniet facile, vt populi iudicio locus ſit: niſi ſponte litigantium. Idem dixeris, vbi conſuetudo legis vim & auctoritatem obtinuit. Si tali ferendo iudicio (ſemper hic de nepote & eius patruo loquimur) populus ex temporis & reipublicæ neceſſitudine ſibi velit ius arceſſere, nunquam obliuiſcendum erit, primo; non eſſe eundem fauorem actionum, quas neceſſitatibus reipublicæ Princeps ali-

aliquis ſumma poteſtate prædītus accommodat; & quas populus, ſuperſtite ſtirpe, cui regnum debetur, ſibi trahit: Deinde, ſi vllo caſu, certe hoc, ad conſilia & arbitria aliorum confugiendum eſſe. ſi quidem citra primarium reipublicæ periculum fieri poterit.

Quæ §. XXXI. & ſeqq. ad finem proponuntur, ex ſuperioribus maxime pendent, neque nunc verboſiorem explicationem deſiderant.

INDEX

Scriptorum, qui laudantur, à Bibliopola adiectus.

A.

Abarbenel pag. 493.
Acta Lindauienſia 530. 558. *ſq.*
Ærodius 455.
Alciatus 415.
Alteſerra 532.
Amiratus 419.
Andronicus Rhodius 590. 604.
Ariſtænetus 504.
Ariſtophanes 598.
Ariſtoteles 376. 468. 491. 512. 590. 602. 604.
Arniſæus 472. 474. 495. 528. 530. 582. 591. 630. 661. 673. 680.
Arrianus 381.
Aſpaſius 590. 603.
Athenæus 531.
Auguſtinus 421. 505.
Aurelianus 533.

B.

Baldus 607.
Bartolus 431. 607.
Baudius 383.
Bembus 394.
Beſoldus 530. 531. 562. 599.
Betſius (*Nicol.*) 653. 660. 676.
Bignonius (*Hier.*) 341. 539. 662. *ſq.*
Bocerus 344.
Bochartus 373.
Bodinus 456. 470. 490. 508. 510. 531. 532. 547. *ſq.* 571. 575. 576. 648. 650. 680.
Boterus 546.
Briſſonius 662.
Brovverus (*Chriſtoph.*) 557. 562.
Burchardus 528.
Busbequius 523.
Buxtorfius 493. 504. *ſq.*

C.

Cæſar 404.
Caietanus 496.
Camdenus 393. 405. 425.
Camerarius (*Ioach.*) 589.
Campanella 455.
Cardanus 488.
Carpzouius 339.343.348.363.397. 554. 583.
Caſſiodorus 486.
Chifletius (*Io. Iac.*) 509.556.
Chytræus. 478. 479.
Cicero 381. 400. 403. 442.447. 448. 455. 461. 488.521.535.597. 602. 604. 608.
Clapmarius 488.
Coneſtaggius (*Hier.*) 651. 658.678.
Conſulatus Maris 392. 443.
Conringius 438.475.476.481.546. 548. 549. 556.
Contzenius (*Ad.*) 576.
Cromerus 478.
Cuiacius 452. 530. 544. 597.
Curtius 489. 576. 630.
Cypræus 497.

D.

Auanzatus (*Bernard.*) 533.
Decius (*Io. Lud.*) 478.
Demoſthenes 339. 353. 357. 358. 597.
Dicaſtillo 339. 340. 341. 342. 343. 344. 350.374.397.402.453.596.
Dietmarus 628. 673.
Dio Caſſius 521. 629. 635.
Dio Chryſoſtomus 519. 524.
Duck (*Arthurus*) 575.
Durandus 496.

E.

Ichelius 486. 499.
Engelbrechtus 681.

Euripides 496.
Euſebius 650.
Euſtathius 593.

F.

Aber (*Petr.*) 576.
Feldenus 426. 439. 454. 486. 491. 492. 498. 540. 548. 577. 579. 608.
Flaccus Siculus 428.
Freinshemius 509.
Froſſardus 367.

G.

Aguinus 477.
Gailius 530. 661.
Gaſſendus 375.
Gellius 489.
Gentilis (*Alber.*) 368. *ſq.* 422.431. 439. 456. 476. 544. 545. 575.
Gentilis (*Scipio.*) 607.
Gerhardus (Io.) 497. 576.
Gloſſarium Vetus 529.
Goldaſtus 415. 530. 547. 555.
Gothofredus (*Iacob.*) 354. 361.385. 509. 529. 575. *ſq.*
Gramondus (*Barthol.*) 488. 502.
Graswinckelius 384. 577.
Grotii Batauia antiq. 481. *hiſtor.* 452. 481. *Epiſt.* 482.
Gryphiander 430. 431. 432. 433. 506. 530. 531. 548. 661.

H.

Aræus (*Franc.*) 548. 555.
Heinſius (*Dan.*) 512.
Herodianus 414.
Herodotus 492.
Heuterus (*Pontus*) 548. 555.
Hierocles 584.
Hernius (*Ioh. Frid.*) 664.
Hotomannus 550.

Huſa-

Huſanus 530.
Hygenus 428.

I.

I*Renæus* 577.
Iſæus 588. 597.
Iſocrates 439. 442.

K.

K*Lockius* (*Caſp.*) 553.
Knipſchild 556.

L.

LActantius 374. 376.
Laet (*Io. de*) 391. 492.
Lampadius 555. 563. 681.
LL. Antiq. Germ. Cod. 340. 343. 352. 354. 355. 362. 366. 367. 415. 452. 487. 500. 532, 534. 591. 595. 599.
Lehmannus 530.
Leſſius 397. 401. 402. 427. 429. 433. 438. 445. 472. 474. 486. 502. 539. 578 596.
Libanius 344. 520. 589.
Limnæus 391. 547. 555. 556. 564. 659.
Lindenbrogius 531.
Lipſius 533.
Liuius 498. 506. 647. 654. 656.
Liuthprandus 673.
Loccenius 385. 614.
Lugo (*Cardinalis de*) 379. 399. 434. 441. 445. 453. 454. 463. 474. 511. 571.
Lupanus (*Vincent.*) 659.
Lyſias 586.

M.

MAcrobius 361.
Magerus 435. 661.
Magnus (*Io.*) 432. 613.
Mariana (*Io.*) 432. 651. 664. 667. 676. *ſq.*
Meibomius 673.
Mennenius (*Franc.*) 480.
Menochius 441.
Meurerus 431.
Miraus (*Aubert.*) 531. 558.
Molina (*Ludov.*) 420. 424. 427. 429. 433. 434. 449. 453. 464. 468. 472. 511. 536. 537. 539. 568. 571. 583. 586. *ſq.* 591. 596. 607.
Moriſotus (*Claud. Barth*) 385. 424.
Mutius (*Huldr.*) 628.

O.

O*etingerus* 431.
Oppianus 582.
Ouidius 503. 510.

P.

P*Acta Galliæ* 553.
Paguinus 493.
Pauſanias 531.
Perezius 539.
Petitus (*Sam.*) 353.
Philemon 529.
Philo 484. 502. 521. 522. 585. 643.
Philoſtratus 582.
Plato. 597. 604.
Plinius 581.
Plutarchus 455. 630.
Polybius 414.
Pontanus (*Io. Iſ.*) 384. 385. 463. 549. 555. 614. 640.
Poſſeuinus (*Anton.*) 364. 445.
Priluſius 479. 553.
Puffendorffius (*Sam.*) 375.

Q.

QUinctilianus 440. 529. 585. 608.

R.

R*Receſs Imperii* 359. 361. 362. 480
Reinkingius 547.

Richelii (Card. Miniſt.) 365.
Riuius (Thom.) 385. 430.
Rittershuſius 583.
Robertus (Annæus) 576.596.676.
Rorarius (Hier.) 503.
Roo (Gerardus de) 674.
Roy (Hugo de) 371. 436. *ſq.*

S.

SAcræ literæ *paſſim.*
Sanchez (Thom.) 497. 499.502.
Sauaro 662.
Scholiaſtes Homeri vet. 593.
Scholiaſtes Ariſtophanis 598.
Scholiaſtes Sophoclis. 584.
Scholiaſtes Rhetor. Ariſtot. 485.
Schottus (Andr.) 585.
Schutzius 473. 476.
Seldenus 340. 344. 363. 370. 383. 393. 398. 416. 430. 433. 442. 451. 497. 503. 504. *ſq.* 511. 527. 530. 538. 585. 650.
Seneca (Marc.) 344. 354. 362. 489. 490. 504. 508. 585. 589. 592. 597.
Seneca (Philoſ.) 414. 506. 521.
Seruius 376. 487. 593.
Sidonius Apollinaris 661.
Sleidanus 478. 479. *ſq.*
Sophocles 583. 598.
Spartianus 635. *ſq.*
Speidelius 530. 571.
Stephanius 613.
Strabo 531.
Strada 346.
Strauchius (Io.) 371. 382. 385.
Stumpfius 530.
Stypmannus 385.
Suetonius 419. 528. 533.
Suidas 531. 598.
Syluius (Æneas) 495. 509.

T.

T*Abor* 476.
Tacitus 345. 475. 488. 490. 528. 533. 569. 637.
Terentius 499. 511. 521.
Tertullianus 357. 577.
Theodoretus 496. 502. 505. 585.
Tholoſanus (Greg.) 400. 441. 511. 530. 564. 581. 588.
Thuanus 358. 365. 366. 391. 393. 440. 498. 508. 563.
Tilius (Io.) 659.
Tremellius 493.
Trogus 358. 621.

V.

V*Aſquius (Fern.)* 339. 344. 345. 347. 438. 441. 468. 472. 509. 526. 528. 545. 549. 550. 561. 565. *& ſeqq.* 592.
Velleius 636.
Victor (Zachar.) 476. 547.
Virgilius 487.
Vlpianus Rhetor. 353.
Vrſpergenſis 629.

W.

W*Ehnerus* 530. 531.
Wendelinus (Gottifr.) 539. 662.
Werdenhagen 391.

X.

Xenophon 644.

JO. HENR.

D. O. M. B. I.

DISSERTATIO I.

DE

Eo quod Civitas egit,

ad H. Grotii de I. B. lib. II. c. 9.

De eo, quod Civitas egit, quæſitum omni tempore eſſe, *Philoſophus* teſtatur; neque deducta in hunc diem ignorare nos experientia ſinit. *Acta Civitatis* non minus licebit dicere, quàm *acta Principis*, *acta Sylla*, *Caſaris*, aliorum; qui poteſtate ſibi debitâ, aut ſumtâ, auctores actoresque fuerunt rerum, de quibus hoc loquendi genus exaudiendum eſt. Nam, quod *Actorum* vocabulo commentarios indicare ſolent, ubi *acta Senatus*, *acta populi*, *acta diurna*, *acta judiciorum* ſignantur, noſtram ad rem nihil nunc attinet. *Lipſ. Excurſ. ad ſ. A. Tac.*

Intricavit haud parum nobiliſſimam diſputationem, late diffuſus error, quo plerique, quicquid *Ariſtoteles* in civili doctrina attingit, non ultra, quàm ipſe diſſerit, ſibi requirendum exiſtimant: quaſi vel abſolutæ eſſent, atque pertractatæ omnes ejusmodi diſquiſitiones; vel non amplius, quàm exempla forte aſſumta ſignificant, tota argumenti ratio pateret. Quod ſummo equidem illi viro, qui ſpecimen civilis doctrinæ non corpus, & id ipſum non explanata, ſed obtecta ratione voluit exhibere, in mentem nunquam veniſſe, arbitrari fas eſt.

3. *Polit. c.* 1. & 2. *al. ed.* 1. 2. 3.

Bis proponit hanc dubitationem *Philoſophus*: νῦν γὰρ ἀμφισβητοῦσιν, οἱ μὲν φάσκοντες τὴν πόλιν πεπραχέναι τὴν πρᾶξιν, οἱ δ' οὐ τὴν πόλιν, ἀλλὰ τὴν ὀλιγαρχίαν, ἢ τὸν τύραννον. *Nunc enim de hac re diſputant: aliis quidem, civitatem hoc egiſſe; aliis, non civitatem, ſed paucos aut tyrannum egiſſe dicentibus.* Et poſtea, ἀποροῦσι γάρ τινες, πότε ἡ πόλις ἔπραξε, καὶ πότε οὐχ ἡ πόλις. οἷον ὅταν ἐξ ὀλιγαρχίας ἢ τυραννίδος γένηται δημοκρατία. τότε γὰρ οὔτε τὰ συμβόλαια ἔνιοι βούλονται διαλύειν, ὡς οὐ τῆς πόλεως, ἀλλὰ τοῦ τυράννου λαβόντος, οὔτ' ἄλλα πολλὰ τῶν τοιούτων, ὡς ἐνίας τῶν πολιτειῶν τῷ κρατεῖν οὔσας, ἀλλὰ οὐ διὰ τὸ κοινῇ συμφέρον. Qui locus non ſimplicem habet difficultatem: neque ſincerus videtur, quod jam nonnemini notatum video. Mireris tamen, quàm ſecure, & interpretes & commentariorum ſcriptores, inoffenſo ſcil. pede transcurrant. Certe non hærent poſtrema prioribus. Omiſſum ergo aliquid fuerit, aut legendum, ſi eruditis placeat, mutato numero: ὡς ἐνίας τῶν πολιτειῶν τῷ κρατεῖν οὔσης, ἀλλὰ οὐ διὰ τὸ κοινῇ συμφέρον. Uno oſtendit exemplo cum multa ſint, & ſubtiliter exequenda, ut poſtea apparebit, quando huic quæſtioni locus ſit: ubi nimirum populare imperium paucorum dominationi, aut unius tyrannidi ſucceſſit. Quæri enim tum, ân pacta conventa ab uno illo aut paucis inita, etiam mutato ſtatu, teneant civitatem ſive populum? Atq; hic quidem rationem dubitandi adducit. Poſtea autem, in alium locum differt rem totam: Εἰ δὲ δίκαιον διαλύειν, ὅταν εἰς ἑτέραν μεταβάλλῃ πολιτείαν ἡ πόλις, λόγος ἕτερος.

Ita

Ita enim acceperim hunc locum; ut in alia hujus generis diſputatione paulo ante: *εἰς ἄλλον καιρὸν χρήσιμος ἡ σκέψις.* Quando nimirum de ejusmodi mutationibus; & quæ inde conſequantur, agendum erit. Aliter *Grotius*: contra quem non levia ſunt, quæ afferri poſſunt. *de I. B. 2. 9. 8.*

Sicut nec illos audire hic poſſumus; qui ad ſolas res creditas exemplum Ariſtotelis trahunt, & auctoritate *Ulpiani* utuntur, in quantum civitas mutui datione obligari poſſit. Res enim clamat ipſa, per omne argumenti civilis genus; hanc diſputationem non modo poſſe; ſed ſolere produci. Neque fruſtra adjecerat Philoſophus: *οὔτ' ἄλλα πολλὰ τῶν τοιούτων.* Ut taceam, Civitatis appellationem accuratius hic ab Ariſtotele accipi, de ſocietate perfectâ, & ſui juris, rebus ad bene vivendum neceſſariis inſtructâ, ordineque imperandi & parendi diſtincta. *Non enim verum eſt, quod multi ſcribunt, civitatem eſſe materiæ inſtar, cui reſpublica ſit pro anima. Civitas enim ſignificat totum quid: ſicut animal ſignificat integram ſubſtantiam animatam.* Libenter utor verbis doctiſſimi *Conringii*: quorum veritas, tum ex infinitis Ariſtotelis locis, tum ex hac ipſa diſputatione, quæ primam libri tertii partem conſtituit, demonſtrari poteſt. Eodem pleno ſignificandi genere, *Reſpublica* veteribus dicitur. Nos utroutro hic utemur, nihil in partes diſſectum; aut aliunde ſuſpenſum; ſed perfectam, libertatisq; & imperii compotem ſocietatem civium intelligemus. Interim præclare eſt ab *Ariſtotele*

Cl. Felden. in Analyſ. Pol Ariſt.

l. 27. ff. de reb. cred.

Introduct. in Polit. Ariſtot. c. 4. p. 597.

notatum; pendere hanc, de actis à civitate, quæſtionem, ab altera illa; *quando civitas eadem, aut alia, dicenda?* Ἔοικε δ' οἰκεῖος ὁ λόγος εἶναι τῆς ἀπορίας ταύτης, πῶς ποτε χρὴ λέγειν τὴν πόλιν εἶναι τὴν αὐτὴν, ἢ μὴ τὴν αὐτὴν, ἀλλ' ἑτέραν. Verum, quemadmodum iſta ſe invicem juvent illuſtrentque, in ipſa ſuſcepti argumenti deſignatione cognoſcetur: ad quam, præmiſſis, quæ videbantur viam patefactura, contendendum eſt.

Quoniam ergo, uti dictum eſt, Civitatem nunquam hic de multitudine, quæ nihil aliud, quàm multitudo eſt, ſine ordine & ſpiritu illo, unde perfectio ſocietatis hujus unice repetenda intelligitur, accipimus; ſatis apparet, id demum Civitatem egiſſe, quod à conſtituto ſemel ſtatu, tanquam à cauſſa, proficiſcitur: ſicut in ſingulari imperio, is qui jure regio eſt, in Ariſtocratia, optimates; in populari imperio, populus; in mixto ſtatu, pro ratione & portione ſummæ poteſtatis participandæ, qui conſortes ſunt imperii, civitatis jure & vi agere dicuntur. Etiam tum, cum per legatos & curatores, tanquam publici hujus juris miniſtros, in quantum ejus rei idonea eſt ſignificatio facta, res geritur.

Valente igitur, ut inſtitutus eſt, ſtatu, vix locus eſſe videatur huic dubitationi, an Civitas egerit: nec eſſet forte, ſi æqualius ſe res humanæ & conſtantius haberent; aut doctrina civilis decretis potius ſapientiæ, quàm opinione hominum ac libidine, ſemper vigeret.

Ve-

Verum, quàm non ſint levis momenti, quæ hic quoque diſputantur, poſtea cognoſcetur. Conſpectiora interim ſunt, quæ mutato ſtatu dubitantur. Quare & *Ariſtoteles*, tantâ neceſſitudine, noſtræ quæſtioni, illam alteram devinxit; *quando ſit eadem civitas dicenda, aut alia?* Obſequimur hactenus Philoſopho, ut mutationes, quæ civitatibus eveniunt, paulo ſubtilius perſequamur, & ad ſingulas partes, exempla ſuſceptæ diſputationis ſubjiciamus.

Mutationes autem accidunt, *alia* quidem civitate manente eadem: *aliis* efficitur, ut civitas non ſit eadem: rurſum *aliis*, ut non ſit civitas, ſive ut deſinat eſſe civitas. In *primo genere* mutationum, occurrit dubitatio Ariſtotelica; *an mutata reipublicæ formâ, eadem ſit dicenda civitas?* ſi regnum migrâſſet in Ariſtocratiam; hæc in popularem ſtatum, & ſic per omnes, quæ fieri poſſunt ad hunc modum, mutationes. Reſponſionem *Ariſtotelis, quod mutata Reip. forma, non eadem ſed alia ſit dicenda civitas*, ſecure arripiunt adornantq; Interpretes: obliti, ut arbitror, formas, de quibus Philoſophus loquitur, *accidentales* eſſe; civitatem autem, ut eadem ſit, non debere Monarchiæ, Ariſtocratiæ, & ſic deinceps; ſed eſſentiali formæ, i. e. ordini imperandi & parendi, ſive imperio, ſive Majeſtati (eodem enim hæc recidunt) nondum ita conſideratæ, ut in uno aut pluribus exiſtit. Quod diſcrimen neglectum, omnem hunc locum tricis implevit. Contra Ariſtotelem *Hugo Grotius* recte quidem pro-

3. polit. 2.

l. B. 2. 9. 8.

pronunciavit, *eandem eſſe civitatem Romanam ſub regibus, Conſulibus, Imperatoribus*; neq; referre ad hanc quæſtionem, *quomodo gubernetur civitas, regio ne, an plurium, an multitudinis imperio:* Sed diſtinctio, quæ ſubjicitur, vel idem dicit, quod paulo ante diximus; atq; tum omnino clarius debuiſſet proponi: vel difficultatem difficultate ſanare inſtituit; ſicut in ſequentibus, *de diverſa Jureconſulti & Politici conſideratione*, fieri, non immerito conqueritur *Cl. Feldenus.* Locus fuit huic deliberationi, cum expulſis Roma Regibus, forma civitatis mutata eſſet. Ibi enim quidam populi pacem & fœdera cum Romanis, adhuc ſub regno agentibus, facta, non ſervari oportere cenſebant iisdem in libertate conſtitutis. Quæ res cum in Sabinis etiam agitaretur, repertus eſt Claudius prudentiæ & fidei laude præſtantiſſimus vir, qui tam importuna cenſentes coarguit, idemq; fœdus ac cum iisdem factum vim ſuam merito
lib. 5. obtinere oſtendit, ut auctor eſt *Dionyſius Halicarnaſſeus.*

Ariſtotelis exemplum hoc eſt: *Si civitas ex tyrannide, aut oligarchia, in libertatem & populare imperium perveniret, an tum* συμβόλαια *pacta conventa, ſed & alia tyranni; aut paucorum dominantium acta, ſervare oporteat civitatem liberam?* qui negabant, his rationibus utebantur: primo, *quæ tyrannus, aut pauci illi egerunt, non egit civitas, quæ tantum ex facto ſuo obligatur.* Quod ſi quis hîc reſpondiſſet, etiam tali ſtatu, ubi unius aut paucorũ dominatio obtineret, eſſe

civi-

civitatem, neque niſi ejus nomine cenſeri acta ejuſcemodi oportere: hoc illi negatum ibant, & *civitatis rationem hoc fine terminabant, ſi ad communem omnium utilitatem omnia referrentur: ubi aliter ſit, non jus, non nomen reipublicæ, ſed vim ſolam & poteſtatem ſupereſſe*, contendentes. Quæ interpretatio Ariſtotelici loci, præſertim exemplo Tyrannidis & Oligarchiæ convenit, quas adeo & timebant & deſpiciebant Græci, ut reipublicæ aut civitatis nomine, ſtatum talem non dignarentur. Libertatis enim, & popularis imperii ſtudioſæ nationi, non aliunde, quàm ab iſto duplici genere periculum videbatur imminere. Nam quod doctiſſimus *Piccartus* putat, hoc eos velle, *quaſi in tali civitate reſpublicæ geminæ viderentur, una quæ proprium ſpectaret commodum & ſuum, ſc. Tyranni & Oligarchicorum; altera quæ commune commodum haberet, popularis videlicet; hujus tantum non illius acta pro ratis habenda*: ſtare non poteſt, aut verbis Philoſophi, non diſtortis, convenire. Et de prima quidem illa ratione, quàm non ſentiat magnifice Philoſophus, ex multis *Politicorum* locis abunde demonſtratur. Altera igitur ratio, qua nitebantur illi diſputatores, hæc videtur eſſe: *Etiamſi concederetur civitatem id egiſſe, quod in Tyrannide aut Oligarchia actum eſt, à Democratia tamen, quæ ſucceſſit, exigi non poteſt, ut ſervetur. Alia enim jam eſt civitas: à qua repoſci non debet, quod alia egit.* Non rejicit prorſus & ſtatim *Ariſtoteles*, quod de alia civitate allatum erat: ſed quomodo illa ratio ſo-

in Comment. Polit. Ariſtot. 3. 3.

leat ac poſſit declarari, amplius oſtendit. Id tamē non obſcure declarat, neutra ratione obtineri, quod illi velint. Primæ enim rationi facile opponi, quod repugnet, exemplum poſſe: *Non eſt civitas, aut non egit civitas, ubi non referuntur omnia ad communem utilitatem. Annon enim in Democratia quoq; hoc accidère poteſt? Si ergo Democratia* τῷ κρατεῖν οὖσα, ἀλλ' οὐ διὰ τὸ κοινῇ συμφέρον, *aliquid egerit, an negabunt, civitatem egiſſe? quod utiq; optimates, aut quicunq; ſucceſſerint, in tali cauſſa, ambabus manibus apprehenderint.* In altera ratione, etiamſi largiretur aliquis, non eſſe eandem civitatem, ab hac mutatione (quod tamen accurate loquentes nunquam dederint, ut ante dictum eſt) conventiones tamen ſervandas eſſe, de quibus hic quæritur, alibi & aliunde oſtendi poſſe, non obſcure Philoſophus indicat. Quærunt itaque Interpretes: unde hoc demonſtrari queat? Et alii quidem alia afferunt; exemplisque utuntur interdum, parum huc pertinentibus. Liceat & mihi expromere, quod ſentio. Omnino hîc diſtinguere oportet, quæ cum alia civitate Tyrannus aut pauci egerint, & quæ in ſua civitate conſtituerint. In hæc enim civitati plus juris eſſe, quàm in illa, dubio carere, arbitror. Pactum conventum erat τῶν τριάκοντα ſive eorum, qui oligarchiam Athenis gerebant, cum Lacedæmoniis, de pecuniis creditis. Nam triginta illi, in quorum manu reſpublica erat, pecunias publico nomine ſumſerant à Lacedæmoniorum civitate mutuas. Interim accidit mu-

mutatio, qualem *Ariſtoteles* ponit: ut à paucorum poteſtate ad populum recideret reſpublica. Repoſcebant Lacedæmonii per legatos pecuniam, jure merito. Obtendere poterant Athenienſes mutationem civitatis, facinora triginta virorum, & expetendas ab ipſis pœnas. Id quod in ὅρκῳ ἀμνηστίας exceptum & reſervatum erat. Neque adeo defuerunt, qui dicerent, à triginta viris, qui his pecuniis contra cives in Piræeo uſi erant, repetendum hoc nomen. Alii autem de communi civitatis exſolvi, æquum cenſebant. Atque horum valuit ſententia, apud Athenienſes. Judicarunt enim, hæc pacta conventa, non civili lege aut formulis tantum tuenda, ſed ipſo naturæ dictatu, ad immobiles magnæ illius & infinitæ ſocietatis humani generis leges exigenda eſſe. Fidem enim fundamentum univerſæ juſtitiæ, non tam in hoc aut illo cœtu, quàm in civitate humani generis, habendum. Neq; aliud in animo *Demoſthenes* habuit, cum hoc factum laudat: φασὶ τὸν δῆμον ἑλέσθαι συνεισενεγκεῖν αὐτὸν καὶ μεταχεῖν τῆς δαπάνης, ὥστε μὴ λῦσαι τῶν ὡμολογημένων μηδέν. *Ferunt, populum maluiſſe per ſe conferre impenſas, quàm de pactis conventis quicquam non impleri.* Et mox Athenienſes alloquens: τότε μὲν τοῖς ἠδικηκόσιν ὑμᾶς ὑπὲρ τοῦ μὴ ψεύσασθαι τὰ χρήματα ταῦτα εἰσφέρειν ἠθελήσατε. *& tum quidem etiam illis, qui injurii in vos fuerunt, pecunias illas conferre voluiſtis, ne quid de rerum conventarum fide deperiret.* Atque hæc ratio valeret, etiamſi revera alia facta eſſet civitas: quoad *orat. contra Leptinem.*

externos. Fingamus enim, civitatem aliquam redactam eſſe in formam provinciæ, i. e. non manſiſſe eandem civitatem, ſed factam eſſe partem alterius. Illam autem, cum adhuc libera eſſet, mutuas accepiſſe aliunde pecunias. An propterea ad novas tabulas confugiet, quia jam non eſt eadem, quæ fuit, civitas; imo ne civitas quidem, ſed pars alterius civitatis? Nunquam dixero. Fides enim rerum creditarum non jam civili, ſed humano jure nititur: neque civili conſociatione tolli poteſt id, quo efficitur, ut civile & ſociale ſit, quicquid hoc nomine cenſetur.

Ita in altero exemplo Ariſtotelico, egerit Tyrannus cum externa civitate de auxiliis adverſus communem hoſtem, æqua ex parte conferendis: dederit ei partem agri ex hoſtibus capti, præmium fidei & operæ; aut vendiderit: nullo jure populus libertati, excuſsâ tyrannide, reſtitutus hæc ad irritum cadere concupiſcet. Præterquam enim, quod aliter agendi cum civitate nulla facultas erat, civitatis ſemper, præſertim à tyrannide liberatæ, ea voluntas eſſe debet, ne alii ſua cauſſa careant ullo jure debito. Quid, ſi ſpolia civibus oppreſſis per injuriam erepta Tyrannus externæ civitati venum dederit? Tum vero, ſi ſcientes emerunt, ſuam in eo culpam agnoſcant fas eſt, æquoque animo careant illis, quæ nec vendi nec emi ſine injuria poſſunt. Etiam, ſi imprudenter emerunt. Valeatque hic, latius quàm ibi dicitur pertinens, Æmilii Lepidi Conſulis ſenten-

ſententia: *Illa quæ tum formidine mercatus ſum, pretio ſoluto, jure; dominis tamen reſtituo: neq; pati conſilium eſt, ullam ex civibus prædam eſſe.* *Saluſt. Fragm. lib. 1. Hiſt.* Quod *jure* ſe mercatum ait, ad conſuetudinem & opinionem temporis, qua tum res agitabantur, ſpectat. Nam vero jure, quod non pro ſtatu & temporibus civitatis alicujus, quomodocunque decernitur, ſed eo, quod juſtum eſt, definitur, nec emi nec vendi talia poſſe, jam diximus. Pertinetque huc locus memorabilis apud *Tacitum*, ubi lacerato tyrannide imperio, *ſtultiſſimus quisq; pecunia mercabatur. Apud ſapientes caſſa habebantur, quæ neq; dari, neq; accipi, ſalva rep. poterant.* *3. H. 55.* Quam æquitatem, ſi nolit emtor rei alienæ ſponte amplecti; quin repeti injuſte translata queant, nihil obſtare videtur, niſi quod cum eo, qui bona fide in hoc negotio verſatus eſt, ſummo jure agere, durum fuerit. Inde varia videmus bene moratis populis temperamenta placuiſſe.

In hac de actis Tyrannorum quæſtione, etiam illud probe conſiderandum eſt, egeritne Tyrannus ſuo unius arbitrio, neminis requiſito conſilio, neminis auctoritate adhibita? an ſenatus populusque, ſuis quibusdam propoſitis, privatam ſæpius quàm publicam rem ſpectantibus, ultro, quod unus ille voluit, decreverit, ſciveritque. Tum enim externis fraudi ille error eſſe non debet. Jam ipſa Tyranni conditio non eſt uniusmodi. Longe aliter enim ſe habent illa, quæ facit, ſola vi pro jure utens, & in republica pro lubitu graſſans; &, quæ

facit

facit confirmata jam; utcunque adeptâ, poteſtate, ac interpoſitis totius civitatis decretis pactisque. Quod qui in cauſſa Julii Cæſaris inſuper habuerunt, non unis involuti ſunt difficultatibus. Sed præmittemus exemplum Sullæ.

lib. 3. c. 23. De cujus actis notabile eſt *Flori* judicium: *Cupidus rerum novarum per inſolentiam Lepidus, acta tanti viri* (Syllæ) *reſcindere parabat: nec immerito, ſi tamen poſſet ſine magna clade reipublicæ. Nam cum jure belli Sylla dictator proſcripſiſſet inimicos; qui ſupererant, revocante Lepido, quid aliud quàm ad bellum vocabantur? cumq; damnatorum civiũ bona, addicente Sylla, quamvis male capta, jure tamen, repetitio eorum procul dubio labefactabat compoſitam civitatem. Expediebat ergo quaſi ægræ ſauciæq; reipublicæ requieſcere quomodocunq;, ne vulnera curatione ipſa reſcinderentur.* Quód de *jure belli* hîc dicitur, ex vulgi opinione, & ita capiendum eſt: quando res ſemel ad arma deducta eſt, tum victis patienda ſunt, quæcunque victori collibitum eſt facere.

orat 2. de rep. ordin. Id enim jus victoriæ, & jus belli ſtatuitur. Quo ſenſu *Salluſtius*: *L. Sulla, cui omnia in victoria lege belli licuerunt, tametſi à Sulpitio hoſtium partes muniri intelligebat; tamen paucis interfectis, ceteros beneficio, quàm metu retinere maluit.* Accuratiori judicio, hoc jus belli, ſine temperamentis æquitatis, ſumma injuria habetur: præſertim in bello civili, ubi

Quemq; ſuæ rapiunt ſcelerata in prælia cauſſæ.

e de offic 8. Hinc Cicero vere de Sulla: *quod honeſtam cauſſam ſecuta ſit non honeſta victoria*; quod ſum-

ſumma ejus *in cives crudelitas* fuerit: quod *Sullæ pecuniarum translatio à juſtis dominis ad alienos*, injuſta fuerit. *Vellejus immodicæ crudelitatis licentiæ* uſum teſtatur, multasq; indignitates proſcriptionis & victoriæ recenſet. Similia apud *Plutarchum* legas, & alios. Quare *Florus*, merito reſcindi potuiſſe, judicat, acta Syllæ: niſi quod conſultum id minime fuerit, & turbide à Lepido tentatum. Quo pacto à quæſtione conſilii, ad juris rationem reducitur negotium, quatenus injuſtum cenſetur, etiam cum clade & exitio patriæ, jus perſequi. Temporis enim tanta vis eſt, ut commutare interdum officii regulas videatur. *1. de offic. 14.* *2. 28.* *in Syll.*

In Julii Cæſaris exemplo eodem genere philoſophandi utuntur: diſtinguentes inſuper acta rationi conſentanea, & reipublicæ utilia, à præcipitibus & pravis. Quanquam enim *Ciceroni* perabſurdum primo videbatur, *τυραννοκτόνους in cœlo eſſe, tyranni facta defendi*; & eſſe, *qui, dum ſe pacem velle ſimulant, acta nefaria defenderent:* aliter tamen in Senatu loquitur. *Acta*, inquit, *Cæſaris ſervanda cenſeo: non quo probem (quis enim id quidem poteſt?) Sed quia rationem habendam maxime arbitror pacis & otii.* Inter acta ſubinde *leges* quasdam ejus laudat: *Chirographa* autem quædam, & *memoriæ cauſſa in libellum relata*, in actis numeranda non eſſe oſtendit. Cumque iterum de legibus locutus eſſet, *quæ quidem ego*, inquit, *qui illa nunquam probavi, ita conſervanda concordiæ cauſſa arbitratus ſum, ut non modo, quas vivus Cæſar leges* tu- *Ep. ad Attic. 14. 6. & 9. & 15.* *Phil. 1. 7.* *Phil. 1. 9.*

tuliſſet, infirmandas hoc tempore non putarem; ſed ne illas quidem, quas poſt mortem Cæſaris prolatas, & fixas videtis. Subjecta iterum ſuſpicione de auctoritate, unius viri, qui varia obtentu hujus nominis domo afferret. Et clarius: *Acta Cæſaris pacis cauſſa confirmata ſunt à Senatu: quæ quidem Cæſar egiſſet, non ea, quæ Cæſarem egiſſe dixiſſet Antonius.* Sed in hac re præteritur à *Cicerone*, quod huc maxime facit. Non enim poterant hic acta Cæſaris, ut tyranni, actis à civitate opponi. Tyrannidis enim æſtimatio à Senatu Populoque Romano ſublata erat; tot honorificis decretis, quæ Cæſaris partam quomodocunque poteſtatem ex tyrannica juſtam redigerent: cum præſertim hoc quoque inter ea ſtatuiſſent, τὰ πραχθησόμενα αὐτῷ κύρια ἕξειν. *quæcunque acturus eſſet, rata fore*, i. e. ejus acta pro actis civitatis habitum iri; apud *Dionem.* Cujus verbi quanta vis ſit, quanta ſententia, vel inde conſtat, quod *in acta Principum jurare*, nihil aliud eſſet, quàm ſingularis imperii nota & pignus. Manſitq; veneratio nominis Juliani, unde monarchia Cæſarea initium traxit, ut etiam inſecutis temporibus ſolenne eſſet, *in acta divi Auguſti, & divi Julii jurare*, ſicut ex *Tacito* diſcimus. Fruſtra hic exceperis: illa omnia Cæſari tributa partim adulatione, partim calliditate, ut invidiæ objiceretur; denique vel neceſſitate. Hæc enim omnia accuſant eos, qui fecerunt, non excuſant: neque ſacramentis, ut talibus, licet ludere: &, ſi qua neceſſitas ſuberat, eam ipſi ultro ſibi acciverunt, qui poſtea

Phil. 2. 39.

lib. 44.

16. A. 22.

poſtea de illa queſti ſunt. Impoſuerunt uni civitatis perſonam, quocunq; animo, publicæ profecto fidei pignoribus; illudque ſuum judicium, neceſſitudine forte reipublicæ, confirmarunt. Pœnituit hujus judicii non alios, quàm æmulos & altiora ſpirantes, ſibique ad eadem, quæ in Cæſare damnabant, viam molientes. Hæc pœnitenda pœnitentia paucorum, efficere utiq; non potuit, ut acta civitatis non eſſent habenda, quæ civitas tota, cum ſe unius arbitrio permitteret, agnovit prædicavitque.

Neque hic *Ciceronis* auctoritate ad eorum ſententiam ſtabiliendam utendum eſt, qui putant fidem quoque tyrannis datam, & pactiones interpoſitas, violari ſine injuria poſſe. Quos merito *Grotius* refellit. *Cicero* autem ipſe, quod alibi monuimus, incautius Græcorum adverſus tyrannos opiniones ſubinde jactitat: à quibus tamen ſe Romani, etiam in exercitationibus oratoriis, removerunt. Illuſtris locus eſt *Marci Senecæ Rhetoris: Græcorum improbam quæſtionem ſatis erit in ejuſmodi controverſiis ſemel aut iterum annotaſſe; An in tyrannicidam uti pater hac lege poſſit, quaſi enim ſacras & publicas (tyrannicidæ) manus eſſe: in quas ne piratæ quidem licere quicquam putant. Noſtri hoc genus quæſtionis ſubmoverunt.* Cujus improbitatis ſpecimen etiam alter tyrannicida adulter edit: *non putavi adulterium, uxorem tyranni polluere.* Et hîc quidem fortuitum, occaſione deprehenſi adulterii tyrannicidium occurrit. Alibi adulte-

3. offic. 6.

l. B 3. 19. 2. & ſeq. conſer 2. 13. 13.

Controv. lib. 1. c. 7.

M. Sen. excerpt. controv. IV. 7.

rium tyrannicidii cauſſa patratum, in jus vocandum negatur: τὸν γὰρ τύραννον γυναῖκα διαφθείροντα καὶ διὰ τὴν τοιαύτην μοιχείαν δυνηθέντα ἀνελεῖν τὸν τύραννον καὶ ἐλευθερώσαντα τὴν πόλιν ἕλκειν εἰς εὐθύνας, πῶς οὐκ ἄν τις διημαρτημένον δίκαιον εἴποι; *in lib. 5. Eth. Ariſt.* Qui error non debuit admitti à *Michaele Epheſio*, hoc obtentu; quaſi legiſlator, ſi caſum talem prævidiſſet, cum hac adjectione ſcripturus fuerit legem: δεῖ πάσης ἀλλοτρίας γυναικὸς ἀπέχεσθαι πλὴν τῆς τοῦ τυράννου. εἰ μέλλει διὰ τῆς τοιαύτης μίξεως ἡ πόλις ἐλευθεροῦσθαι. Non enim ita ſcripturus unquam fuerit legem bonus legiſlator, cujus gravitas longe differt à cauſſidici inſtituto, qui in confeſſo facinore rei, aliquando *Hermogen. περὶ τῶν στάσ.* opponit ἕτερόν τι εὐεργέτημα μεῖζον δι' αὐτοῦ τοῦ ἀδικήματος πεπραγμένον.

Sed & legibus de tyrannicidio latis, impedimentum afferunt ſubſecutæ pactiones civitatis cum tyranno. Nam & lex civitatis, & pactio civitatis, eſt ab una voluntate. Quæ contraria ſibi eſſe nec debet, nec creditur. quo fit, ut poſterior ſignificatio voluntatis tollat & minuat priorem. Neq; hic poteſt objici: Civitatis à tyranno oppreſſæ non eſſe liberam & integram voluntatem. Præterquam enim quod vis adhibita, non verbo, ſed rebus demonſtranda eſt; & quidem tempore pactionis: exempla pleraq;, ubi huic quæſtioni locus eſt, conſenſum haud obſcurum aut per ambages oſtendunt. Poteſt & ſimili deliberatione res *Tac. 4. H. 67. Grot. l. B. 2. 24. 6.* declarari, quando agitatur: *Libertas an pax placeat?* Et ſpectetur ſane, quod multis placuit, ty-

tyrannus, ut hoſtis reipublicæ. Conſequatur ergo eadem jura quæ hoſtis. Cum hoſte diremta cenſentur humanæ ſortis commercia. At, ubi primum cum eo incipimus agere aut paciſci, jam redimus ad integranda in tantum ſocialia jura: & diremtus de cetero, pactione conjunctus nobis intelligitur. Quæ veriſſima & prima origo eſt temperamenti ad æquitatem juris bellici, rei crudæ, niſi ſcienter tractetur.

In cauſſa fœderis, quod Romani cum Nabide tyranno fecerunt, parum accurate verſatur *Grotius*. Nos omiſſa repetitione alienæ expoſitionis, rem ad ſuas origines, & noſtram quæſtionem revocabimus. Et alias quidem belli adverſus Lacedæmonios cauſas nihil attinet excutere. Unum videbatur obſtare, fœdus cum Lacedæmoniis factum. Quod impedimentum ut removeret *T. Quintius*, ita apud *Livium* reſpondet: *Amicitia & ſocietas nobis nulla tecum, ſed cum Pelope Rege Lacedæmoniorum juſto & legitimo facta eſt. Cujus jus tyranni quoq; qui poſtea per vim tenuerunt Lacedæmone imperium (quia nos bella nunc Punica, nunc Gallica, nunc alia ex aliis occupaverant) uſurparunt; ſicut tu quoq; hoc Macedonico bello feciſti.* Hæc verbis adornata in ſpeciem, nullum argumenti pondus habent. Florentibus adhuc Lacedæmoniorum rebus, ad pugnam Leuctricam uſque, non poterat cum Rege fœdus fieri, ut cum civitate factum reputaretur; niſi quatenus civitas ſuam poteſtatem, Regis, ut legati aut curatoris, nomine exercere deſtinaverat. Erant enim

l. B. 2. 16. 18. & 3. 15. 3.

lib 34. c. 32.

Spartæ, nomine non poteſtate reges. Poſtquam autem revera nomini poteſtas, per varias mutationes acceſſit, non detrectat Quintius legitimi regis jura: Sed in regno jam juſto, ſucceſſores nullo jure nixos, & per vim tenentes imperium ac exercentes repudiat. Quaſi diceret: quod cum juſto & legitimo rege, adeoque cum civitate actum eſt, non obtinet vim ſuam, ſi regno tyrannis ſucceſſit. Sicut ex converſo antedicebant apud Ariſtotelem, non ſervanda in populi imperio, quæ tyrannus egiſſet, quia ex mutatione illa alia eſſet facta civitas. Niſi quod plus mutationis ibi, quam hîc occurrit. Ibi enim forma una in alteram; hîc una, recta ſcilicet in declinatam mutatur. Atque ſi hæc dicerentur de invaſore regni, antequam firmata ei eſt conſenſu & pactione poteſtas, non poſſent rejici. Niſi quod Quintium infirmius
Liv. 34. 31. juvarent, cui Nabis valide oggeſſerat: *De nomine hoc reſpondere poſſum; me, qualiscunq; ſum, eundem eſſe, qui fui, cum tu ipſe mecum, T. Quinti, ſocietatem pepigiſti. Tum me regem appellari à vobis memini: nunc tyrannum vocari video.* Unde & aſtutia Quintii intelligitur, qui diſſimulata propiore pactione, vetuſtiorem tantum attulerat. Quid? quod continuata in tyrannos ſucceſſio, quam agnoſcit Quintius, non leve parit argumentum adverſus eos, qui non contradixerunt, in quantum ſua intereſſet. Conflictatam enim Spartam, ex eo, quod dixi, tem-
lib. 4. pore, acerbiſſima ſervitute, usq; ad Nabidem,
lib. 13. *Polybius* locuples auctor eſt. Idem, qui ipſius

Nabi-

Nabidis infandam crudelitatem deſcribit. Sed hinc alius adverſus tyrannum titulus juris naſci poterat: à cujus ſcilicet ſævitia vindicari oppreſſos, fas & jura ſinunt. Quanquam neq; hujus rei gloriam ſibi trahere Romani poſſunt, reſtitutis Argis, *ſerua Lacedæmone relicta*, cum pacem Nabidi petenti darent. Cum quo & Quintius, in illa pactione pacis, & poſtea Senatus Romanus egit, ut cum civitate Lacedæmoniorum: ultro everſo diſcrimine juſti regis & tyranni, quod antea allatum erat. Libuit hæc paulo explicatius evolvere, ut meminiſſe velint, qui hiſtorias legunt: vera rerum momenta, ab illis, quæ tempori & cauſſæ ſerviunt, inventis, probe diſcernenda eſſe. *Liv. 34.40.*

Non attingam noſtri temporis exempla, ad ludibrium aut opprobrium magnorum nominum valitura, ſi omnia acta ab eo & cum eo, qui neque paraſſe, neque habuiſſe per bonas artes imperium, pleriſque viſus eſt, non haberentur pro actis à civitate & cum civitate.

Quanquam, ut ſupra innuebam, aliqua agi à tyranno, etiam jus adepto, nec jam tyranno, poſſunt, quæ pro actis à civitate, ex natura rei, neutiquam ſunt habenda. Ut, ſi quis faceret, quod Dux Athenienſis, Florentinorum cervicibus incubans fecit, *cum mercatoribus, qui Lucenſis belli tempore, rempublicam pecunia juverant, ſyngraphas tabulasq; eripuit*, teſte *Machiavello*. Rerum enim creditarum fides ſanctior eſt, quam ut ullius poteſtate hominis convelli queat. Neque obtentui, eminens dominium *Hiſtor. Florent. lib. 2. an. 1342.*

 hic

hic eſſe potuit. Sicut igitur bello, privatorum jura inter ſe & commercia ſuſpendi contingit ac ceſſare; pace autem, quæ ad naturalem ſtatum omnia reducere inſtituit, vim priſtinam exſerunt, (naturalem enim æquitatem ſequitur formula pacis Antiocho à Romanis datæ, Rhodiis cavens: εἴ τι χρῆμα ὀφείλετ' αὐτοῖς, ὁμοίως ἔστω πράξιμον. καὶ εἴ τι ἀπελήφθη ἀπ' αὐτῶν, ἀναζητηθὲν ἀποδοθήτω.) ita tyrannis intercidere poteſt jura naturæ, non efficere, quin obſtaculo amoto ſtatim valeant vigeantque.

Excerpt. Legat. Polyb. 35.

Mutata de cetero forma civitatis, quædam per ſe concidant neceſſe eſt: non quod alia jam ſit civitas; ſed quia quædam acta erant, ut à tali civitate, aut cum tali civitate. Sic inſtituta Ariſtocratica, ſive quæ remp. ut ἀριστοκρατουμένην ſpectabant, ſuccedente alio ſtatu intereunt; quemadmodum quæ ſingularis imperii propria ſunt, in plurium regimine locum non habent. Idque & domi & foris valet.

Quia verò mutationes ejuſcemodi non quidem ſemper, ſed plerumque accidunt, intercedente παρεκβάσει, ſive declinatione ſtatus recti, in vitioſum, ut ſingularis imperii in tyrannidem, ariſtocratiæ in oligarchiam, popularis reipublicæ in licentiam multitudinis: ſæpius redit illa quæſtio de actis tyrannorum; an ſervari oporteat in conſtituta jam recta formâ, quod actum eſt in degeneri? De qua tamen re ſatis jam eſt dictum. Niſi quod hoc adjiciendum videtur: illas παρεκβάσεις vel annos ac ætatem ferre; vel brevi & controverſo ſemper ſtatu,

Polyb. lib. 6.

ratio-

rationem obtinere tranſitus ad rectam novamve formam. In quo poſteriori genere plus diſputationis ſolet occurrere.

Eſt & illud non prætereundum genus ***occultarum mutationum.*** Apertas enim & vulgus videt novitque. At cum τὸ κρύφα πολιτεύεσθαι in republica induci cœpit, prudentium tantum oculis pervia ſunt fata civitatis viceſque. Non aliis autem civitatibus, ab hoc genere majus eſt periculum, quàm ubi Democratia, aut mixta forma obtinet. *Popularis poteſtas*, inquit *Bodinus*, *ſæpius nullo pæne ſentiente convertitur ad optimates.*---- & mox: *Ejusmodi fuit earum quas dixi civitatum converſio à populo ad optimates: qualis etiam contigit Venetis, Lucenſibus, Rhaguſianis; quorum imperia, cum olim popularia fuiſſent, temporis diuturnitate, Ariſtocratica, nullo pæne id ſentiente, evaſerunt.* Eodem modo in mixto ſtatu, fieri ſolet, ut per varias artes una pars ſibi vindicet, & quaſi ſuo jure agat, quod non niſi juncta vis partium agere debebat. Quæ labes increſcit, ubi corrupti mores, nihil in reip. adminiſtratione incorruptum patiuntur eſſe. Quo tempore etiam hebetes, fatali caligine, ad perſpiciendum oculi; inertes ad ſentiendum animi deprehenduntur. Neque vulgi tantum is error eſt; ſed magnorum aliquando virorum ingenia fatigat hæc obſervatio. Nam ſubinde *ſigna conturbantur, quibus voluntas à ſimulatione diſtingui poſſit*, quæ *Ciceronis* querela eſt. In Romana Rep. ex eo tempore, quo mixta eſſe debuit, ſæpius factum eſt, ut partes plus

de rep. 4, 1.

Ep. ad Att. 8, 9.

pollerent, quàm jus reipublicæ poſtulabat; tribunis plebis iſta parum ſentientibus, & varie ad alia averſis. Populus quoque, dum poſt hæc undique libertatem ſuam amplificare, aut libidini ſuæ obſequi tendit, non animadvertit, ſe ultro viam ſternere ad paucorum potentiam, quæ in tyrannidem deſitura erat. Et illud quidem genus occultæ mutationis, quod ſine omni motu & ſtrepitu, quaſi tacita voluntatum conſenſione perficitur ac abſolvitur, vix capit hanc diſceptationem de actis civitatis. Sed in illis occultationibus, quæ in republica corrupta utramque paginam faciunt, perpetua hæc animos angit dubitatio. Mutationis enim vocabulo corruptiones quoque reip. varias comprehendimus: quotiens à fine civitati propoſito, formæque legibus deſcriptæ ac moribus firmatæ rationibus, agendi adminiſtrandique ratio deflectit, aut vincula inſtituti contextus infirmat, ſolvit, rumpit. Quæ dum agitantur, occaſiones potius & cauſſas, omina item ac principia mutationis, quàm mutationem habere videntur. Quicquid enim mutationis conſummatæ ſpeciem prodere poteſt, abſtruditur interim, ac diſſimilima per vocabula obtegitur. Defenſio etiam & conſervatio reipublicæ vocatur, quod ad σύγχυσιν τῆς πολιτείας interim tendit. Quæ confuſio longas moras trahere, & infinitas per ambages circumduci poteſt. Non eſt majus exemplum ab hominum memoriâ, Romanâ civitate: ubi à Gracchanis temporibus, usq; ad conſtitutum ab

Cic. ad Attic. 7, 8.

ab Auguſto ſingulare imperium, centum circiter annis, per factiones, tumultus, certamina, dominationes modo paucorum, modo unius, bella civilia; mutationes mutationibus tam irrequieto motu ſunt continuatæ, ut ad terminum illum fatalem vix tandem viderentur ſubſtitutæ. Cujus rei ſeriem compendio ſignat *Salluſtius*, nobili digreſſione *in bello Jugurthino*: c. 41. & 42. *Ceterum mos popularium partium, & Senatus factionum, ac deinde malarum artium paucis ante annis Romæ ortus eſt. Namq; cœpere nobilitas dignitatem, populus libertatem in lubidinem vertere: ſibi quisque ducere, trahere, rapere: ita omnia in duas partes abſtracta ſunt: reſp. quæ media fuerat, dilacerata.* Sequitur deſcriptio oligarchicorum facinorum: quæ cum patefacere, plebemq; in libertatem vindicare inſtituerent Gracchi, *quibus* tamen *cupidine victoriæ haud ſatis animus moderatus fuit, moveri civitas, & diſſenſio civilis, quaſi permixtio terræ oriri cœpit.* Et alio loco: *Poſtquam remoto metu Punico, ſimultates exercere vacuum fuit, plurimæ turbæ, ſeditiones, & ad poſtremum bella civilia orta ſunt: dum pauci potentes, quorum in gratiam pleriq; conceſſerant, ſub honeſto patrum aut plebis nomine dominationes affectabant, boniq; & mali cives appellati, non ob merita in remp. omnibus pariter corruptis, ſed uti quisq; locupletiſſimus, & injuria validior, quia præſentia defendebat, pro bono ducebatur.* Fragm. lib. 1. Hiſt. Tam perturbato rerum ſtatu, eadem quidem manſit civitas, quamvis corrupta & immenſis concuſſionibus agitata; ſed quicquid

præpollenti factioni aut paucis præpotentibus
placuit, civitatis nomine præſcribebatur. *Cice-
ronis* epiſtolæ, præſertim ad Atticum, comenta-
riorum vicem præſtant, frequentibus querelis,
perpetuis judiciis; de adminiſtratione reipubli-
Ep. ad Attic. 7. 7. cæ. *Audio*, inquit, *conſtitutum eſſe Pompejo & ejus
conſilio, in Siciliam me mittere, quod imperium
habeam. Id eſt* Ἀβδηλειτικόν. *nec enim ſenatus de-
crevit, nec populus juſſit, me imperium in Sicilia
habere.* Civitatis equidem erat, imperia man-
dare, i.e. Senatus populiq;. Sed cum reſpublica
valeret. Nunc unum aliquem aut paucos, o-
mnia poſſe, non ἀβδηλειτικὸν, ſed ῥωμαικὸν erat.
nonne enim jam pridem, Cicero, vidiſti prio-
rem Cæſaris conſulatum. *At tum imbecillus plus,*
7. 9. inquis, *valuit, quàm tota Reſpublica.* Neque, his
moribus, opus eſt illâ deliberatione de præpo-
7. 13. tente & victore: *quid autem ſit acturus, aut quo
modo, neſcio, ſine ſenatu, ſine magiſtratu. Ne ſimu-
lare quidem poterit quicquam* πολιτικῶς. Non
deerunt ſpecioſa vocabula, ne verere. Quam-
quam ſenatus populusque ſuis moribus &
κακοπολιτείᾳ jamdudum effecerant, ne docta
ſimulatione opus haberet, qui ambitionem &
libidinem animi in conſilio habet.

Erant ſane bonis viris, illisque qui optimates
vere haberi vellent, in ore & animo, auctoritas
reipublicæ, odium dominationis paucorum, &
tyrannidis; neque alio volebant frequentius
charactere notari, quàm illo poëtæ;

6. 3. & *non contemnere ſe, & reges odiſſe ſuperbos.*

2, 8. Solenne tum carmen factum: *hoc vero regnum*

2, 11. *eſt,*

eſt, & ferri nullo pacto poteſt. Sero: *ex quo intellectum eſt τριοαρειοπαγῖτας ambitum, comitia, interregnum, majeſtatem, totam deniq; remp. flocci non facere.* Ex quo, *quæ invidioſa fuit Senatus potentia, non ad populum, ſed ad tres immoderatos homines redacta eſt.* Quin & plebis animi, quod ſibi ſuo jumento acciverant malum, nequaquam tacite dolebant: Verum querelis non tollitur, ſed irritatur tyrannis. Licet ergo vere ſcripſerit de illis temporibus *Cicero: nihil unquam fuiſſe tam infame, tam turpe, tam peræque omnibus generibus, ordinibus, ætatibus offenſum, quàm illum ſtatum, qui tunc erat: cum populares illi, etiam modeſtos homines ſibilare docuerunt;* Nihilo tamen minus, veriſſime id quoque ſcriptum eſt: *hic ſtatus, qui una voce omnium gemitur, neq; verbo cujuſquam ſublevatur. Populi ſenſus* quidem *maxime theatro & ſpectaculis* (ubi non ſanatur, ſed deluditur reſpublica) *perſpectus eſt. Diphilus tragœdus in Pompejum petulanter invectus eſt:* Noſtra Miſeria tu es magnus, *millies coactus eſt dicere.* Eandem virtutem iſtam, veniet tempus, cum graviter gemes, *totius theatri clamore dixit, itemq; cetera.* ---- Si neque leges, neque mores cogunt, *& cetera magno cum fremitu & clamore ſunt dicta.* Sed quid valeret jam, quamvis *una vox omnium, magis odio firmata, quam præſidio?* Nullus hic clamorum popularium fructus; nullam jam *Archilochia Bibuli edicta* remedium promittunt: imbelle & fragile adverſus armatas opes telum. Neq; medicinam reipublicæ vulneribus facit in-

4. 17.
2. 9.
Ep. ad Attic. 2, 19.
adde 2. 21.
2. 18.
2. 19.
2. 21.

invictus quidem, ſed ſeram magis pœnam ab
auctoribus cladium repetiturus, quàm inter-
ceſſurus cladibus, calamus ejus, qui ſcripſit:
3.6. *Ἀνέκδοτα, Theopompino genere, aut etiam aſperio-
re multo pangentur. Neq; aliud jam quicquam
πολιτεύομαι, niſi odiſſe improbos, & id ipſum nullo
cum ſtomacho, ſed potius cum aliqua ſcribendi
voluptate.* Prætermiſſum erat tempus, quo
naſcentibus malis facilia & celeria propone-
bantur remedia: & ad multos reipublicæ
morbos, nexamque tot vulnerum continua-
tione ſeriem pertinet, quod de uno, qui ſe in
7.7. poſſeſſione reip. collocaverat, extulit *Tullius:
horum omnium* (malorum) *fons unus eſt: Imbe-
cillo reſiſtendum fuit: & id erat facile.*

Adverſus rempublicam, ne ulla vis valeat, in tempore providendum eſt. Ne humanæ ambitioni aut cupiditati locus ſit, legum eſſe intemerata auctoritas debet. In plurium imperio, quicquid de legibus detrahitur, perſonis adjicitur; corruptioni & mutationibus variis anſam præbet. Ne gliſceret paucorum poteſtas, nihil ex juribus reipublicæ laxandum, remittendum, minuendum erat. Fecerunt Romæ magnos, qui factos jactantius dolebant. Ceperunt te quoque, M. Tulli, præpotentium illecebræ: neque diſſimulâſti gaudium ex
4.15. favore eorum. *Illud quidem*, inquis, *ſumus ade-
pti, quod multis & magnis indiciis poſſumus judi-
care, nos Cæſari & cariſſimos & jucundiſſimos eſ-
7.1. ſe.* Et rurſus: *alterum complectebar, quia de me
erat optime meritus; alterum, quia tantum vale-
bat.*

bat. Feci igitur, itaq; feci omni obſequio, ut neutri illorum, quisquam eſſet me carior. Deceptus quidem eſt candor tuus ſæpius (quod fere optimo cuiq; inter ambitioſos & dominandi cupidos evenire ſolet) neq; dubitas fateri tuum errorem: *Pompejus amat nos, caroſq; habet. Credis? inquies, credo: prorſus mihi perſuadet. Sed quia, ut video, pragmatici homines omnibus hiſtoricis præceptis, verſibus deniq; cavere jubent, & vetant credere: alterum facio, ut caveam: alterum, ut nõ credam, facere non poſſum.* Sequebatur ergo ut lamentarei is: *Utinam mihi tam in periculo mens integra fuiſſet, cum ego iis, quibus meam ſalutem cariſſimam eſſe arbitrabar, inimiciſſimis crudeliſſimisq; uſus ſum: qui, ut me paululum inclinari timore viderunt, ſic impulerunt, ut omni ſuo ſcelere & perfidia abuterentur ad exitium meum.* Et: *Vides me omnibus ampliſſimis, cariſſimis, jucundiſſimisque rebus perfidia hominum ſpoliatum; vides me à meis conſiliariis proditum & projectum.* Jam in Pompejum favor, aliquid excuſationis habere potuit, dum credidiſti, eum pro republica niti. excuſſa tibi eſt rebus manifeſtis ea opinio. fateris enim: *Cnæus noſter, cum antea nunquam, in hac cauſa minime cogitavit*, ut civitas beata eſſet. *Dominatio quæſita ab utroq; eſt, non id actum, beata & honeſta civitas ut eſſet. —— genus illud Sullani regni pridem appetitur; multis qui una ſunt, cupientibus. ------ neutri σκοπὸς eſt ille, ut nos beati ſimus; uterq; regnare vult.* Et iterum: *Mirandum in modum Cnæus noſter Sullani regni ſimilitudinem concupivit. εἰδώς σοι λέγω. nihil ille*

2.20.

3.13.

3.19.

8.11.

9.7.

un-

unquam obſcure tulit. Cum hocne igitur, inquies, *eſſe vis? beneficium ſequor, mihi crede, non cauſſam, ut in Milone; ut in. ſed hactenus.* Reſponderat tibi abunde Atticus tuus. Sed anxia deliberatio tua, deſiit tandem in perpetuam fluctuationem, unde nec te nec rempublicam expedire potuiſti.

Non egiſſe his temporibus civitas dicenda eſt, quæ paucorum per arbitria jactabantur. Et ſi mature advigilaſſet Senatus Populusque, in quibus unis nominibus auctoritas Civitatis erat, impediri pleraque debuiſſent, & reſcindi potuiſſent. Sed prodita, quibus dictum eſt modis, auctoritate publica, relicta eſt miſera conſultatio; an bello & immiſſis percuſſoribus, actis tyrannorum, in tantum corroboratis, etiam cum periculo & pernicie civitatis intercedere fas eſſet: cujus generis *θέσεις politicas & temporum ſuorum*, *Cicero* commentatus eſt: dum *παλιγγενεσίαν* ſuam & virorum bonorum fruſtra expectat. Injuſta enim dominatio nemini infeſtior eſt, quàm viris cordatis, & patriæ amantibus, quorum voce oppreſſa, conſiliis à republica ſubmotis, facilius in turbido piſcantur & ſecurius illi tyranniones.

9, 4. Et hactenus quidem de mutata reipublicæ forma, & tentamentis, conatis, ſerie contextuq; talium mutationum, exemplorum ſatis. Fiunt autem, & affectantur aliæ quoque mutationes manente formâ: cum *alii homines, dejectis, qui rerum potiebantur, ſuccedunt, non alii civitatis mores*; aut *unius ſtatus diſciplina intenditur, vel re-*

Ariſtot. 5. polit. 1.

remittitur; aut novus magiſtratus inſtituitur in republica, aut abrogatur. Quæ *Philoſophi* annotatio ita accipienda eſt, ut in rectis & deerrantibus formis locum habere meminerimus; imo in aberrantibus ſæpius. Quid enim frequentius, quam tyranno dejecto, non tolli tyrannidem, ſed ſuccedere alium tyrannum; paucis impotenter dominantibus, ſubſtitui in eodem ſtatu, alios pari poteſtate armatos? Jam intendi & remitti tyrannidem unius vel paucorum, pro ingenio dominantium, aut temporibus, adeo notum eſt, ut annotatu non indigeat. Illa difficilior inſpectio, quando in ſingulari unius imperio, ex civiliore formula, paulatim adductius regnatur, & ad herile imperium pervenitur. Hic enim quidam omne addictius regimen damnant, & herilem omnem dominatum tyrannidis crimine infamant: violentius ſcilicet philoſophati. Neque enim civitatem egiſſe negaveris, quod gliſcente ejusdem ſtatus formula, & intenſiore jam Principatu geſtum eſt. Niſi quod in mixto ſtatu, vix unius partis jura intendi poſſunt, quin alterius partis jura imminuantur. De qua re infra aliquid dicendum erit.

De magiſtratu novo, exemplis non accurate utuntur Interpretes Ariſtotelis. *Tribunorum* namque *plebis* inſtitutio Romæ ſpectavit ad ipſum ſtatum; ſive ad partem democraticam in mixto illo ſtatu firmandam. Quanquam enim ſtatim ab initio libertatis, res ad mixtam formam cœpit vergere; tamen parti populari

tum

tum demum ſuum jus in republica eſt firmatum. Quare & poſtea, qui diminuere aggreſſi ſunt poteſtatem tribunitiam, quod de Sulla & Pompejo referunt, κατάλυσιν μέρους δημοκρατικοῦ, ſive diſſolutionem juris popularis ſibi propoſitam habuerunt. Fuerit igitur *Tribunatus* ex eo genere magiſtratuum, de quo, ex *Ariſtotele*,
3. de ll. 5. *Cicero* dixit: *magiſtratibus, iisq; qui præſint, contineri rempublicam, & ex eorum compoſitione, quod cujusque reipublicæ genus ſit, intelligi.*

Veriora exempla ſunt extraordinariorum magiſtratuum ac imperiorum. *Dictatura* hujus generis eſt: quæ nihil aliud erat, quàm magiſtratus extraordinarius, cui reſpublica commiſit imperium ad certa negotia conficienda, bellum gerendum, comitia habenda, ſeditionem ſedandam, aliaque. Neque eſt, quod tem-
1. B 1 3. 8. & 11. porarium inde regnum *Grotius* faciat: contra
1. de Rep. 8. quem potius audiendus eſt *Bodinus*, noſtræ ſententiæ aſſertor. Itaque, quamquam ab initio Civitas, per dictatorem actura, tantam ei committeret poteſtatem, ut *provocatio non eſſet*:
Liv. 2. 18. & 3. 20. tamen, cum poſtea provocatum eſſet, ſeveriſſimus dictator Papirius agnovit populi eſſe, quicquid in dictatura eſſet juris, neq; ſuum, *ſed*
Liv. 8. 33. &c. *populi Romani imperium, diſciplinam militarem, ſolennem & ſacratam militiam*, in ore habuit: firmatumque tum periculo Fabii *imperium militare*, *Hiſtoricus* judicavit. Poſſetque hoc exemplum optime cum eo comparari, ubi af-
Liv. 4. 42. firmatur, *de omnibus ſummam populi Romani poteſtatem eſſe*. Quare & ad Senatum de agendis dicta-

dictator retulit, & Senatus decrevit: addita ſane interdum illa clauſula liberorum quidem, ſed mandatorum: *cetera omnia ageret faceretq;, ut è rep. duceret.* Eſt & factum Fabii dictatoris in permutandis captivis, *dubium* habitum, *quia non expectata in eo Senatus auctoritas erat.* Quid, quod tribunus pl. *legem ſe laturum fuiſſe de abrogando dictatori imperio minatur, ſi antiquus animus plebi Romanæ eſſet?* Quid, quod juſſu populi per Senatusconſultum *æquatum eſt magiſtri equitum & dictatoris imperium?* Eodem nimirum ſpectabat Dictatori permiſſa poteſtas, quo *forma SCti ultima ſemper neceſſitatis habita, ut videant conſules aut magiſtratus,* ne quid reſpublica *detrimenti caperet.* Quæ poteſtas (explicante *Salluſtio*) *per ſenatum more Romano, magiſtratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coërcere omnibus modis ſocios atq; cives; domi militiæq; imperium atq; judicium ſummum habere. Aliter ſine populi juſſu, nulli earum rerum conſuli jus erat.* Sicut autem, quamvis major, quàm dictaturæ, & rarius longe, permiſſa magiſtratibus poteſtas, formam reip. non mutavit: ita nec dictatore creato, talis mutatio ſtatui debet. Sed nec *Decemviri ſcribendis legibus* mutarunt formam civitatis: niſi quod magiſtratum in tyrannidem vertere, & fiduciarium jus ut proprium vindicare poſtea aggreſſi ſunt. Quo tempore, quantum ad jus magiſtratus attinet, merito *privati* cenſebantur. Videtur quidem *Hiſtoricus* mutatione Reipublicæ hunc Magiſtratum metiri, quando inquit: *An-*

Liv. 22. 11.
22. 23.
22. 25.
ibid.
Liv. 3. 4. & 6. 19.
Catil. 29.
Liv. 3. 39. & 41. & 49. & 51.
Liv. 3. 33.

Anno 302. *quàm condita Roma erat*; *iterum mutatur forma civitatis*, *ab Coſſ. ad Decemviros,quemadmodum ab regibus ante ad Coſſ. venerat,translato imperio.* Sed de hoc loquendi genere alibi actum eſt: neque magis hic magiſtratus, certam ad rem, certum in tempus conſtitutus, ſtatum civitatis, ſi accurate hunc ſignamus, mutavit, quam *Tribunatus militum conſulari poteſtate.*

Mutationes circa locum, non efficere, ut ſit alia civitas, recte *Ariſtoteles* notavit; ſi recte explicetur. Poteſt fieri, ut civitas eadem contrahatur, aut amplificetur locis, aut disjungatur intervallis. Hiſpanica hodie eſt civitas, noſtro loquendi genere, quicquid diſtantibus longe lateque locis, Hiſpanici juris eſt. Quod autem civitas pluribus nationibus, urbibus, pagis conſtans locum tota ſuo auſpicio arbitrioque mutaverit, exemplis nunquam affirmatur. Niſi quantum potior pars interdum attenditur, & ſedes imperii pro tota civitate nominatur; ſicut Athenarum civitas in claſſe, non in tectis & ædificiis urbis, tempore Themiſtoclis, verſari dicebatur. Afferunt & Romani decreti formulam, qua licet promiſſum eſſet Carthaginienſibus, πόλιν αὐτόνομον ἔσεσθαι καὶ ἐλευθέραν, *ſui juris & liberam fore civitatem*, ut eſt apud *Appianum*; Carthago tamen dirui poſtea juſſa eſt, ut alia ædificaretur loco à mari LXXX. ſtadiis remoto. Cumque fides promiſſorum exigeretur, obtendebant Romani, Carthaginem non in loco & muris, ſed in civi-

3. Pol. 2.

Libyc.

civibus eſſe. Καρχηδόνα γὰρ ὑμᾶς, οὐ τὸ ἔδαφος ἡγούμεθα, inquiebat Romanus. In qua re *Arniſaus*, inſultans Carthaginenſibus, quaſi non recte urbem à civitate diſtinxiſſent, incautiſſime abſolvit Romanos, quorum cavillationem merito incuſat Grotius. Sive enim ita egerunt, ſicut *Appianus* narravit, ſive *Diodori Siculi* narrationem ſequi placet, qui Romanos ait, in hac actione *nunquam* πόλιν τὴν Καρχηδόνα *nominaſſe, ac verbis expreſſiſſe, ſed ipſis* (Carthaginienſibus) *ſi obſides darent, promiſiſſe libertatem & cetera, eo quod humanitate formula duriora conſilia vellent abſtrudere*: ita certe cum Carthaginenſibus actum eſt, ut cum civitate & de civitate, non de urbe, actum cenſeri debeat. *Appian. Libyc. Relect. polit. lib. 1. c. 5. ſect. 2. §. 2. l. B. 2. 16. 15. Eclog. Legat. 27.*

De Urbe imperii ſede, multa ſunt, quæ de cetero dubitantur. Sicut autem translata alio ſedes imperii non ſtatim mutat civitatem, ita non omen modo, ſed via hæc eſſe poteſt ad ulteriorem mutationem.

Hominibus mutatis non mutari civitatem, oſtendit Ariſtoteles exemplo fluminis, aquarum decurſu aſſiduo non mutati: quod, poſt alios illuſtrat *Jo. Gryphiander de Inſulis*. *Grotius* autem locum *Taciti* affert, ubi contra Athenienſes male ratiocinatus ſit Piſo, quaſi poſt tot clades extinctis veteribus civibus, & ſubſtituta colluvie nationum, non eſſent jam Athenienſes. Recte, ſi Athenienſes ſpectamus, ut civitatem non ſubditam Romanis, ſed ſociam. Sed ademto imperio, non idem dicendum erit, *c. 14. extr. l. B. 2. 9. 3. 2. A. 55.*

I. B. 2. ſ. 9. ſicut ipſe *Grotius* oſtendit. At quod vulgo *Lucani* illud tantopere jactant,

--- -- *non ordo perdidit unquam*
Mutato ſua jura ſolo;

parum huc pertinet. Confuſa enim tumultu civili republica, nec nomina, nec jura priſtina, id ſunt, quod eſſe debent. Haud ita proclive eſt oſtendere, id Senatum fuiſſe, quod hoc nomine præſcribebatur. Et, ſi fuiſſe, vinceretur, nondum probatum eſt, id rempublicam eſſe: quæ non Senatus, ſed ſenatus populiq; imperio conſtabat.

Incidit hîc quæſtio, de unitis civitatibus: an una civitas alteri unita, maneat eadem? Non
I. B. 2. ſ. 9. amitti jura, ſed communicari, dixit *Grotius*, & exemplo Sabinorum, & Albanorum uſus eſt.
Liv. 4. 3. Quæ rem non expediunt. *Accepit T. Tatium* Sabinorum Regem *in regni ſocietatem Romulus*: nempe, quando interventu mulierum uterque
Liv. 1. 13. populus *non pacem modò, ſed & civitatem unam ex duabus fecerunt, regnum conſociarunt, imperium omne contulerunt Romam.* Quæ verba *Livii* ſatis oſtendunt, Sabinos ita acceſſiſſe Romanis, ut una eſſet civitas, Romana ſcilicet: Sabinis in communionem juris Romani aſcitis, quod
lib. 2. amplius *Dionyſius* exponit; & imperio duumvirali ad tempus inſtituto, manente nomine regio. Quinimo non per ambages *Hiſtoricus* oſtendit, rem ipſam & vera jura Sabinorum, in civitatem Romanam ceſſiſſe; inania quædam ſimulacra, de nomine Sabinorum uſurpata eſſe: *ita geminata urbe, ut Sabinis tamen*

ali-

aliquid daretur, *Quirites à Curibus appellati.* Liv. 1, 13. *Geminata urbs*, eſt acceſſione alterius populi amplificata; quo genere figuræ etiam Poëta:

Occiderat Tatius, populisq; æquata duobus, Ovid. metam. 14. v. 805.
Romule, jura dabas.

Non enim duo jam populi, ſed unus erat, additis Sabinis auctus. Expirante ergo temporario v. Bodin. de rep. 2. 2. duumviratu, morte Tatii, non creatus eſt ex numero Sabinorum alius collega, (ſicut fieri æquum erat, ſi manſura ſocietas imperii etiam in una civitate inſtituta eſſet,) ſed ab unius nutu omnia pendebant. Certum igitur mihi fuerit, hac conſociatione civitatem Sabinorum factam eſſe partem civitatis Romanæ, i. e. non manſiſſe civitatem, quicquid ſimulacri cauſſa obtenderetur: niſi quis velit, civitatem in civitate ſtatuere, quod eſt omni rationi adverſum.

In Albanorum caſu, etiam clarius res apparet, quando Tullus decrevit: *Populum omnem* Liv. 1, 28. *Albanum Romam traducere; civitatem dare plebi, primores in patres legere, unam urbem, unam rempublicam facere.* Facta decretis junguntur: *Roma creſcit Albæ ruinis. Duplicatur* 1, 30. *civium numerus. Principes Albanorum in patres, ut ea quoq; pars reip. creſceret*, Tullus *legit. & ut omnium ordinum viribus aliquid ex novo populo adjiceretur, equitum decem turmas ex Albanis legit. Legiones & veteres eodem ſupplemento explevit, & novas ſcripſit.* Omnis autem argumenti inſtar in eo eſt, quod Albani jam ante ſub imperio Romanorum erant, ex pactione Liv. 1. 24. duel-

duelli: *ut cujuscunq; populi cives eo certamine viciſſent, is alteri populo cum bona pace imperitaret*; quod *Livius* & uberius *Dionyſius* exequitur. Romani ergo, civitatem jam ſibi ſubditam, urbis primariæ excidio multabant, hominibus Romam translatis. Unionis & communionis dulcia vocabula, ſevero ſupplicio obtendi ſolent. Quod licet oratorum more *Florus* in animo haberet, non potuit non verum admiſcere: *Albam ipſam quamvis parentem, æmulam tamē diruit, cum prius omnes opes urbis, ipſumq; populum Romam tranſtuliſſet: prorſus ut conſanguinea civitas non periiſſe, ſed in corpus ſuum rediiſſe rurſus videretur.* Ejusdem generis delinimenta ſunt, quæ Romanus Cos. apud *Appianum*, de utilitate Albanis quæſitâ, diſſerit.

lib. 3. — *lib. 1. c. 3.* — *in Libyc.*

Sed, ut ad *unionis* uſitata hodie nomina redeamus, non eſt moris noſtri compilare ſcrinia aliorum, qui abunde ad materias Utriusq; Juris de ea re conſignaverunt. Quin potius tritam philoſophorum veſtigiis ſemitam ſecuti, breviter & partite adferemus, quibus hæc diſputatio nititur. *Uniri civitates diverſæ, ut maneat quæq; quod fuit, non poſſunt, niſi per modum arctioris fœderis; quod imitatur quidem naturam civitatis, civitas tamen, ut accurate nunc vocabulo utimur, non eſt.* cujus rei celebria exempla Politici agnoſcunt in *concilio Amphictyonico*, & *Achæorum ſocietate*, quam & ob ſimilitudinem, & τὸ συμπολίτευμα, *Achæorum remp.* appellitant.

Bodin. 1. de rep. 7. — *Polyb. lib. 2.*

In recentioribus Belgico-Germaniæ exemplum huc accommodat *Grotius*. Sed & hæc *Reſpu-*

In Apologet. c. 1.

Reſpublica Belgica dicitur ob ſimilitudinem. Quando enim cum hoc corpore agitur, ita agi ſolet, tanquam cum uno populo, & cum una civitate. Ita in *Induciis*, tanquam *cum libero populo*, Hiſpani pacti ſunt. Ne de infinitis exemplis dicam. Atque hoc ſolum ac unicum genus unionis eſt, quam vulgo deſcribunt, quod fiat ſalva cujusque rei natura & conditione. In reliquis generibus, favor ejusdem vocabuli quæritur: cum res ipſa diſcrepet, fiatque, *ut in dignioris acceſſionem veniat, quod minus dignum eſt*; & *pars unita majori, illius appendix fiat*, ut in aliis exemplis loquuntur. Arcanis aliquando politicis hoc continetur, ut diſſimuletur, aut diverſa ſpecie obducatur hoc negotium; ſicut *Unio Magna Britannia* hoc ſæculo oſtendit, ubi non ſine ratione augurabantur Angli apud Hiſtoricum: *novi regni inſtitutione, alterius antiquioris memoriam diſſolvi & extingui.* Sub uno jure erant, quæ ſub unum nomen redacta ſunt. Neq; quenquam hîc decipiat *priſtini moris, priſtini juris* mentio. Non enim ſemper, plenam αὐτονομίαν capere debes, cum hoc audis. Poteſt provincia aliqua, ſive pars civitatis, privilegia quædam habere; non tamen propterea minus agnoſcit imperium civitatis. Victoris inter artes eſt, de priſtino more eorum, quos vicit, nihil mutare: neque ideo victi ſtatim ſeorſum civitatem conſtituunt; aut manent prioris civitatis pars. *Relicta igitur fuerit aliqua civitas de cetero ſuis legibus, ſed agnoſcere tamē jubeatur imperium alterius civitatis,*

Baud. in duc. bell. Belg. lib. 3.

Thuan. lib. 131. pag. 1180.

 jam

jam non manebit ipſa civitas, ſed erit pars ejus, cujus ſuprema poteſtate continetur. Fac etiam, *populum aliquem, qui civitatem per ſe conſtituebat, aſciri per unionem in aliam civitatem, quæ ex pluribus ordinibus, tanquam optimatibus conſtet, ut eodem jure ſit, quo ſint reliqui ordines, id eſt, particeps imperii:* tum ergo neq; ſeorſum eatenus civitas erit, neq; αὐτονομίαν veram habebit; ſed ut pars corporis cenſebitur: ſicut ſinguli optimates per ſe nihil juris publici habent, ſed vi collegii, perſonam civitatis referunt. *Quid, ſi etiam mixto in ſtatu, quæ ſeorſum fuit civitas, veniret in partem mixtionis, & quædam jura majeſtatis poſſideret?* neq; ſic aliter, quàm pars hujus mixtæ civitatis æſtimari poteſt. Mixta enim civitas, non niſi una civitas intelligitur. *Quando* autem *civitas, populus, regnum, ſui vere juris, ratione ſoli aut territorii, jus partis in alia civitate nanciſcitur*; id ſicut ſtatum civitatis ipſius ſeorſum exiſtentis non ſpectat; ita cum modis uniendi, quos hactenus attingimus, confundi non debet.

Tranſimus jam ad eas mutationes, *quibus efficitur, ut civitas non ſit eadem.* Quo etiam *coloniarum* aliquæ pertinent. Illæ quidem coloniæ, vel militares ob uſus, vel alias ob cauſas ita deductæ, ut maneant pars civitatis matris, ſive majoris patriæ, alterius generis ſunt. Sic Hiſpanorum, Anglorum, Belgarum, Gallorum coloniæ in Americanis inſulis, ditione ſuæ quæq; civitatis continentur. Sunt autem aliæ *coloniæ* (ſignificat enim vox, quamvis ex alia

civi-

civitate natam urbem vel civitatem) quæ ſeorſum civitatem conſtituunt, neque partes ſunt originis ſuæ. Sic olim, cum in *ver ſacrum* dimitteretur manus, factura non urbem modo, ſed civitatem ſingularem, quantum ad jura majoris patriæ attinet. Quemadmodum autem hi ſacri exules erant; ita aliorum exulum eadem fortuna eſſe potuit, & ſæpe fuit, ut novæ civitatis auctores exiſterent. Didonis fuga peperit Carthaginem. Et hæ quidem coloniæ αὐτόνομοι, ſicut ſeorſum civitatem conſtituebant, ita majorem patriam cultu quidem ac honore, & quadam quaſi in parentes pietate afficiebant. quæ γίερ diligenter colligit doctiſſimus *Henricus Valeſius*; imperium tamen majoris patriæ non agnoſcebant. Unde male ratiocinantem Metium, ab honore ad jus imperii, *quaſi æquum eſſet coloniam Romam civitati matri Albanis parere*; graviter coarguit Tullus; *quod nec jure, nec more hoc poſtuletur*; exemplisq; oſtendit, *nihil eſſe uſitatius, quam coloniam metropoli imperare*, apud *Dionyſium Halicarnaſſeum*. Illæ quoque coloniæ, quæ ex Trojani excidii cineribus paſſim ſunt diſſeminatæ, non partes Trojanæ civitatis, quæ interierat; neque translatio civitatis ejusdem fuerunt; ſed vel acceſſerunt, ut partes, aliis civitatibus: vel ex reliquiis illis Trojanorum civium, novo ortu novæ civitates extiterunt.

Cl. Berneger. ad Iuſtin. 24. 4. 1.

ad Excerpta Peireſ. p. 6. & 7.

lib. 3. Grot. l. B. 2. 9. 10.

In hoc genere mutationum, quo efficitur, ut non eadem ſit civitas, duo incomparabilia exempla habet omnis ævi hiſtoria:

diviſionemGræci imperii poſt Alexandri mortem; & *Romani Imperii ſolutum, ac in partes diſſilientem contextum.* Utrumque tetigit *Grotius:* & judicium de priori, ut arbitror, ſumſit ex *Bodino.*

l. B. 2. 9. 10. & 11.
4. de rep. 1.

Verum eſt: ex una illa civitate, i. e. imperio Alexandri, extiterunt diverſæ civitates complures: ſed paulatim. Nam ab obitu Alexandri, quantum ad formam actorum publice attinet, manſit una civitas, Alexandri poteſtate in Aridæum, cui Philippo nomen indiderunt, translata; cui mox natum ex Roxane filium adjunxerunt collegam. Hæc palam, & aperte. Ut diviſio illa imperii, Perdiccæ primum, ſubinde Antipatri arbitrio facta; non niſi præfectos & curatores provinciarum ſive partium unius civitatis, i. e. imperii quod Alexander tenuerat, deſtinaret. Sed, quantum ad arcana propoſita horum præfectorum attinet, veriſſime pronuntiavit *Curtius*, ipſos *ſpecie imperii alieni procurandi ſingulos ingentia invaſiſſe regna.* Id quod poſtea ſcilicet, & ex eventu patuit: opportunitate oblatâ ex imbellia & infirmitate Aridæi: qui ne modici quidem fati idoneus hæres, tanto imperio ſuſtinendo prorſus impar erat. De altero exemplo Romani imperii, ubi *Grotius* non videtur ſui nominis memor fuiſſe, præſtat hic ſilere, quàm paucis agere.

Arrian. apud Photiū cod. 92. ubi Andr. Schotti not.
lib. 10. c. 10.

Mutationes quibus efficitur, ut civitas deſinat eſſe civitas, feliciter exequitur *Grotius.* Cumq; vi vel majore, vel humana illæ fere conſtent, non poteſt eſſe res obſcura, quæ ſe ipſa demonſtrat & oculis ingerit.

l. B. 2. 9. 4. & 5. & 6.

Redeun-

Redeundum ergo eſt ad illam quæſtionem noſtram, *quando civitas egerit, non modo eadem, ſed ejuſdem formæ ac ſtatus?* Occurrunt hîc acta à magiſtratibus, curatoribus, legatis, miniſtris civitatis. Cujus generis ſunt ſponſiones, ſicut in exemplo Caudinæ ſponſionis fuſe diſputatur apud *Livium*; & explicatur apud *Grotium.* *lib. 9. cap. 8. & ſeqq.* Quin tamen ſeriis & gravibus argumentis, *l. B. 2. 15. 3. & 16.* inania quædam acceſſerint, non negaverit, qui illud ludibrium conſiderat, cum *Poſtumius* deditus genu fecialis Romani magna vi perculit, inquiens, *ſe Samnitem civem eſſe, illum legatum, fecialem à ſe contra jus gentium violatum; eo juſtius bellum geſturos.* *Liv. 9. 10.* De qua πανουργίᾳ merito queritur Pontius Samnis, & increpat: *Ita dii credent, Samnitem civem Poſtumium non civem Romanum eſſe,* (fuiſſet ſane civis Samnis, ſi deditio accepta eſſet, non tamen inde conficeretur, quod ſequitur) *& à Samnite legatum Romanum violatum. Eo vobis juſtum in nos factum eſſe bellum. Hæc ludibria religionum non pudere, in lucem proferre, & vix pueris dignas ambages ſenes ac conſulares fallendæ fidei exquirere?* Sed de illis quidem, qui præter terminos mandati agunt aliquid, dictum eſt alibi. Nonnunquam autem *Diſſert. de religione mandati.* de formula & ſignificatione mandati dubitatur. De bello Julii Cæſaris in Arioviſtum, alibi egimus. Tractaturq; ſpecioſe hic locus apud *Dionem:* *lib. 39.* quanquam non tacet *Hiſtoricus* cupiditatem bellandi in Cæſare, & quæſitas ſtudioſius occaſiones. Quo rerum animorumq; habitu, iterum quæri ſolet: an actum à civitate haberi

debeat, cujus agendi poteſtatem acceperat quidem actor, ſed præpropere & animoſius exercuit? Quales errores, cum non poſſint in actionibus humanis ad liquidum redigi, aut minutatim demonſtrari; humanius videtur omitti diſputationem in ambages & tricas ituram.

Excerpt. legat. 58. Sine controverſia autem transgreſſus eſt mandata ſuæ civitatis Callicrates apud *Polybium* Achæorum legatus; imo mandatis contraria in Senatu Romano diſſeruit. Quod ut poſſet audere, contrariæ domi factiones efficiebant. Reliquorum interim legatorum ſilentium nullo modo excuſandum eſt: qui cum Callicratis proditionem minime probarent, non ſunt auſi tamen contra hiſcere. Quæ res monere poteſt civitates, in quibus præſertim non omnes eadem de republica ſentiunt, ut videant, quos ſuæ voluntatis interpretes legant, aut colligant. Achæis certe hoc initium mutatæ in deterius reipublicæ, *Hiſtoricus*, fuiſſe oſtendit. Romani enim, licet ſatis ſcirent, civitatis mentem longe aliam eſſe, quàm ex legato proditore audierant, hanc occaſionem ſuam eſſe rati, libertati Achæorum imminebant.

Servabimus ordinem quæſtionum per varias rerumpubl. formas. In Regnis, vere talibus, acta Regis ſunt acta civitatis. Etiam cum præter voluntatem Senatus aliquid fit. Pro ingenio & indole Regum (ſemper de vero regno loquimur, non de mixto ſtatu) major minorve ſolet eſſe Conciliorum & Senatus auctoritas.

Ea

Ea occaſio & materia diſputationis: quæ non alio in regno, majore libertate ac eloquentia mota ſæpius eſt, quàm in Gallia: ubi Curia jus admonendi Regis de edictis conditis, habet. quousque? an etiam in publicis negotiis reliquis? Senatoriæ auctoritatis patroni extendunt: Regis, ut Herculis, partes, non patiuntur ſibi clavam è manibus extorqueri; vincuntque: acta civitatis eſſe, quæ regi placuerunt, etiamſi curiæ diſpliceant. Diſputatum eſt acriter hac de re in Curia Pariſienſi anno hujus ſæculi vicesimo, Verduno Senatus Præſide, auctoritatem ordinis vindicante; Væræo Regiam majeſtatem in omnibus ſummam & irrefragabilem demonſtrante & evincente, ſicut uberius refert *Bartholomaus Gramondus*. Jus regium non ſegniter paſſim tuetur, qui *de miniſteriis Cardinalis Richelii* ſcripſit. *Permiſſam*, inquit, *à Regibus Senatui admonitionem, quotiens modeſte uſurpatur, nec ut proprium jus vindicatur, magna auctoritatis eſſe. Neq; tamen obligari Reges, ut ſententiam Senatus exquirant, aut eam omnino ſequantur. Licet enim alibi certis ſub legibus ſuſcipiatur regnum, aut ab ordinibus pendeat, Gallorum tamen Reges indefinita & libera poteſtate imperare.* Similia de Anglorum Regibus legas; quod licet maximam Senatus auctoritatem agnoverint, regio tamen juri intercedere eam noluerint; & prudentiæ quidem cauſſa ſæpius ad curiam retulerint, quæ ſui juris eſſe de cetero non dubitaverint. De Henrico VII. ſummatim *Baconus*: *Monetarum regimen, & belli ac pacis*

lib. 5.

Hiſt. miniſter. Cardin. Rich. lib. 6. c. 5. adde lib. 8. cap. 28.

Hiſtor. Henr. VII.

pacis tractatus & conſilia, & rei militaris adminiſtrationem, (quæ omnino abſoluti juris ſunt) ſæpenumero ad Comitiorum regni deliberationes & ſuffragia referebat. Neq; Eliſabetha dubitavit ſubinde Curiam, modeſtiæ admonere, & reverentiam juris Regii ordinibus commendare, imo plenis comitiis denunciare; *caverent Principis patientiam lædere.* Cujus generis ſententiæ male accommodantur adulantium artificio iis Principibus, qui adſtrictam lege & partitam cum Ordinibus poteſtatem obtinent: ut paulo poſt dicetur.

Camden. part. 1. an. 1565.

Quid? ſi in regno accurate ſic dicto Sejanus aliquis, Principem ſuis præſtigiis huc illuc agitat, & indebitam privato arbitrio poteſtatem ſibi vindicat. An quæ egit, Regis, id eſt, civitatis acta videbuntur? Dicet ſententiam contra, Rex, ut primum ſomno excuſſus, alienorum peccatorum pudorem non feret. Et dicet regie: ut omnes intelligant, non impune attrectari jura uni debita, cui Deus dedit. Recte monuit *Antonius Perezius Ducem Lermæ: Cum S. Joannes ad pedes Angeli cujusdam, illum adoraturus, abjicere ſe vellet, Angelus interceſſit his verbis: cave feceris; conſervus enim tuus ſum. Sibi dictum hoc putet Aulicus, & quanto demiſſiore cultu adorari ſe à gentibus videt, tanto magis illos ſibi nocituros honores repellat, & non magis alios, quam ſe Principis miniſtrum eſſe cogitet. Moderetur itaq; fortunæ ſuæ, dicatq;: vide ne feceris; etenim conſervus tuus ſum.* ---- --- Tandem enim in Principe *ſubſilit & excitatur naturalis*

in Epiſtol. ad ipſ.

ille Zelus, affectus amore multo potentior, qui æqualem ferre nequit, ſed omnes ſcire vult, quanta inter Dominum & ſervum ſit differentia. Fit hoc, ubi intra tyrannidis facinora, ſola ambitione peccatum eſt. Quid, ſi Regii nominis obtentu miniſter tyrannus graſſetur? *Dura neceſſitas hominibus liberis, qua tyranno parere coguntur ſub bono Principe,* inquit ille, qui perſuadet Regi, ut publica uſurpantem, ultimo ſupplicio privatæ ſortis admoneat. Quod cum factum eſſet, *placuit in mortuum lege agi, quo traducta ad poſteros viri memoria, qualis vixerat, amoveret ſuſpicionem injuſtæ cædis: tyrannidis uſurpatæ, amotæ pecuniæ publicæ, populi oppreſſi poſtulatio in ipſum inſtituitur, actore Advocato fiſci.* *Gramond. lib. 2. hiſt. de Ancrao.*

In *Ariſtocratia*, conſideraturis diligentius hanc quæſtionem, opus eſt ad diverſa hujus reipublicæ genera attendere. Eſt enim Ariſtocratia alia ſimplicior, & uno collegio, nec nominibus, nec jure diſtincto comprehenſa: alia autem pluribus collegiis diſtinguitur, lateque diffunditur. In utroque genere, non tam arbitria hominum, quàm leges valere debent, ut valeat publica civitatis auctoritas. Sed in priori genere, ut minus periculi, ita rarior in hac quæſtione dubitatio. Niſi quis eadem in oculis habeat, quæ modo de regno dicta ſunt. Nam ſi in Ariſtocratia fiat, ut ceteri ejuſdem juris participes: paucis aliquibus concedant, eorumque de ſententia omnia decerni, agique patiantur, plerumq; bona cum pace & gratia res tranſigitur, ſicut exemplis *Livianis* conſtat: neque *l. VI. c. 6. & l. III. c. 70.*

diſpu-

diſputatur de auctoritate reipublicæ. Si autem obliquas per artes, & ceteris ægre ferentibus, pauci aliqui omnia ad ſe trahant; tum, ſi mature auctoritas legum opponatur, facile impediri poteſt, ne res in oligarchian degeneret. At ubi Ariſtocratica vis collegiis laxius diſtributa eſt, non minimi momenti dubitationes, & niſi præcidantur, contentiones de republica oriri poſſunt. Finge; *Collegio cuidam, i.e. certo numero de optimatibus commiſſam eſſe adminiſtrationem ſolennem & ſtatam magni, & ad rempubl. ſpectantis negotii: ſed nomine & jure omnis optimatium ordinis exercendam. Illud collegium autem, paulatim proprio nomine, & ut ſui juris negotium id tractare.* Poteſt enim fieri, ut ab initio ſatis clara res ſit, adeoque formulis ſcripturæ, quas ſolicitudo & cautio futuri gignit, non perſcribatur: progreſſu autem temporis non æque in obvia luce conſtituatur. Parata jam erit quæſtio: an, quia non cautum eſt diſertis literarum verbis, rerum primordia non ſatis argumenti habeant? tum inprimis (ut ad auctoritatem publice actorum revertamur) an non reliquo ordini optimatium, cujus nomine anguſtior numerus tractandum accepit negotium, jus fasque ſit intercedere, agendi modum definire, ſententiam ſuam interponere? an commiſſum quidem, ſed ordinarium, ſolenne, hæreditarium munus omnem cenſuram & examen & participationem reſpuat? an ipſa committendi ratio, auctoritatem committentium integram æternamque præſtet? Finge am-

amplius: *Collegia quædam, dignitatis & conditionis ſuæ ratione diſtincta, pari jure ad certum negotium concurrere: prærogativam autem ordinis & loci liberalius de prærogativa juris explicari: aut par jus, ad diſparem exercendi rationem ablegari.* Quæſtiones, inquam, poſſunt hic oriri, quarum exempla nemo lubenter diſceprat.

In *Democratia* validam, de auctoritate publice actorum & agendorum, quæſtionem movet *Lyſias*, quando ad Athenienſes mirabundus inquit: ὑμῶν ἤ ἄξιον θαυμάζειν, ὅτι οἴεσθε μὲν δημοκρατίαν εἶναι, γίγνεται δ᾽ ὅ τι ἂν οὗτοι βούλωνται. *Merito vos miretur aliquis, quod putatis Democratiam ſive populare imperium eſſe, & fit tamen quodcunq; iſti volunt.* Demagogos intelligit: quos & graphice deſcribit: ſicut & *Demoſthenes* & *Iſocrates* paſſim. Sed quotiens populus evigilat, & ſe deceptum intelligit, exitium ſibi hi tales inveniunt. Id quod evenire etiam ſolet in magiſtratuum actis, præter legum præſcripta, & mentem populi actis. Sed, quæ alias hîc dubitantur, ex iis, quæ dicta ſunt, & dicenda, dijudicari poterunt.

Orat. 24. περὶ τοῦ δήμου καταλύσεως.

Crebrior enim diſputatio eſt *in mixto ſtatu reipublicæ*, quid civitas egerit. Non eſt alibi plus opportunitatis ambitioſis & novis conſiliis. Prima fraudis in hoc genere origo, ex ipſa deſcriptione mixti ſtatus: quotiens à *mixtura*, *temperamentum* non diſtinguitur. Illa enim vox unice ad formam civitatis; hæc ad modum adminiſtrandi, haud raro à forma nonnihil diſcrepantem, referenda eſt, ſi accurate veli-

velimus loqui. Non, quaſi non permutari illas contingat; ſed quod philoſophari volentibus omnis confuſio vitanda eſt. Notum eſt, non dari fere hodie Democratias, niſi Ariſtocratice, non mixtas (aliud enim id eſt) ſed temperatas, qualem Athenis omni ope conſilioque optabat *Iſocrates*, adeo, ut non aliud ſibi in republica negotium potius dari arbitraretur. Si temperamentum iſtud Ariſtocraticum, de mixtura interpretaberis, jam data eſt via quæſtioni, de qua agitur. Sub *temperamentis, ſimulacra* etiam continentur. Quæ pro veris rerum momentis, & pro jure reipublicæ venditare, inter artes politicas, variis de cauſſis, adhibetur. *Contareni* calamo ita deſcribitur, ex propoſito quodam ſecreto, Venetorum reſpublica, quaſi ex Monarchia, Ariſtocratia, Democratia mixtus eſſet ſtatus, cum nihil aliud quàm Ariſtocratia ſit: neq; ex aliis formis quicquam trahat præter temperamenta & ſimulacra.

de rep. Venet.

Sicut autem ex temperatione ad rationem agendi pertinente, facere mixturam, quæ participatione jurium majeſtatis definitur, multis ſolenne eſt: ita mixturam pro temperamento interpretatur vel ignorantia philoſophiæ civilis, vel adulatio, & ſua cuique utilitas. Præſertim in *ſtatu ex Monarchia & Ariſtocratia mixto.* Ibi enim principem, quotiens primus eſſe debet, ſolum volunt aſpectare, qui aulam patriæ, domum reipublicæ præferunt. Hi civitatis & reipublicæ nomine præſcribere, pleriſque imperii conſortibus ignorantibus, aut contra-

contradicentibus geſta: ex conſortibus imperii, conſiliarios; ex imperantibus, magiſtratus; ex domeſticis, peregrina; ex novis, vetera, artificio plusquam Colchico ſolent.

Ceterum in hac quæſtione tractanda prorſus ferri non poſſunt, illa *Arniſæi: Ubi diſtinguit inter contractus, qui ineuntur à ſola majeſtate; & qui ineuntur ab omnibus civibus.* Nihil enim certius apud Philoſophos hac ſententia: quicquid majeſtas agit, ſive, quicquid habentes majeſtatem agunt, id à civitate, atq; adeo ab omnibus civibus actum cenſeri debet. Neq; quicquam abſurdius dici poteſt, quàm ſummam poteſtatem civitatis, civitati opponere. In quemcunq; enim vel quoscunque, civitas ſummam poteſtatem contulit, ille vel illi referunt perſonam civitatis. Si ergo omnium civium poteſtas ſuperior erit majeſtate; duo ſumma in eodem ordine ſtatues; & uni corpori duo capita impones, id eſt, monſtrum facies. Fruſtra excipit *Arniſæus: neque enim majeſtas ubiq; repræſentat totam rempublicam: inprimis in rebuspubl. corruptis.* Vaga hæc ſunt & nullo ſcientiæ fundo concepta. Niſi enim argutari velis in vocabulo majeſtatis, ſumma poteſtas ubique eſt unica cauſſa actorum à civitate aut agendorum. ſicut autem civitas, etiam iniqua agens, non ſtatim deſinit eſſe civitas: ita ubi ſumma poteſtate abutuntur, qui ea præditi ſunt, non ſtatim ſolutus intelligitur ille ordo quo civitas eſt civitas. Quod *Ariſtoteles* ſæpe inculcat. Et exemplo Democratiæ vitioſæ oſtendit. Quod ſi conſideraſſet *Arniſæus*, non ſubjeciſſet priori-

Relect. polit. lib. 1. c. 5. ſect. 4. §. 4. &c.

bus iſta: *in omni enim prolapſa republica agitur contra bonum totius civitatis; & proinde contractus nequeunt toti reipublicæ imputari; ſed manent penes eos, qui in fraudem reipublicæ contraxerunt*: Abunde enim hæc profligantur exemplo Ariſtotelico Democratiæ vitioſæ. In qua ſi tota multitudo contra bonum ſuæ civitatis egit, penes quos manebit culpa male actorum, à civitate ſcilicet, ut vult Arniſæus, removenda? Illud quoq; poſtea crude adjicitur: *Quin & ipſo jure nulla ſunt, quæ contra utilitatem publicam contracta ſunt, ſive ab injuſto reipublicæ poſſeſſore contrahantur, ſive à juſto.* Latet fraus in præſcriptione *utilitatis publicæ*: quæ nec in una rep. uno modo æſtimatur: adeoq; non niſi expreſſis exemplis intelligitur. Dicent aliqui, utilitatem publicam eſſe, quæ omnium omnino civium commoda ſpectat. Atqui ſunt civitates, nec ſtatim tyrannidis damnandæ, ubi omnia præcipue ad unius commodum referuntur. Quid oppones illius contractibus, qui civitatem in patrimonio habet, etiamſi cives nõ exiſtiment ad ſuam utilitatem iſtos pertinere? Sed hæc hactenus.

Qui interim à civitate agenda, ſibi vindicant, illi profanas rebus ſacris manus admovent, id eſt, ut clarius dicam, læſæ majeſtatis rei ſunt. Apud *M. Seneoam* annotatur: *Is lædit populi Romani majeſtatem, qui aliquid publico nomine facit: tanquam ſi legatus falſa mandata affert, ſic audiuntur tanquam populus Romanus illa dederit. Imperator fœdus percuſſit, videtur populus Rom. percuſſiſſe, & continetur inito fœdere.* Et præ-

lib. 4. controverſ. 2.

præceſſerat quod repetitur *in excerptis: In eo quod ſub prætextu publicæ majeſtatis agitur, quicquid peccatur, majeſtatis actione vindicandũ eſt.* *lib. 9. declam. 2.* De *fœdere* ſic accipe, ut à ſponſione diſtinguas: nempe, ſi Imperator, cum non niſi ſpondere poſſet, fœderis faciendi poteſtatem, quaſi à civitate ſibi permiſſam, vindicaſſet, ac civitatem ignaram invitamque obligare voluiſſet. Accurate enim omnia hîc capienda ſunt; neq; illuc deſcendendum (quod ap. *Senec.* diſputatur) ut, quicquid magiſtratus obtentu publici officii, peccat, hoc crimine cenſendum ſit. Si enim ita accipiat illa verba; *in eo, quod ſub prætextu p. m. agitur*, explicatione opus habebunt.

Annotatum eſt antea, civitatem, quæ æs alienum contraxerit, cum libera eſſet, non ſolvi debito, ſi in formam provinciæ redigatur, & fiat pars alterius civitatis. *pag. 692. & ſeq.* Verum hoc eſſe putamus, etiamſi bello facta ſit hæc mutatio: cum hac tamen exceptione, niſi hoſtibus victoris debeatur ea pecunia. Jus enim belli non modo in bona & corpora hoſtium, ſed etiam in jura eorum porrigitur. Si autem debeatur nonhoſtibus; tum victor, ſi laudem juſtitiæ amat, non debet intercedere juri, quod natura dictat. niſi quod, neceſſarias ob cauſſas differri tempus ſolutionis poſſe, fatendum eſt. Quid? ſi hoſtibus tuis alii debent pecuniam: poteriſne debitoribus hoc nomen remittere? Manente bello, fruſtra & ſine effectu hoc tentaveris. Sed ſubacta civitate creditrice, & firmata poſſeſſione, ſi hoc feceris, jam de tuo liberalis eſſe poteris. Videatur *Grotii* demonſtratio. *l. B. 3 8. 4.*

Decivitatibus iniqua agentibus, aut ex iniquorum cœtu conflatis, etiam recte putamus *Grotium* definiviſſe. *I. B. 3. 3. 2. & 3.* Ubi etiam de corruptis civitatibus aliquid annotatur. In quibus haud facile eſt pronuntiare, niſi poſtquam corruptiſſima reſpublica, ad alium aut meliorem ſtatum emerſerit. Figuras quoq; non oportet accipere, ut proprie dicta. Quid uſitatius, quàm magnam aliquam corruptionem, aut converſionem, ut everſionem & deſtructionem exaggerare? κακοπολιτείαν pro ἀναρχίᾳ interpretari? concuſſionem pro interitu? Quæ in hac quæſtione probe diſcernenda ſunt. *Arniſæo Relect. polit. lib. 2. c. 1. ſect. 2. §. 16.* Qui πονηρόπολιν Philippi Macedonis adferunt, cum de civitate deſcribenda agitur, non ſatis attendunt, quid dicant. Non fuit illa civitas, ut hîc accipitur; ſed in magna civitate, loco ſepoſito, quædam quaſi cuſtodia, continendis ſeorſum, qui cives ceteros inquinaturi erant ſuo convictu. Sicut ex *Theopompo Suidas* tradit. *Voce πονηρόπ.*

Apud *Juſtinum* cum Cyrus ademtum Medis imperium in Perſas intulit, *civitates, quæ Medorum tributariæ fuerant, mutato imperio, etiam conditionem ſuam mutatam arbitrantes, à Cyro defecerunt.* *1. 7. 2.* An recte exiſtimaverint, conditionem ſuam mutatam, non poſſe recte dijudicari hodie, cenſet *Grotius*, quando non extent conventionis verba. *I. B. 2. 16. 16.* *Spectandum enim, an in conventione Medorum fidem elegiſſent.*

In fine hujus diſſertationis, nobile exemplum diſputationis *de eo quod civitas egit* commendamus lectori, in hiſtoria Camilli, obſeſſo Capitolio electi, apud *Livium libro quinto.*

DIS-

DISSERTATIO II.

DE

MENSURA PRETII,

Ad H. Grotii lib. 2. c. 12. §. 14.

AD ſocietatem civilem colendam, quam ipſa natura hominibus commendat, non parum facit indigentia mutui auxilii, quo diverſarum rerum, actionum, operarum commercio atque communicatione obtineatur id, quod ad vitam felicem omnium & ſingulorum ſufficere videtur. Quotiens autem diverſi generis res commercio quodam permutari debent, comparatione & exæquatione earum opus eſt, ne alter plus habeat, alter minus: quod à juſtitia, virtute vere civili, & ſocietati tuendæ deſtinata, alienum eſt. Quomodo iſta exæquatio fieri debeat, non perfunctorie diſputat Ariſtoteles in Nicomachicis, & ſummam in id confert; ut natura quidem & re vera, indigentia ſit illa menſura, quæ res diverſiſſimas comparat æquatque; in locum autem indigentiæ ex inſtituto ſuccedat nummus, στοιχεῖον καὶ πέρας τῆς ἀλλαγῆς, ut alibi vocatur, elementum & terminus ſive inſtrumentum commutationis rerum. Verba ſunt: δεῖ ἄρα ἑνί τινι πάντα μετρεῖσθαι ---- ---- τοῦτο δ᾽ ἐστὶ τῇ μὲν ἀληθείᾳ ἡ χρεία, ἣ πάντα συνέχει. εἰ γὰρ μηθὲν δέοιντο, ἢ μὴ ὁμοίως, ἢ οὐκ ἔσται ἀλλαγὴ, ἢ οὐχ ἡ αὐτή. οἷον δ᾽ ὑπάλλαγμα τῆς χρείας τὸ νόμισμα γέγονε κατὰ συνθήκην. *Oportet igitur unum quid eſſe,* *lib. 5. cap. 5.*

quo omnia (quæ commutantur inter ſe) *metiamur. Id autem revera quidem eſt indigentia, quæ cuncta continet. Niſi enim indigerent aliqui, aut non pariter, vel nihil mutaretur contraheretur-ve, vel non eodem modo. In vicem autem indigentiæ ad res commutandas ſucceſſit nummus ex inſtituto.* Contextum philoſophiæ Ariſtotelicæ eleganter exhibet in iis quæ præceſſere, *Michaël Epheſius:* ἡ κοινωνία ἐστὶ διότι ἀλλάσσομεν· ἀλλάσσομεν δὲ διὰ τὴν ἰσότητα. ἴσα δὲ γίνεται, διὰ τὴν συμμετρίαν. συμμετρία δὲ διὰ τὸ νόμισμα. ὥστε μὴ ὄντος νομίσματος συμμετρία οὐκ ἔσται. συμμετρίας δὲ μὴ οὔσης, οὐ δι' ἀλλαγή. τῆς δι' ἀλλαγῆς οἰχομένης, οἴχεται καὶ ἡ κοινωνία. *Communitas inde eſt, quod contrahimus res & commutamus. Commutamus autem propter æqualitatem. Æqualia fiunt per convenientiam, ſive eandē menſuram. Convenientia eſt per nummum. Nummo enim ſublato, non erit convenientia ejuſdem menſuræ, ſive comparatio ad eandem menſuram. Sublata tali convenientia, non contrahetur commutatio. Sublata commutatione, intercidit communicatio ſive communio.* Quod ait, *ſublato nummo, non fore aliquam rationem reperiendæ æqualitatis*, ita accipi debet, ut abſque nummo interdum difficulter eam reperiri dicamus. Ante nummum inventum, non fuit nulla ratio reperiendæ æqualitatis, ſed interdum difficilior, in permutandis rebus. Cetera jam melius & clarius *Andronicus Rhodius* exequitur: ἡ μὲν οὖν χρεία φύσει καὶ ἀληθείᾳ μέτρον ἐστὶ τῶν πραγμάτων. αὕτη γὰρ πάντας εἰς ἓν συνάγει. νόμῳ δὲ καὶ κατὰ συνθήκην τὸ νόμισμα. *Indigentia ergo natura & revera men-*

menſura eſt rerum; illa enim omnes ad communionem adducit, ſive in unum omnes cogit: ex inſtituto autem, nummus. Qui ſcilicet eſt ὑπάλλαγμα τῆς χρείας ſive in locum indigentiæ ſuccedit. διὰ τούτων τοίνυν τῶν μέτρων γνωσθείσης ἑκάστου τῆς ἀξίας τῶν ἔργων, ἀλλαγὴ ἰσόρροπος ἔσται καὶ κατὰ τὸ ἀνάλογον. *Cognito ergo per has menſuras uniuscujusque rei pretio, commutatio proportione & æqualitatis momento fieri poterit.* Ex quibus apparet, aliter indigentiam, aliter nummum ad res metiendas adhiberi: & indigentiam quidem naturaliter non modo ad contrahendum impellere, ſed aliquando etiam pretium ipſum metiri ſive definire; nummum vero, accurate loquendo, non definire pretium, ſed eſſe pretium: neq; adeo tam menſuram rerum commutandarum quàm inſtrumentum commutationis ex conſtituto præſtare. Propoſitis enim exemplis Ariſtotelicis reperiendæ æqualitatis rerum interveniente nummo, ſemper adhuc quærendum erit, unde & quomodo æſtimatio rerum taxatioq; debeat fieri, ut menſura pretii definiatur.

Pretium in hac quæſtione nobis eſt non pecunia tantum, ſed in permutatione etiam rerum, is à quo contractus incipit, ſive qui pro ſua re aliquid ſibi dari poſtulat, alteri eam, ut pretium pro re invicem accipienda tradere intelligitur. Neque minus emtio habenda eſt, quæ ita contrahitur. Recte enim *Plinius* in *hiſt. nat. 33. 1.* laudanda permutationis conſuetudine, Homeri auctoritate uſus, *Ita enim*, inquit, *ut opinor, commercia victus gratia inventa: alios coriis boum, alios, ferro captivisq; rebus emtitaſſe tradit.*

 Quid?

Quid? quod accidere tot poſt inventum nummum ſæculis potuit, ut penuria pecuniæ ad permutandi conſuetudinem rediretur. Id quod de Flandris annotavit in Annalibus ejus gentis *Meierus*. Sive igitur pretium nummo conſtet, ſive re alia, quæ datur pro iis quibus indigemus, ſive partim nummo, partim re alia: requirendum utique erit, ſi æqualitatem, ipſam commutationis animam, amamus, quis debeat eſſe pretii modus, ſive ad quam oporteat menſuram exigi, quanti unaquæque res valeat. Sic Homerus, *æſtimationes rerum ita fecit, ut centum boum arma aurea permutaſſe Glaucum diceret cum Diomedis armis novem boum.* Ut verbis *Plinii* dicamus. Et cum res geritur pecunia, quantum nummorum peti darive æquum ſit pro re, quam velis comparare, prima & maxima diſceptatio eſt. Hæc erit nobis *Menſura pretii*.

ad ann. Chr. 958. l. 2. Annal. Flandr.

l. d.

In qua reperienda minus difficultatis & dubitationis proponeretur, ſi Lex omnibus rebus pretium ſtatuere ſemper poſſet. Sed quoniam ingens eſt varietas rerum temporumq;, neque uno diu modo ſingula æſtimari poſſunt, majori viſa eſt indigere libertate commutatio rerum, permiſſumque, ut contrahentes ipſi rei ſuæ legem dicere poſſent, tum in quamtum vellent alienare nollentve, tum ne alio quam vellent pretio alienarent. Cum præſertim in ipſo dominio rerum naturaliter hæc libertas ineſſet: exercenda tamen in vita ſociali, quatenus juſtitiæ ſocietatem continentis, & communis uti-

utilitatis civilis, ad quam ſocietas in partibus tendit, rationes ferunt. Et quamquam libertas alienantium temperari videbatur æqua libertate ementium ſive alterius partis contrahentium, quæ non magis cogeretur ſcilicet majori quàm vellet pretio ſibi rem comparare, quàm alii, minore quàm vellent diſtrahere: indigentia tamen & neceſſitas ſæpe emtori, ut in celebriore exemplo maneamus, extorquere potuit, ut iniquæ venditoris voluntati conſentiret, dum pudoris & juſtitiæ, ubi metus abeſt, poſtrema fere apud vulgus ratio habetur. Quo fit, ut ad ſummæ poteſtatis civilis officium in hoc negotio redeatur: quæ inæqualitatem, fori peſtem, vinculis legem coërcet, magiſtratuum auctoritate moderatur, judiciis emendat. Ita conſtituuntur leges, quæ & certas ob cauſſas & neceſſario tempore cogunt vendere nolentes, & rebus vendendis certa definiunt pretia. Sed & magiſtratus creantur foro rerum venalium præfuturi: adduntur & curatores, quibus eadem cura, non eadem poteſtas; ut Ariſtoteles diligenter diſtinguit. Qui & ἀγορανόμον deſcribit ἀρχὴν ἐφορῶσαν περί τε τὰ συμβόλαια καὶ τὴν εὐκοσμίαν, *magiſtratum qui videat ne quid iniqui circa contractus & commercia rerum, tum ne quid indecori circa bonos mores fiat. Suida* ἀγορανόμοι ſunt οἱ κατὰ τὴν ἀγορὰν ὤνια διοικοῦντες ἄρχοντες *magiſtratus, qui res in foro venales adminiſtrant. Scholiaſtes Ariſtophanis,* λογιστὰς eosdem vocari ait, quod interpretatur Franciſcus Portus; *qui res venales æſtimant, &*

5. Polit. 8. adde 4. 15.

in Acharn. p. 29.

pretium earum ſtatuunt, & ideo æſtimatores appellantur, ut ratiocinatores, quod rerum rationes ineant. Quamquam aliud genus λογιστῶν ſive
v. λογισταί. εὐθύνων Athenis fuit, de quibus *Suidas* ex *Dinarcho* & *Andocide*. Agoranomos autem omnibus rebus venalibus præpoſitos, excepto fru-
rat. 21. mento quod σιτοφύλακες curabant, *Lyſias* docet.
contra frumentar. *Heſychio* ἀγορανόμος eſt δικαστὴς, ὁ ἐν τῇ ἀγορᾷ νέμων τὸ δίκαιον. *Plautus* agoranomos cum Ædilium munere comparat in illis:

Captiv. Act.4.Sc.2. v.43.

--- -- edictiones ædilitias hic habet quidem:
Mirumque adeo eſt, ni hunc fecere ſibi Ætoli agoranomum.

Non tantum igitur per magiſtratus ordinarios obviam itur fraudibus, ſed læſi etiam extra ordinem officio & arbitrio judicis ſublevantur. Si ſummatim dicendum eſt, pretii menſura inquiritur, & æſtimatis rebus in commutatione æqualitas definito pretio ſtatuitur vel à contrahentibus, vel à ſumma civili poteſtate. Contrahentes vel ſuo arbitrio conſenſuque rem conficiunt; vel arbitrio alieno æſtimationem delegant, ſtaturi eo, niſi à viri boni æquitate plurimum receſſerit. Summa poteſtas vel lege definit rerum pretia; vel per magiſtratus & curatores æqualitatem in contractibus conſtituit; vel judicio, quod deerratum eſt, corrigit. Neq; aliud dicunt, qui aliter partiuntur.

Quicquid autem in hoc genere vel juſtitiæ ſtudio vel prudentiæ ope, publice privatimque laboratur, eo potiſſimum fine ſtat, ut vera pretium juſtum menſura metiantur, qui rerum com-

commutationi conſultum volunt. Quænam illa ſit, quæritur. Sententia Ariſtotelis, quam ante tetigimus, *indigentiam* nobis forte commonſtraret, hoc ſenſu: *Quo magis aliqua re indigemus, eo majus ei pretium ſtatuere debemus.* Sive, ut clarius & rectius dicamus: Quo quis magis re aliqua indiget aut indigere ſe putat, eo liberalius metitur pretium ejus rei, eo majore judicat pretio ſibi eam rem comparandam. Creſcit ergo & decreſcit pretium pro majore aut minore indigentia. Sed *indigentia* hæc recte explicanda eſt. Non enim idem eſt, quod utilitas maxima aut neceſſaria in vita communi. Exemplis agendum eſt. Frumentis quidem vita communis indiget, ut vix ulla re magis. At nondum hæc eſt indigentia quæ pretium in ubere proventu attollit: ſed tum demum, quando penuria frumenti illis aut illi, pro rerum præſentium ſtatu, reddit rem arduam; eisque perſuadet, ut pro pauco frumento multam pecuniam reddant, id eſt pecuniam in tali comparatione in vilioribus habeant; quam alio tempore, cum non eadem premit indigentia, pretioſius æſtimarent, & minore modo contra frumentum, exæquarent. Quod ſubtiliter expoſuit *Michaël Epheſius.* Poteſt accidere in bello, & extra bellum, ut ad perficienda cœpta opus habeas aliqua merce, quam velis comparare ab eo, qui nec abundat ea, & tua pecunia tantopere non eget, ut carere nequeat. certe major illa indigentia tua coget te deſcendere ad conditiones venditoris, modumq;

pre-

pretii ex modo neceſſitatis definiet. Extremæ neceſſitatis exempla, quæ noſtra vidit ætas, non attingam: in quibus non inhumanum minus fuit accipere quædam, quàm miſerum offerre. Sunt interim multi neceſſitatis gradus, qui ad pariendam naturaliter querelam iniquæ æſtimationis non valent.

De *indigentia* neſcio an idem voluerint dicere, idem certe non dixerunt, qui fundamentum pretii maxime naturale poſuerunt, *utilitatem rei & neceſſitatem*, ſive aptitudinem ad exhibendum uſum aliquem in vita communi. Utilitas enim ſive uſus rei neceſſarius citra illam adjunctionem, de qua dixi, non eſt indigentia Ariſtotelica. Unde etiam ſi iſta ſumas, ut afferuntur, nihil minus verum eſt. Quicquid enim eſt, quo vita carere non poteſt, frumenta, vina, vellera, veſtes, juvenci, ſal, ferrum, non majore veneunt pretio, ob uſum quem habent maximum atque neceſſarium, ſed viliore pretio, quàm eorum pleraq;, quæ minorem uſum præſtant, comparantur. Imo ad ſingularia Divinæ Providentiæ humanis neceſſitatibus proſpicientis munera hoc referendum eſt, quod pretio non magno, res omnium utiliſſimæ & maxime neceſſariæ parantur. *Auguſtinus* quidem poſuit illum *pro ſuo cujusque uſu æſtimationis modum:* Sed ad menſuram pretii reperiendam parum dixit. Quando inutilia cum utilibus comparavit, mures cum pane, pulices cum nummis; & quæſtionem mutavit, in conferendis equi & ſervi, gemmæ & famulæ

le C. D.
1. 16.

pre-

pretiis, quæ non utilitatis ratione, quam oſtendere decreverat, ſed ex alia cauſſa diſcrepant. Nihil enim hic quæritur ſimpliciter, ſed comparate. Non eſt tamen nulla utilitatis æſtimatio in faciendo pretio. Pone duas domos in agro paribus exædificatas ſumtibus, & cetera vix inæquales, niſi quod una adverſus impetum & incurſiones munita, altera contra vim parum tuta ſit. Non dubitem, quin utilitas munitæ majus pretium mereri videatur apud emptorem non imperitum. Ita redituum modus, id eſt, utilitas bonorum, ædificiorum, prædiorum, notam pretii conſtituit, ſive metitur pretium: ut quo majores ſunt reditus, eo pluris eſſe credatur, quod æſtimationi ſubjicitur. Quod & Imperatores in ſubhaſtatione decreverunt. *l. ſi quos. 16. C. de reſcind. vend.* Nam etſi ea quæ plus ſumtuum quàm fructuum habent, aliter æſtimationem ſubeant, nemo tamen negaverit, redituum modum in pretio prædiorum metiendo rationem maxime naturalem ſuppeditare, reliqua plerumque opinionibus regi. Sed frequentius accidit, ut nequeamus dicere: hæc res utilior eſt, ergo etiam majore pretio venditur. Quare *Seneca*, *de benefic. 6. 15.* objicienti, *Quædam pluris ſunt quàm veneunt*, reſpondet: *etiamſi pluris iſta ſunt, non tamen ullum iſtic tuum munus eſt; ut non ex uſu effectuve, ſed ex conſuetudine & annona æſtimetur.*

Monet hic ipſe locus *Senecæ*, ut de *natura* quoque *rei* cujusque aliquid dicamus. Nam & hæc videatur merito & jure, definiendo pretio adhiberi. *Plinius* certe auro pretium ex naturali *Hiſt. nat. lib. 31. c. 3.* no-

nobilitate petit, *quia rerum uni nil igne deperit, tuto etiam in incendiis rogisq; durante materia, quinimo quo ſæpius arſit, proficit ad bonitatem;* deinde *quàm minimum uſu deteritur, cum argento, ære, plumbo lineæ producantur, manusq; ſordeſcant decidua materia*: tertio, *nec aliud laxius dilatatur aut numeroſius dividitur, utpote cujus unciæ in ſeptingenas & quinquagenas pluresque bracteas, quaternum utrobiq; digitorum ſpargantur*: quarto, *non rubigo ulla, non ærugo, nō aliud ex ipſo quod conſumat bonitatem minuatve pondus:* quinta pretii majoris cauſſa eſt, *contra ſalis & aceti ſuccos, domitores rerum, conſtantia*: ſexto, *netur & texitur lana modo, & ſine lana.* Quæ omnia ſunt ex naturali bonitate petita pretia. Quæ quo eſt perfectior, eo etiam pretioſius cenſetur aurum, ſicut ex probatione ad obruſſam, & ex auro fiſcali in maſſis obryzæ inferendo apparet. Neq; aliud magis ſpectaſſe videntur, qui proportionem auri ad argentum primo quæſiverunt. *In ære* quoque *naturalis nobilitas* ab ea diſtinguitur, *quæ artificio conſtat.* Et in metallis plura hujus generis occurrunt. In univerſum tamen æſtimantibus vere dixiſſe videbitur *Seneca: res plerumque venire non ſuo, ſed emtoris pretio.*

Gronov. de Seſtert. lib. 4. c. 14.

Plin. 34. 3.

5. de benef.

Et quamquam *Feldenus, indigentiam* unicam eſſe menſuram pretii in commutandis rebus ſtatuat, neque incommode explicet, quando definit indigentiam, quod ſit neceſſitas quædam obtinendi medii, quod abeſt, ad conſequendum finem; ad quem alii recte judicantes

de

de bono, alii ſpeciem boni pro re amplectentes contendunt: vix tamen à communi & magis uſitata loquendi conſuetudine recedendum putaverim, quo minus Grotium audiamus, qui non unicam hanc menſuram ſtatuit, ſed plura, quæ ab æſtimantibus rei pretium ſpectantur, enumerat. *de I. B. 2. 12. 14.*

Præcipuum in iis haud dubie eſt *communis opinio & conſuetudo*, de rei pretio. Quam & jura civilia in dubio ſequi jubent: prout temporibus & locis variat. Quoniam enim communi quaſi judicio multitudinis iſta probantur, nemo juſtam conquerendi cauſſam habet in eo, quod omnibus aut pleriſque videtur ſaltem ad tempus & cum aliqua latitudine placuiſſe. *l. 62. & 63. ad L. Falc. l. 33. ad l. Aquil. l. 3. §. 3. de act. empt. l. 8. C. de reſc. vend.* *Plinius* multarum rerum uſitata & certa pretia paſſim conſignavit, memorabili tamen cautione adjecta *fine libri* XXXIII: *Pretia rerum, quæ uſquam poſuimus, non ignoramus alia in aliis locis eſſe, & omnibus pæne annis mutari, prout navigationes conſtiterint, aut ut quisq; mercatus ſit, aut aliquis prævalens manceps annonam flagellet: non obliti, Demetrium à tota ſeplaſia Neronis Principatu accuſatum apud conſules; poni tamen neceſſarium fuit, quæ plerumq; erant Romæ, ut exprimeretur autoritas rerũ.* Eſt autem tanta in ipſa conſuetudine definiendi pretia varietas, ut *prodigio ſimile* in malobathro, & oleo inde expreſſo referat idem *Plinius à ſingulis ad trecentas libras, oleum in* 60. *libras perveniſſe.* *lib. 12. c. 26.*

Variandi autem pretii, ſive varie æſtimandi plures ſolent eſſe cauſæ, nunc juſtæ prorſum & ne-

neceſſariæ, nunc probabiles: eſt &, ubi iniquæ, parum probabiles, fictæ. Juſtiſſima cauſſa eſt ex *negotiationis ratione, pluribus paucioribusve impendiis conſtantis*. Qui enim in re importanda plus damni fecit aut ſumtuum, haud immerito carius vendere poterit, quàm ubi minore impenſa rem geri contigerit. Poteſt imo evenire, ut præmiis ultrò invitandi ſint, qui iſtas difficultates ſuperare velint. Hinc Claudius, Princeps parum ſane ſapiens, ſed alieno, & temporis

Sueton. Claud. 18. præſertim ingenio eruditus, *negotiationibus certa lucra propoſuit ſuſcepto in ſe damno, ſi cui quid per tempeſtates accidiſſet; & naves mercaturæ cauſſa fabricantibus magna commoda conſtituit*. Sumtibus proxima ſunt *pericula, diſcrimina, labores*, augendo pretio. Quæ æſtimatio vix unquam equidem in civili commercio ad liquidum deducitur. *Quod tu pretium ponis*, in-

de benefic. 6. 15. quit *Seneca, trajicienti maria, & per medios fluctus, cum è terra conſpectu receſſit, certam ſecanti viam, & proſpicienti futuras tempeſtates, & ſecuris omnibus jubenti ſubito vela ſtringi, armamenta demitti, paratos ad incurſum procellæ, & repentinum impetum ſtare? huic tamen tantæ rei præmium vectura* (naulum) *perſolvit*. Adde plura hujus generis, quæ ſequuntur. Habet iſta in tantum rationem, in quantum, uſum: ſi ſint res, quibus carere vita hominum commode nequit. Sed quis huc comparet luxurioſorum judicia?

Plin. hiſt. nat. 9. 34. Id. 9. 35. quando *ex tota rerum natura damnoſiſſimum mare eſt, tot modis, tot menſis, tot piſcium ſaporibus; quibus pretia capientium periculo fiunt*. Sed

parum

parum eſt, niſi qui veſcimur periculis, etiam veſtiamur: adeo per totum corpus, anima hominis quæſita maxime placent. Luxurioſi, ut cœpi dicere, primam labem contraxerunt, tanti eas res taxando, quibus abſtineri poterat. Nec mirum eſt, pauperes & diurno victu intentos accepiſſe conditionem primo neceſſitatis depellendæ; ſubinde quæſtu invaleſcente, & ipſos, quo majore periculo viderentur parare magno vendenda, fabulis confictis & *commentis auxiſſe rerum pretia.* *Plin. hiſt. nat. 12. 19.*

In *frumento æſtimato*, proponit exemplum *Cicero Verrina tertia*, quatenus ex difficultate vecturæ pretium intendi frumento poſſit & debeat. *Licebat magiſtratibus* in provinciis ex S. C. & legibus *in uſus ſuos* (in cellam) *frumentum accipere ſi vellent, aut pro frumento pretium: quæ æſtimatio dicebatur: in qua re avariſſimi quique infinitam pecuniam contrahebant, iniquum pretium ſociis imperando.* Quæ *Aſconii Pediani* verba ſunt. Utebantur tamen prætextu quodam & artificio, ne exitu & ratione defenſionis avaritia careret. *Inſtituerunt*, ut habet Cicero, *ſemper ad ultima ac difficilima loca ad portandũ frumentum imperare, ut vecturæ difficultate, ad quam vellent æſtimationem pervenirent.* Ita ſi cui frumentum Philomelio Epheſum fuiſſet portandum, *Video, quid inter annonam intereſſe ſoleat: video quot dierum via ſit: video Philomelienſibus expedire, quanti Epheſi ſit frumentum tantum dare potius in Phrygia, quàm Epheſum portare, aut ad emendum frumentũ Epheſum pecunias &* *cap. 81. &c.* *c. 82.* *c. 83.*

legatos mittere. Hinc etiam pretium unius rei in diverſis provinciæ locis intenditur & remittitur, prout facilius, aut ægrius colitur ager, facilius aut difficilius adferuntur res venales, inſtruitur forum. Quæ res ipſa ad quæſtum æſtimationis opportuna fuit magiſtratibus, ibi frumentum accipere æſtimatum volentibus, ubi erat cariſſimum. Valere iſta ratio poterat *in Aſia*, ut oſtendit amplius Cicero, *in Hiſpania, in iis provinciis, in quibus unum pretium frumento eſſe non ſolet.* At in Sicilia, pari ad comparandum & portandum laboris & operis facultate; nulla hujus æſtimationis ratio iniri, nullus coauctionis modus excogitari poterat.

Plurimum poteſt etiam in augendo minuendoque pretio, ſive in metiendo pretio, *copia & inopia rerum.* Quod exemplo frugum & annonæ oſtendit *Plinius.* Et *Cicero*, *copiam frumenti, & annonæ vilitatem*, ut eodem pertinentia velut ἐπεξηγητικῶς conjungit. Hinc conſilia eorum, qui rempublicam adminiſtrant, ut magna copia inferantur, aut venum exponantur, forum denique omni abundantia rerum ad vitam utilium exuberet. Quibus plurimum adverſantur cupiditates privatorum in monopolia intentæ, quæ efficiunt, ut pretia haud raro intendantur, etiamſi nulla rerum inopia ſubſit: quando ſcilicet

lib. 18. c. 3.

orat. pro dom. c. 7.

omnes compacto rem agunt, quaſi in velabro olearii.

Quorum improbitatem leges propterea coërcere debent.

Pecu-

Pecunia quoque *copia aut penuria* plurimum valet in commutandis rerum pretiis. Ubi enim pecuniæ multum eſt, ibi pleraque carius venire videmus. In penuria pecuniæ, pretia rerum neceſſitas imminuit. Quamquam, ſi cum Michaële Epheſio velimus loqui, aut æſtimationem aliter facere, abundantia pecuniæ vilius ejus pretium facit, penuria carius. Neq; minus videtur dare, qui in penuria pecuniæ, dimidium pendit, quàm qui in copia ejuſdem, totum. Id quod accipiendum eſt de copia & penuria pecuniæ in univerſum in aliqua civitate, non de ſingulorum hominum copia aut inopia. Scilicet, quamquam pecunia, non tam facile ut res aliæ, quæ æſtimantur, mutationem ſubeat, ideoque ut inſtrumentum commutationis placuerit: fit tamen interdum, ut pro copia aut raritate aliter atque aliter æſtimetur. Ad *Grotij* locum, ubi hoc notatur, *l. B. 2. 12, 17.* *Graſvvinckelius* non vane monet, magnam pecuniæ factam commutationem, ex quo ſuperiore ſæculo rex Hiſpaniarum ex Americanis inſulis tantum auri argentiq; invexerit. Adeo, ut abundante per Europam Aſiamq; pecunia, pondus ejus non ſimplici portione auctum ſit. *Creſcente*, inquit amplius, *pecunia in quantitate, decrevit in pretio. Hinc eſt, quod pretia rerũ aucta ſunt, & per totam Europam quater tanti ematur, quanti prius:* quadruplo creverint pretia. *Itaq; illud indubium eſt, pretium pecuniæ imminui, ſi ex fodinis plus auri & argenti hauriatur.* Niſi quod lege publica pretium pecuniæ à mu-

tatione crebra vindicari poteſt & ſolet. Illud interim manet; quod in publica copia pecuniæ homines carius fere emunt, in penuria, minuunt rebus pretium: ibi non ſentientes, propter copiam; hic ægre ſe expedientes ob penuriam.

Multum etiam poteſt ad augendum pretium, *raritas rei:* quam ab inopia ſeu paucitate & indigentia diſtinguimus: ut rarum ſit, quod vel nemo alius, vel pauci habent, quomodo argumentum præſtantiæ *Ariſtoteles* inde petit *Rhetoricorum primo*, & *Interpres Anonymus* exemplo τοῦ λίθου τοῦ πολυτιμήτου gemmæ ſingulariter pretioſæ oſtendit. Sic Cleopatra *gerebat auribus cum maxime ſingulare illud, & vere naturæ unicum opus*, duos uniones, quorum alterum aceto diſſolvit, alter diſſectus Veneri in Pantheo dicatus eſt, teſte *Plinio*. Inæſtimabilis
hiſt. nat. lib. 9. c. 35. illi quidem pretii cenſebantur ob raritatem. Et adhuc hodie margaritarii, in unionibus magnæ taxationis, ſciunt, quantum valeat, quod rariſſime reperitur. Requiri poſſunt quædam hujus generis, ab *Anſelmo Boot*, *in libr. de gemmis & lapidibus*. Principum φιλοκάλων iſtud ſtudium, inter viſenda monſtrare res *raritate notabiles*. Quanti taxaretur ab illis numus Othonis æreus (nam aurei reperiuntur) ſi poſſet undecunq; erui? id quod deſperarunt pridem peritiores, illosque, qui circumferuntur, pro genuinis non habendos ſciverunt. Apud *Plinium* legimus, corrupta moneta, artem denarii probandi inductam effeciſſe, ut ad raritatem redacto illo genere, *falſi denarii ſpectaretur*

Sueton. Aug. 72.

v. Chifflet. de Othonibus æreis.

lib. 33. c. 9.

exem-

exemplar, pluribusque veris denariis, adulterinus emeretur.

Raritati propinqua eſt, & aliquando congruit *Ars. Quondam æs confuſum auro argentóq; miſcebatur: & tamen ars pretioſior erat.* inquit *Plinius*. Et: *Alibi ars, alibi materia eſt in pretio.* *lib. 34. c. 2.* Ut *validius* ſcilicet materia eſſet *manupretium*. *lib. 33. c. 1.* *lib. 23. c. 11.* Apud *Poetam*, *divini opus Alcimedontis* *Eclog. 3.* celebratur: & *Plinius* nomina artificum ſæpe ut *V. l. 33. c. 12. & l. 34. c. 7. & 8. & de pictoribus plaſtiſque lib. 35. c. 8. uſq; ad 13. de aliis 36. 5. & 37. 1.* argumentum pretii aut pretioſi operis memorat: interdum & indicaturas addit. Nota & hodie res illis, qui ſigna & tabulas pictas aliave opera emunt venduntque. In ipſa æſtimatione artis facienda, primam & præcipuam rationem haberi par eſt *perfectionis atque abſolutionis*, quæ ex profectu operum gradatim in majus evectorum intelligitur. Sicut Paraſij exemplo oſtendit *Plinius*. *35. 10.* Atque hujus perfectionis ipſa indicia & lineamenta in pretio ſunt, *quod in* iis *ipſæ cogitationes artificum ſpectantur*, & *manus cum id agerent extinctæ, deſiderantur*. *Id. 35. 11.* Accedit quod *tempore & cura* opus eſt, in artificioſis operibus elaborandis: & quod gnari artis ingentem inde voluptatem capiunt; denique quod fama & honor quidam in eos, qui opera inſignia artificum amant ac poſſident, redundat.

Nam hæc *opinio de rebus eximiis decori & gloriæ futuris habenti*, aliquod etiam pretium facit augetve rebus. In quo genere enumerat *Ariſtoteles τὰ καλὰ, quæ ad ſplendorem quendam pertinent*: id eſt, ſecundum *Interpretem Anonymum* *1. Rhetor.*

mum κομψὰ καὶ ποικίλα ἔργα, opera ſingularis elegantiæ & varietatis: ſicut opus aliquod ex auro argentove, magnitudine & pulcritudine præclarum; aut coloribus quidem pictum ſed exactiſſima & inſuperabili arte, qualia antiquorum quædam pictorum memorantur; aut domus magna & multo ſplendore adornata. τιμὴ γὰρ τὰ τοιαῦτα τῶν ἐχόντων. *hæc enim, habentibus honori ſunt.*

Cupiditas porro *rem habendi*, augere pretium ſive efficere poteſt, ut carius ematur vendaturque. Quo fit, ut nimis inhiantes mercibus emtores, male fere emere cogantur. Annæum Senecam, magnum illud inter Philoſophos nomen, refert *Plinius, tanto prædii cujusdam amore captum, ut non puderet inviſo alias & oſtentaturo tradere palmam eam* (in melius ſcilicet evecti prædii) *emtis magno pretio vineis.* Huc referri debet, ſi non habens animum vendendi, emtoris cupiditati, cum conditione amplioris pretii obſequitur. Competitorum in primis concertatio cupiditatem faciet manifeſtiorem, & pretii intendendi occaſionem venditori ſubminiſtrabit. Qua de re *Ciceronis* dictum celebratur, qui ajebat: *prudentis & cauti patrisfamilias eſſe, quod emere velit, emturum ſeſe negare, propter competitores emtionis.* Conſuetudo licitandi adverſus alterum, ad fraudes etiam deducta eſt. De quibus *Ciceronis* illud *in Officiis. Non licitatorem venditor, nec qui contra ſe liceatur, emptor opponet.* Cujus generis multa hodie in auctionibus accidere ſolent. Ex diverſo, ſi quis urgetur vendere ſua, decedet cupiditas empto-

lib. 14. c. 4.

Gell. lib. 12.

3. offic. 15.

adde Cicer. Verr. 3, 42.

emptori: adeo, ut gratificari videatur, ſi bene emit. Optare equidem fas eſt in hoc genere emtores Scævolas, ex *Cicerone*. Q. enim *Scævola P. filius, cum poſtulaſſet, ut ſibi fundus, cujus emptor erat, ſemel indicaretur, idque venditor ita feciſſet, dixit, ſe pluris æſtimare: addidit centum millia.* Sed ut id fiat, cum aliquis debito, aut ſumtibus neceſſariis urgentibus ſua diſtrahit, ex moribus ſæculi nulla ſpes eſt. *3. offic. 15.*

Temporis non ſimplex habetur ratio in æſtimandis rebus: non tantum, prout variat pretia, ſicut ante dictum eſt; unde in æſtimando pretio juſto, tempus contractus attendi ſolet: ſed etiam, prout tempore res ſit melior aut deterior. Quod fieri poteſt vel nulla accedente ope humana, ſicut vina quædam meliora fiunt ætate, quædam non diu placere poſſunt, quæ ob id *minoris famæ*, *Plinius* refert: vel induſtria hominum proficiente pretio. Sicut *eodem auctore* diſcimus, opera & cultura Acilii Stheneli vineas notæ vilitatis, *intra octavum annum ad vix credibile miraculum perductas, ut* cccc *nummum addicerentur pendente vindemia.* Inprimis autem in repræſentata aut dilata ſolutione, tempus eo valet, ut minus ſolviſſe videatur, qui tardius; plus qui citius ſolvit pretium. Certe melius plerumque emit, qui præſente pecunia, quàm qui in diem emit. Quare & in addictione in diem, *ſolutio maturior*, non minus conditionis melioris æſtimationem ſubit, quàm ſi pretio ſit aliquid additum: & ſi dies longior ſolvendi pretii data fuerit, quæri ſolet, *l. 3. §. 3. de act. emt. l. 8. C. de reſc. vend. lib. 14. c. 7. 14, 4. l 8. §. 6. de in di. add. lib. 15. §. 1. eod. l. 13. §. 20. de act. emt.*

quantum ex uſura ejus temporis capi potuerit, nec iniquæ exiſtimantur uſuræ pretii. Quæ omnia naturali æquitati conſentanea, etiam
lib. 5. tit. 4. juris civilis conditoribus placuerunt. *Lex Wi-*
l. 5. *ſigothorum: ſi emtor ad placitum tempus non exhibuerit pretÿ reliquam portionem, pro pretii parte quam debet, ſolvat uſuras: niſi hoc forte convenerit, ut res emta venditori debeat reformari.*

Caſus fortuiti augere pretia non raro ſolent. Erant merces in curſu: venit tempeſtas, caſtigavit claſſem naufragio: aut in terra intercepit miles prædator. Augentur rerum pretia ſubita commutatione commerciorum. Cinna-
l. 12. c. 19. mi *dimidia parte auctum pretium* memorat *Plinius, incenſis ſilvis*, forte an ira aliorum, incertum. Aromatum pretia etiam hodie per eaſdem fortunæ vices; diminuentis augentisve,
lib. 18. c. 2. jactantur. Vide quæ *Jo. de Laet* de exhauſta
Ind. Occid. unionum captura in inſulis Cubagua & Coche narrat. Quæ vel tempori vel copiæ inopiæve deputantur.

Concurrunt ex iis, quæ diximus, interdum aliqua, ut indigentia ementis & mercis rara copia. *In neceſſitate ſiquidem penuriæ, pretii nulla contentio eſt: dum patitur qui induci, ne poſſit aliena tarditate compelli. Caſiod. lib. 9. epiſt. 5.*
Contro. IV. 25. *M. Seneca* ponit hoc exemplum: *Non poſſum domum habere niſi hanc emero. Hanc occaſionem videt venditor & premit.* Neq; ſine ratione ſpecioſa, quæ ſubjicitur: *in aliter invenire non poteras? ergo tibi plus præſtiti.* Nimirum *quanti quan-*

quanti bene emitur quod neceſſe eſt, ut ait *Cicero*. *Ep. ad Attic. XII. 33.* Hic ſcilicet modus pretii eſt in voluntate venditoris eximia quadam ratione: ſicut in monopoliis quoque apparet. *Jus Cinnami*, inquit *lib. 12. c. 19.* *Plinius, à Gebanitarum rege ſolo proficiſcitur. Is edicto mercatu vendit.* Ad quem modum lignum *Braſilianum, quod maxima copia infertur Europæ, Regis Luſitaniæ* quondam *eſſe ſolebat, aut eorũ qui à rege redimebant:* memorante *Jo. de Laet.* *Ind. Occid. l. 15. c. 24.* Sed *heu prodigioſa ingenia, quot modis auximus pretia rerum?* Omnia ſcilicet, *ingenioſa contra ſe luxuria redegit ad pretium.* *Plin. 33. proœm.* *Adeo nil poteſt illi placere, niſi carum.* *Sen. quæſt. nat. lib. 4. c. 13.* Comminiſcitur ſemper aliquid, & præter rationem ſolers eſt. *Menſam, latifundii taxatione* æſtimat: pluris facit *unius arboris reditũ annuum, quàm erat apud antiquos prædiorum.* *Plin. 13. 15. Id. 17. 1. Id. 9. 40.* Quid rationem dico? *juvat ludere impendio, & luſus geminare* varie. Nondum ſatis dicit, qui illudere rebus pretiisque luxuriam dicit. Ad monſtra proficit & prodigia. *C. Cæſar, ut centies ſeſtertio cœnaret uno die, omnium adjutus eſt ingenio.* *Sen. conſol. ad Helv. c. 9.* Neq; ingenioſis illis luxuriæ magiſtris *pretioſos* faciebat *cibos eximius ſapor & aliqua faucium dulcedo, ſed raritas & difficultas parandi.* *Ibid.* En *exquiſita ingenia cœnarum!* quæ tibi *Latinus Pacatus* amplius deſcribet. *Plin. panegyr. 49. panegyr. Theodoſ. c. 14.* Quid enim per hiſtorias luxuriæ non Principalis modo, ſed privatorum in victu, in veſte, in omni cultu, incedendo, chartæ illudemus? Legibus adverſus luxuriam, non jurgio contendendum eſt.

Enumeravimus hactenus, quæ & quomodo æſtimandis rebus adhiberi non ſine ratione poſſunt ſolentve. Sed quàm pronum ſit, menſuram pretii cavillari, eadem opera declaratum eſt. Cum præſertim *in tali libertate judicandi plurimum diſtet ratio conſiderantis à neceſſitate indigentis, ſeu voluptate cupientis; cum iſta quod per ſeipſum in rerum gradibus pendat, neceſſitas autem quid propter quid expetat cogitet; & iſta quid verum luci mentis appareat, voluptas vero quid jucundum corporis ſenſibus blandiatur, exquirat.* Quomodo autem ad æqualitatis rationes revocanda ſint omnia & exigenda, mox conſtabit, cum de diſcrimine æqui iniquique pretii, & bonæ fidei in pretio metiendo præſidiis plura adferentur.

Auguſt. de C.D. XI, 16.

Locum autem de vero juſto æquoque, & iniquo pretio non parum impeditum facit libertas illa contrahentium, quæ & naturaliter videtur iis competere, in quantum reipublicæ ratio patitur, ut ſupra dictum eſt; & lege plerumque tribuitur. *Quid intereſt*, inquit *Seneca*; *quanti ſint, cum de pretio inter ementem & vendentem convenerit? Deinde non veniit illud ſuo pretio, ſed tuo. Pluris eſt, inquis, quàm veniit. Sed pluris venire non potuit: pretium autem cujusque rei pro tempore eſt. Cum bene iſta laudaveris, tanti ſunt, quanto pluris venire non poſſunt. Præterea nihil venditori debet qui bene emit.* Interea utriusque & venditoris & emtoris votum eſt unum, lucrari: quod iterum *Seneca* oſten-

l. 71. D. de contrah. emt.

de benef. VI, 15.

de benef. VI, 38.

oſtendit. Et Imperatores emtionis atque venditionis hanc eſſe conditionem dicunt, ut *emtor viliore comparandi, venditor cariore diſtrahendi votum gerentes, ad hunc contractum accedant, vixq; poſt multas contentiones, paulatim venditore de eo quod petierat detrahente, emtore autem huic quod obtulerat addente, ad certum conſentiant pretium.* In voto lucrandi facile poteſt ineſſe vitium. Verum eſt enim illud *P. Syri :* *l. 8. C. de reſc. vend.*

Lucrum ſine damno alterius fieri non poteſt.

Qua de re grave extat judicium *Syracidæ:* Ἀνὰ μέσον ἁρμῶν λιθίνων παγήσεται πάσσαλος, καὶ ἀνὰ μέσον πράσεως καὶ ἀγορασμοῦ συντριβήσεται ἁμαρτία. *cap. 27. v. 2.* Juſtum ergo verumque pretium rei eſt, quod pro tempore locoque vulgo uſitatum & cum ratione receptum habetur, aut ex rei æſtimandæ conditione vel eventu peculiari, viri boni ac prudentis judicio e. g. Principis aut magiſtratus aut arbitri, definitur, ita ut neutra pars plus minusve habere, quoad ejus fieri poteſt, videatur. Iniquum vero pretium dixeris, quod majore minoreve menſura, quam conditio rei, loci, temporis poſtulat, taxatur, & eo tendit, ut alter plus æquo alter minus habeat. In qua re dijudicanda aliter Philoſophi, aliter Jureconſulti incedunt, quod jam olim *Cicero* monuit: (3. *offic.* 17. *Sed aliter leges aliter Philoſophi tollunt aſtutias: leges, quatenus manu tenere res poſſunt; philoſophi quatenus ratione & intelligentia*) ſive aliter naturalis æqui-

æquitas, aliter leges hujus aut illius civitatis, decernunt. Naturalis æquitas, quæ conſcientiam Deo per ſe obligare idonea eſt, venditorem & emtorem ſive partes contrahentes una lege tenet, ne alter plus, quàm juſti pretii ratio poſcit, accipere, alter minus dare velit: &, ſi in alterutram partem manifeſto peccatum eſt, læſo promiſcue, id eſt, emtori non minus quàm venditori ſuccurrit. Quod munus ſummæ poteſtati, etiamſi aliter lex civilis ſtatuiſſet, ſemper integrum ac illibatum ſervatur. Legum civilium conditoribus maxima rei difficultas facile perſuaſit, ut ad evitandum litium multitudinem, ne *calumnia in infinitum excederet*, ut *Seneca* loquitur, cum præſertim animorum ſecreta in contrahentibus perſpici nequeant, ſalva interim, ut ſemper, ſummi judicis ope extraordinaria, non quamvis inæqualitatem, ſed enormem læſionem, *ſi nec dimidia pars veri pretii ſoluta eſſet*, corrigerent. Quod non minus ad emtorem ſublevandum, quàm ad venditorem, pertinere (quamvis in contrarium diſſerat *Cujacius*) humanius eſt credere. Certe apud *M. Senecam* loco ſupra laudato emtor petit ſublevari non venditor. Sed hæc ex ſequentibus clariora fient.

l. 2 C de reſc. vend. Obſerv. XVI, 18. & XXIII. 13. Perez. ad l. d. §. 7.

Quomodo pretii æquitas, & iniquitas intelligi debeat ac inveſtigari, rationem & viam indicavimus. Nunc quomodo iniquitas obſcura deprehendi, ac deprehenſa corrigi poſſit debeatve, oſtendendum eſt, ſi prius de emtionibus

nibus venditionibus fiſci ſive ærarii, id eſt ſummæ poteſtatis civilis, aliquid annotaverimus: ſubjecturi deinde nonnihil de pretio extra emtionem venditionem in aliis contractibus ſpectato; deque ipſa pecunia.

Emtio, & venditio, nomine civitatis facta, multum favoris habet, ob neceſſitatem erogationum publicarum, & ſubſidiorum reipublicæ parandorum, quibus nulla quæſtuum ratio, niſi aperta vi aut fraude, aut dedecore conſtet, deneganda videtur. L. Metellus ex adminiſtratione Sicilienſi Romam ſcribit apud Ciceronem in III. Verrina: *ſumma vi data eſt opera à me, ut quamplurimo decumas venderem.* Oſtenditque amplius Cicero, *vendidiſſe alios magno decumas agri Leontini, ceterorumque agrorum*; Verremque coarguit, vane gloriantem, *magno ſe decumas vendidiſſe, plebi Romanæ conſuluiſſe, annonæ proſpexiſſe*, cum tamen *pluris aliquanto potuiſſet vendere, ſi voluiſſet his addicere, qui contra Apronium* prædarum ſocium *licerentur*, & *licentia decumanorum decimas aratoribus nullas reliquas fecerit*. Sed Metelli quidem venditio lege Hieronica facta erat, in qua, ut apparet, gradus conſtituti erant intendendi pretii: intra modum tamen, cui ratio æquitatis non videretur adverſari. De cetero non eſt infrequens, ut publico civitatis nomine, veluti monopolio quodam, res aliqua vendatur, ad eamque emendam cives teneantur, majore pretio, quàm ab aliis aliunde emi poſſet. Habet & hoc rationes graves & publicas. A quibus plurimum diſcre-

cap. 51.
cap. 63.
cap. 64.

Suèton. Calig. 38. & 39. Id. Veſp. 16. diſcrepant auctiones tyrannicæ Caligulæ apud Suetonium. Nec Veſpaſianus citra avaritiæ infamiam *negotiationes vel privato pudendas propalam exercuit, coëmendo quædam, tantum ut pluris poſtea diſtraheret: nec candidatis honores, reisve tam innoxiis quam nocentibus abſolutiones venditare cunctatus eſt.*

Jam quando ſumma poteſtas per magiſtratus aut curatores alios vendit bona privatorum, quæ ob penſitationes publicas ſemper fiſco tacite cenſentur obligata, laudanda maxime eſt Gordiani, & aliorum Imperatorum æquitas, qui rebus debitoris minus juſto aut nimis exiguo pretio, interveniente emtoris fraude aut gratia, venditis, reſcindi hujusmodi venditionem, & domino res ſuas vindicanti reſtitui juſſerunt, ubi fiſco ſatisfecerit. Sed quæ legum diligentia fraudibus in hoc negotio verſantibus, ſatis obviam iverit? Contendendum eſt tamen ad id, quod æquiſſimum eſt, quantum fieri poteſt. Etiam, ubi ob mulcta● ſolvendam, & titulo pœnali res privatorum diſtrahuntur. Videndus eſt *Lyſias* in Epilogo actionis de publicatione bonorum Niciæ fratris, ubi etiam illa querela *τὰ πολλοῦ ἄξια ὄντα ὀλίγου πεπράσκεσθαι ea quæ magni pretii erant, parvo vendi.*

l. 16. C. de reſc. vend. Et l. 3. C. libro X. de jure fiſci.

orat. 17.

Et in corrigenda quidem inæqualitaté contractus, judicia & conſuetudines fori, dolum tantum attendunt. Sicut ex ante dictis intelligi poteſt. In *Decreto Ivonis* legas: *Cum inter ementem atque vendentem fuerit res definito pretio com-*

part. 16. cap. 244.

comparata, quamvis plus valeat, quàm ad præſens venditur, hoc tantummodo requirendum eſt, ſi nihil fraudis vel violentiæ egit ille qui comparaſſe probatur: & ſi voluerit revocare qui vendidit, nullatenus permittatur. Nec tamen eo minus, non tantum apud Theologos, qui conſcientiam erudiunt, ſed etiam apud Philoſophos, qui officiorum regulam explanant, quæri poteſt & ſolet: an qui judicio non teneretur reſarcire inæqualitatem, ex officio viri boni teneatur? Ita *Grotius: ex contractu ſine dolo inito, cui ineſt inæqualitas, jure gentium naſcitur facultas quædam cogendi eum qui contraxit, ad implenda pacta: nec eo tamen minus, qui plus æquo ſtipulatus eſt, rem ad æqualitatem reducere, ex probi & pii hominis officio tenetur.* In contractu eorum, qui ſuo ſumtu militant, aut naves inſtruunt, cum ſua civitate, quibus vice mercedis concedi ſolet ut capta ſua faciant, aliud exemplum ponit: *Juſtum,* inquit, *juſtitia interna id erit, ſi contractui æqualitas inſit, hoc eſt, ſi ſumtus aut pericula tanti ſunt, quanti prædæ alea. Nam ſi hæc ſpes multo pluris valeat, reddendum erit civitati quod ſupererit, perinde ac ſi quis nimium vili pretio jactum incertum quidem, ſed tamen facilem & magnæ ſpei emiſſet.* Puto, quamdiu de ſpe ſermo eſt, non poſſe ad liquidum perduci quæſtionem. Spes enim illa, ſi conferatur cum incertiſſimis periculis, non habet unde ad æqualitatem æſtimando reducatur. Præterea æqualitas conditionis inter contrahentes aliter videtur & ſic ratiocinanda: Sicut qui ſumtu ſuo militat aut

I. B. 3, 10. 5.

I. B. 3. 18. 3.

na-

naves inſtruit, ſpe prædæ & rerum capiendarum, loco mercedis obtinendarum, in periculo verſatur carendi omni mercede, perdendiq; ſumtus & labores, contentusque eſſe vi contractus cogitur, etiam ſi prorſus nil ceperit: ita civitas, etiamſi ille longe plus ceperit, quàm ſumtuum laborumque impendit, cauſſam non habet exigendi partem lucri, cum præſertim elegerit, ejusmodi ſpe allicere homines, ad ſumtuoſam operam; cujus etiam ipſius æſtimatio ſæpe ad ſummam belli, ſolet magni eſſe. In quo genere contractus certe potior videtur eſſe conditio civitatis. Et ſi immodice ac ſupra omnem ſpem ditentur ex tali contractu homines, civitas alio titulo inde lucrari poteſt, vel augendo tributa, vel in neceſſitate publica per rationes eminentis dominii in ſe trahendo uſum abundantis opulentiæ.

Sicut autem, quæ manifeſto contra bonam fidem fiunt circa pretium in contrahendo, nemo defendat: ita hoc ipſum, an contra bonam fidem facta ſint quædam, de quibus quæritur,

3. offic. 17. dubitationem habet. *Video*, inquit *Cicero*, *propter depravationem conſuetudinis, neq; more turpe* aliquid *haberi, neq; aut lege ſanciri aut jure civili: tamen natura lege ſancitum eſt.* Qua ſcilicet naturæ lege, ut ante oſtenderat, *tollendum*

c. 15. *eſt ex rebus contrahendis omne mendacium.* Hanc

c. 16. ſecuti ſunt illi *Juriſconſulti, qui, cum ex XII. tabulis ſatis eſſet ea præſtari vitia quæ eſſent lingua nuncupata, quæ qui inficiatus eſſet, dupli pœnam ſubiret,* ipſi *etiam reticentiæ pœnam conſtituerũt.*

Lau-

Laudantibus *Ambroſio*, & *Lactantio.* Proponit *offic. 2. 10.*
idem Cicero elegantia quæſtionum exempla. *Inſt. 5.*
Quorum primum eſt de mercatore Alexandria
frumentum vehente Rhodum, ubi frumenti
penuria ſit, & ſciente plures naves in curſu *3. offic. 12.*
eſſe, magnam frumenti copiam eodem afferentes, & huic merci mox vilitatem facturas. ubi quærebatur inter Diogenem Babylonium & Antipatrum Philoſophos Stoicos, facturusne pro viro bono fuerit mercator, ſi de adventu navium aliarum reticens, ſuam mercem quàm plurimo vendere inſtituiſſet? Diogenes non imminuebat laudem viri boni hoc facto, tantumque mercatori concedebat, quantum jure civili non eſſet interdictum: Antipater autem viri boni putabat, ſemper ad id contendere, quod natura æquius, melius, humanius dictat. In qua diſputatione Antipatri ſententiam *Cicero* laudat. Alii hodie Diogenem ita *3. off. 13.*
defendunt, ut Antipatri ſententiam accuſare
non audeant: eo quod etiam naturæ lege *Grot. 1. B.*
non invalidus poſſit dici talis contractus; *2. 12. 19.*
etiamſi ex aliarum virtutum regulis potuiſſet agi laudabilius. Comparant huc exemplum mercatoris mercem vendentis, cujus uſum mox interdicendum novit. De quo, cum diverſæ poſſint occurrere facti rationes, non ſemper eodem modo judicandum arbitror. Multo minus eadem facilitate abſolverim eum, qui alicui ſolvit numos, quorum pretium mox minuendum novit, altero ignorante. *Vaſq. Controv. Illuſtr. lib. 1. c. 2. n. 7.*

Eadem agitabatur contentio inter Diogenem & Antipatrum, quando ædium venditor vitium celaverit, quod peſtilentes, ſerpentibus
Cicer. 3. offic. 13. infeſtæ, male materiatæ, ruinoſæ eſſent. Quod ſine vitio facturum fuiſſe venditorem Diogenes diſputat, contradicente Antipatro, quem
c. 13. & 17. *Cicero* probat: & res ipſa tuetur. De domo
c. 16. vendita aliud exemplum affertur: cum T. Cl. Centumalus ædes, quas in Cælio monte habebat, demoliri juſſus ab auguribus augurium acturis, P. Calpurnio Lanario vendidit. Qui cum mox eadem neceſſitate demoliendarum ædium obligaretur, M. Cato arbiter captus *quicquid* emtori venditorem *dare, facere ex fide bona oporteret*, ita pronuntiavit: ***cum in venumdando rem eam ſciſſet, & non pronuntiaſſet, emtori damnum præſtari oportere.*** Quam ſententiam
8. 2. 1. *Valerius maximus*, *ſumma æquitatis* nomine laudans, *quia*, inquit, ***bonæ fidei venditorem nec commodorum ſpem augere, nec incommodorum cognitionem obſcurare oportet.*** Athenis domus phantaſmatum & ſpectrorum apparitione infama-
l. 7. ep. 27. ta, *proſcribebatur tamen*, narrante *Plinio*, *ſeu quis emere, ſeu quis conducere, tanti mali ignarus vellet.* Proſcribebatur, ſed vili pretio, & quod vitium quaſi ultro indicaret. Imo in re omnibus nota, vix eſt, ut decipi emtor conductorve potuerit. Itaq; philoſophus Athenodorus, cum Athenas veniſſet, *legit titulum, auditoque pretio, quia ſuſpecta vilitas, percunctatus omnia docetur, imo tanto magis conducit.* Sicut adhuc hodie reperiuntur homines, qui talia nec perpetua credunt,

neque

neque valde exhorrent. Igitur in illo Athenienſi facto vix eſt, ut fraus ſuſpectari poſſit. Clarior etiam eſt cauſſa M. Marii Gratidiani, qui Sergio Oratæ ædes vendiderat, non quidem expreſſa in mancipio ſervitute ædium, ſed emtori ſatis nota, quippe quas ab eodem paucis ante annis Gratidianus emerat. Re in judicium adducta, pro Orata Craſſus *jus urgebat: quod vitii venditor non dixiſſet ſciens, id præſtari oportere.* *Antonius* Gratidiani patronus *æquitatem: quoniam id vitium ignotum Sergio non fuiſſet, qui illas ædes vendidiſſet, nihil fuiſſe neceſſe dici: nec eum eſſe deceptum, qui id, quod emerat, quo jure eſſet, teneret.* Non eſt dubitandum, quin Antonii ratio ad mentem legis reſpiciens adverſus cavillationem verborum valere debeat. Nec in alia fuiſſe ſententia videtur *Theodoricus Rex* in *edicto cap.* 141: *Quicunque fugere ſolitum vendiderit ignoranti, ſi emtorem quoq; fugerit, & pretium venditor reddat, & damna ſarciat, quæ per eundem contigerint fugitivum. Ignoranti,* inquit. Ergo *Scienti* non idem debebitur. Verum ne ignorari iſta poſſint, formulis contractuum jam olim cavebatur. Apud *Marculfum* extat *venditio de ſervo aut ancilla: Conſtat me vobis vendidiſſe, & ita vendidi, ſervum juris mei, aut ancillam nomine illam, non furem, non fugitivum, neque cadivum* (i. e. improbum) *ſed mente & omni corpore ſanum.* Ex his ſi quid aliter ſe haberet, præſtari emtori damnum, æquum erat.

Cic. 3. off. 16.

lib. 2. form. 22.

In hac diſputatione, ut inter homines definiendi peritos quæſitum eſt, quid eſſet *celare.* Ubi ex ſententia Diogenis, *aliud eſt celare, aliud* Cicer. 3. off. 12. *tacere: --- neq́, quicquid tibi audire utile eſt, id mihi dicere neceſſe eſt.* Certe, non ſemper neceſſe, quando inter nos de illa re, quæ celatur, nihil agitur. Itaque non cum Antipatro ſtatim ad naturalem hominum inter ſe ſocietatem confugies, niſi ita explicetur; quod illa hominem homini obliget ad bonam fidem & æquitatem in omni commercio & contractu ſervandam. Tum enim profecto mihi dicere eſt neceſſe, quod tibi utile eſt audire, ſi tecum paciſcor aut contraho, ne contractui inæqualitas inſit, & ne ego plus, tu minus habeamus. Quod cum natura juſtitiæ in contrahendarum re- 3. offic. 13. rum fide poſitæ pugnat. Bene igitur *Cicero* partem quæſtionis concedit, partem ſupplet ac definit: *Neque enim id eſt celare, quicquid reticeas; ſed cum, quod tu ſcias, id ignorare emolumenti tui cauſſa velis eos, quorum interſit id ſcire. Hoc autem celandi genus quale ſit, & cujus hominis, quis non videt? certe non aperti, non ſimplicis, non ingenui, non juſti, non viri boni.* Satis autem clara ſunt verba Ciceronis, & ultro ſe ex- I. B. 2. 12. 9. plicant, neq; opus forte habent cautione Grotiana, quaſi ad reſtringendum laxiorem ſenſum neceſſario adjecta.

Si autem celaſſe crimen eſt, multo magis ementiendo merces extuliſſe, & ſermonis va- 3. offic. 14. nitate amplificaſſe. Quod oſtendit *Cicero* exemplo Pythii argentarii Syracuſani, qui C. Ca-

Canio equiti Romano hortos cum omni inſtructu, per vanitatem demonſtratos, vendiderat, poſtea inanes & prorſum monſtratis diſſimiles tradiderat. Quanquam autem, ut ibidem declarat, Aquilii de dolo malo formulæ nondum erant prolatæ, quibus damnabatur *cum eſſet aliud ſimulatum, aliud actum*: ipſa tamen naturæ lex judicem monebat, ut poſſet decepto opem ferre, ſi imploraret. *Ita nec ut emat melius, nec ut vendat, quidquam ſimulabit aut diſſimulabit vir bonus. ---- Tollendum igitur eſt ex rebus contrahendis omne mendacium.* Quæ ne quis diſputationis magis quàm veritatis cauſſa dici exiſtimet à Cicerone, non ſinit nos *Demoſthenes* ignorare, apud Athenienſes in legem iviſſe, *ut mendacio forum vacaret*, κατὰ τὴν ἀγορὰν ἀψευδεῖν νόμον γεγράφθαι. Quod autem addit, ἐφ' οἷς οὐδὲν τῇ δημοσίᾳ βλάβος, εἴ τις ψεύσεται, *in quibus, ſi quis mentitus fuerit, nihil inde reſpublica detrimenti capiat*: non niſi ad comparationem majoris damni, ex more oratoris, referendum eſt. Ut enim fraus exulet foro, & privatorum contractibus, vel maxime reipublicæ intereſt. Quod Cicero ſæpe teſtatur.

3. offic. 15.

in Leptin.

Hinc illa legislatorum aliorum quoque diligentia, circa res emendas vendendasque, cujus ſpecimina ex *Theophraſto*, *Stobæus* commemorat. Quidam enim venditiones, non niſi adhibito præcone celebrari volebant, facta pluribus ante diebus denuntiatione. Alii apud magiſtratum quendam proſcribebant venditionem ſexaginta minimum diebus, ante

Serm. 145. p. 445 8. &c.

quàm fieret, & ab emtore centeſimam exigebant: ut & juſti pretii hinc cognoſci modus poſſet, & diſceptandi ac contradicendi volentibus copia fieret. Quod Attici inſtituti fertur. Alibi quinque dies interponuntur contractui confirmando, præcone per ſingulos dies denuntiante, ſi quis intercedere, aut vindicare domum remve aliam vendendam vellet. Quod in majoribus ſcilicet rebus locum habere intelligitur. Ut & in pignoribus, apud Cyzicenos. Sed recte notat Philoſophus, illum proſcribendi & pronuntiandi morem inde oriri, quod legibus non deſcripta ſint bona, & poſſeſſiones. Ut ſcilicet hæc ſit lex, defectum legis alterius ſupplens. Nam ubi ſingula deſcripta ſunt, ſtatim ex tabulis publicis cognoſci poteſt, quæ bona ſint ἐλεύθερα καὶ ἀνέπαφα, libera, & à nemine attrectanda. Ita facile juſta poterit venditio fieri, cum præſertim magiſtratus emtorem inſcribat tabulis. Etiam loco illius προστασίας, quæ in uſu erat, ſive potius in abuſu, jurisjurandi religio inſtituta eſt: Si quis enim domum emeret, ſacra facere ad Apollinis Epicomæi; aut ſi prædium, in vico quem incolit; & jurare conceptis verbis apud magiſtratum, adſcriptis trium in vico virorum nominibus, lex eum jubebat: quod juſte, ſine ulla machinatione doli, ſine arte & fraude emeret. Eodem pacto venditor omnem dolum ejurabat. Quod ſi quis extra urbem Athenarum habitaret, pauciore ſacrificii apparatu ad Jovis Agoræi ſive forenſis ædem, jurisjurandi religionem imple-

V. Budæi. comment. G.L. p. 488.

implebat. Absque qua neque nomen contrahentium neque contractus in literas referebatur. Luculenta hæc ſunt teſtimonia, quàm fuerint de bona fide in contractibus accurate exigenda ſoliciti antiqui Legislatores: quam & jurisjurandi ſanctimonia muniendam ſtatuerunt. *Vide Leg. Longobard. tit. 18.*

Quæ & alibi in ſubſidium juniore ævo vocata eſt. In *Conſulatu Maris*, ubi conſuetudines maritimæ legum vigorem obtinentes complures memorantur, nobile exemplum ponitur. Si exercitor navis, quam cum ſociis communem habet, eam vendiderit abſque conſenſu, & inſcientibus ſociis, tum equidem, ubi major pars ſociorum venditionem approbarit, non tenebitur, niſi unicuique pro rata portione pretii. Si autem, poſtquam id placuit, ipſe implere neglexerit, & propterea qui ante convenerant, ad eorum partem tranſierint, qui diſſenſerant, non tenebitur tantum unicuique pro rata parte pretii ex vendita nave quæſiti, ſed inſuper ad omne id lucri exſolvendum, quod ſocii jurejurando interpoſito confirmare poterunt, nave illa vendita interea acquiri potuiſſe. Adduntur plura & ſevera, de vindicanda nave, non venditâ à quibus & ſicut oportebat. Quæ ibi legas licet. *cap. 253. pag. 125.*

Apud *Stobæum loco laudato*, amplius additur, quàm ſtudioſe veteres caverint, ne quid bonæ fidei rationes in contrahendo intervertentur aut impedirentur. Ut nimirum tum demum recte facta videretur emtio &

venditio, εἰ μὴ παρὰ μεθύοντος, μηδ' ἐξ ὀργῆς, μηδὲ φιλονεικίας, μηδὲ παρανομοῦντος, ἀλλὰ φρονοῦντος, τὸ ὅλον δικαίως. *Si contrahentium neuter vel ex ebrietate, vel per iram, vel pertinacia contentionis, vel in fraudem legis, ſed uterq; conſulto conſilio, deniq; juſte contraxerit.* Adduntur, quæ diverſas apud gentes de translatione dominii, de arrhæ modo & jure, de traditione, non uno modo, ad excludendas fraudes conſtituta ſunt.

Monet hic locus, ut de *interpretio* aliquid annotemus. *Gloſſæ Philoxeni, interpretium* inter- *ad Amm. Marcellin, lib. 28, c. 5.* pretantur παράλληλον. Supplet *Henricus Valeſius*, τίμημα, *quod interpretium dici non poſſit, niſi habita ratione ad alterum pretium.* Vere. Sed propius ad rem facit explicatio *Heſychii*, apud quem τὸ παράλληλον, inter alia ſignificat, τὸ μεταξὺ ὄν. *Quod interjectum eſt.* Ita enim indubie legendum videtur: ἀκόλουθον, ὅμοιον, τὸ μεταξὺ ὄν. ubi vulgo cum præcedente ὅμοιον copulare volentes legunt τῷ μεταξὺ ὄν. Interpretium notat illam differentiam, quæ eſt inter prius pretium & poſterius, ſive inter pretium: & incrementa pretii. *Valeſius* definit, *pretium inter emtum ac*
lib. 16. obſ. 4. *venditum*; & à *Cujacio* nimis obſcure *pretium pretii* vocari ait. Quod in *Obſervatione*, quam nominat, non invenio. De cetero recte notant ad Ammianum, *Lindenbrogius* & *Valeſius*, interpretium & de lucro & de damno dici: ut, quanto pluris aut minoris vendideris rem quàm emeras, id quod priori pretio acceſſit aut deceſſit, *interpretium* ſit. Nobile exemplum

eſt in *Ammiano Marcellino*, ubi Hymetius pro conſule Africam regens Carthaginienſibus inopia laborantibus ex horreis Romano populo deſtinatis frumenti denos modios ſingulis Solidis vendidit. Proxima meſſe, in ubere frumentorum proventu, illa pecunia emit frumenta, ſed Solidis ſingulis tricenos modios. De quibus, cum horreis populi Romani quantum inde acceperat, fideliter reſtituiſſet, *interpretii compendium ad Principis ærarium miſit*, ſive ad Arcam Præfecturæ Prætorianæ. Hic *interpretium* erat, xx modii in ſolidum. Atque hoc quidem clarum apertumque eſt. *lib. 28. c. 5.*

Apud *Caſſiodorum* Rex Theodoricus præcipit: *ut* [ob] *frumenta, quæ per negotiatores publico comparantur, non iterum ab eisdem interpretii nomine Solidorum quantitas exigatur.* Res ita ſe habebat. Negotiatoribus vulgo dabatur negotium coëmendi frumenti Reipublicæ neceſſarii: cujus ſi parte hic aut illic non indigeret reſpublica, compellebantur negotiatores ab his, qui eam rem curabant, ut frumentum Reipublicæ emtum, ſibi haberent, & pretio, quo emerant, adderent certam ſolidorum quantitatem, interpretii nomine, id eſt, cogebantur emere à republica carius, quod reipublicæ emerant vilius. *Iniquum* autem exiſtimat Theodoricus *ut ille patiatur diſpendium, qui imperiū fecit alienum.* Conſtituit ergo, ut, ſi coemto frumento non indigeat Reſpublica, vendatur ab officio Præfecturæ Prætorianæ, eventuque, quem ſors datura eſt, ratio fiſcalis contenta ſit: *lib. 2. Var. ep. 26.*

 At

At non æque expediveris in *Lege Saxonum cap.* 2. *de occiſionibus l.*1. *Qui nobilem occiderit*, IↃCCCXL *Sol. componat. Ruoda quod dicitur apud Saxones* CXX *Sol.* & *interpremium* CXX. *Sol.* Interpretium hic legenti *Lindenbrogio*, nemo diſcrepabit, opinor. In ceteris dicam quid mihi videatur, libenter ceſſurus meliora docentibus. Illud *Ruoda*, quod de cruce explicant gloſſæ, huic loco non convenire, arbitror: ſubſtituerim *Freda*, ſive *Vreda*. Delicta apud Germanicas nationes certa pecuniæ ſumma æſtimabantur: cujus pars ut in homicidio, propinquis occiſi, pars fiſco ſolvebatur. Antiquiſſimum morem *Tacitus* memorat: *pars multæ regi vel civitati, pars ipſi qui vindicatur vel propinquis ejus exſolvitur.* Sæquiore ævo *compoſitio, qua* propinquis præſtabatur luendi homicidii aut alterius criminis cauſſa, *Weregildus*, *Weregeld*, *Wargilda* dicebatur. Quod fiſco ex tali cauſſa cedebat, *Fredum* vocabatur. Legis ergo ſenſum hunc exiſtimo: *Qui nobilem occiderit*, IↃCCCXL *ſol. componat:* tot ſolidos ſcilicet (de numero enim diſquirendum eſt) tanquam Wirgildum ſolvat, occiſi propinquis: *Freda quod dicitur apud Saxones*: CXX *Sol.* Freda autem quæ nominantur apud Saxones, fiſco ſcilicet inferenda mulcta, CXX ſolidis dependatur: & *interpretium* CXX *ſol.* Quid *interpretium* hîc? capio augmentum mulctæ ex mora, ſive acceſſionem & geminationem fredi ob dilatam ſolutionem ſive tergiverſationem damnati. Ne ſomniare videar, commodum ad meas manus venit miſ-

Germ, 12.

V. *Hieron. Bignon. ad Marculf. l.*1. *p.*444. & 491.

miſſa Illuſtriſſimi cujuſdam viri Scheda ſive *Capitulare Caroli M. ex antiquiſſimo MSC. bibliothecæ Vaticanæ* non ita pridem à doctiſſimo *Holſtenio* editum, factum in Comitiis Aquenſibus A. Chriſti DCCXCVII, ubi geminatio iſta clare adſtruitur *cap. IV.* dum Wargilda pagenſibus conceditur, ſi cauſa infra patriam fuerit pacificata. *Si autem* (ita ſequitur) *in præſentia miſſorum regalium cauſſæ definitæ fuerint, pro jam dicta Wargilda ſupraſcriptos ſol.* XII. *ipſis pagenſes habeant conceſſos: & pro hoc quia miſſus regalis ex hac re fatigatus fuerit, alios* XII *ſol. inde recipiat ad partem regis. Si autem ipſa cauſſa ad palatium in præſentia regis ad definiendũ fuerit perducta, tunc utriq; ſolidi* XII: *id eſt pro Wargilda, & quod vicinis debuit componere, eo quod infra patriam definita ratio non fuerit, ad partem regis faciant componere, quod ſint ſolidi* XXIV. *Nam ſi fuerit aliquis, qui in patria, juxta quod ſui convicini judicaverint, ſeque pacificare noluerit, & ad palatium pro hujus rei cauſſa venerit, & ibi ei fuerit judicatum, quod juſtum judicium judicaſſent, in prima vice, ut ſupra dictũ eſt, ſol.* XXIV. *ad partem regis componat. Et ſi tunc inde rediens ſe pacificare & juſtitiam facere renuerit, & iterũ pro iſta cauſſa ad palatium fuerit convocatus & dejudicatus, bis* XXIV *ſolidos componat. Si vero necdum correptus tertia vice pro eadem re ad palatium remeaverit triplam compoſitionem exinde faciat ad partem regis.* Interpretium igitur in Lege Saxonum, fuerit acceſſio ſive geminatio mulctæ fiſco pendendæ, id eſt, fredi, ob tergiverſa-

tionem

tionem & contumaciam partis condemnatæ: translata ſimilitudine à rebus, quæ in commercio verſantur emunturque & venduntur, ad rationes pœnæ ac mulctæ: ut ſolenne iſtis temporibus fuit inflectere vocabula, & licenter ſignificationem ad alia transferre.

Ceterum de interpretio, priore illo ſignificatu, hujus loci ſunt iſtæ quæſtiones: interpretii compendium omnino juſtitiæ non adverſari, cum tota mercatura id eſt res tam neceſſaria reipublicæ hoc fundamento nitatur, nec male R. Theodoricus deſcribat mercatores, *genus hominum quod lucris vivit:* juſtis nimirum. Sed modum interpretii, quippe non una ſemper æſtimatione taxandum, non niſi arbitrio viri boni ac prudentis definiri. Quæ res in mercatura ſæpe exitum vix reperire poteſt, ut teneatur medium iter: nec vel licentia interpretii, vel reſtrictio & adæquatio, mercaturæ in ſummam, aut civitati, aut ſingulis noceat. Et quoniam aliquando diſpendia interpretii nulla diligentia vitari poſſunt, fieri non nequit, ut tali caſu, inæqualitas in contractu ſit, & minus habeat venditor, absque culpa emtoris. An vero, in certo præſertim genere mercium, ob frequentia & pæne neceſſaria diſpendia interpretii, ſicut apud pharmacopolas, liberalius, & quouſque, indulgeri par ſit, altioris eſt disquiſitionis.

Agrar. 1, 5 Vere eſt à *Cicerone* dictum: *nihil eſt quod non emi poſſit, ſi tantum des, quantum velit venditor.* Et ex diverſo dicere poſſis: nihil eſt, quod non ven-

vendi poſſit, ſi tantum remittas, quantum velit emtor. Poteſt tamen tanta eſſe venditoris avaritia & tam manifeſta iniquitas, ut non tam vendidiſſe ſuam rem alteri, quàm emunxiſſe alterum argento, dici queat. Sicut Theodoricus Rex apud *Caſſiodorum*, *non tam comparaſſe*, *quàm ſurripuiſſe* emtorem dicit id, quod à *venditore prodiga voluntate laſcivo*, & *pupillo* emerat vili pretio. Verum has voluntates ad regulam concinnare, ſicut nulla umquam lex ſatis potuit, ita naturalis æquitatis, & conſcientiæ, & caritatis Chriſtianæ ſupplementum accedat neceſſe eſt, ſi negotium cotidiani & neceſſarii uſus ad civilis felicitatis modum, quo humana omnis prudentia tendit, exigi & accommodari velimus. Adeo eſt præclare ab *Ariſtotele* obſervatum, non ſolis legibus, ſed bonis moribus (quibus formandis deſtinantur educatio civium publica & privata, tum Theologorum vigilantia & auctoritas) finem civitatis obtineri.

Var. lib. 1. epiſt. 7.

In ponendis aliarum rerum pretiis, proxime ad rationes emendi vendendiq; accedunt, quæ locantur & conducuntur. Conſuetudo enim & tempus & locus, non minus hic ad æquitatem aut iniquitatem oſtendendam faciunt, quàm in illo primore contractu. De laborum pretio definiendo, res aliquando difficilior eſt & impeditior. Rerum neceſſariarum mercede, perpetuas operas ſervorum etiam redimi, ratio ſemper fuit. Neceſſaria autem alimentis & veſtibus metiebantur. Qua de re

Gro-

l.B.3.14.6. & in Ann. *Grotius* abunde annotavit. Addi debet, ut etiam ſervo proſpici debeat de victu & neceſſitatibus, cum operas præſtare non poteſt morbo ſeniove infirmus. Et ſublata quidem hodie ſervitute, famulis perpetuis conſenſu fere gentium humaniorum, præter alimenta & veſtes aliquid indulgendum creditur, unde quaſi peculium quoddam conficere queant. Milites, etiam ubi de tenuitate ſtipendii queruntur, aliquid præter neceſſaria, ſibi ſupereſſe oſtendunt, unde vacationes redimere & centuriones demulcere poſſint, apud *Tacitum*. Et Alexander Severus de militari diſciplina: *miles non timet, niſi veſtitus, armatus, calceatus & ſatur, & habens aliquid in Zonula.* Cum ex diverſo *mendicitas ad omnem deſperationem vocet armatos.*

1. A. 17. Lamprid. c. 5.

apud Caſſiodor. lib. 2. ep. 9. Atque ſi Theodoricus Rex hiſtrionem tanquam *lætitiæ publicæ miniſtrum*, *mendicitate triſtiſſima non debere ingravari* exiſtimat, quanto magis honeſtiores & liberaliores labores iis rependi præmiis æquum eſt, quæ ab inopia vindicent e.g. patronos cauſſarum, medicos, magiſtratus, doctores variarum ſcientiarum. Convenit enim, ut magnarum rerum magna merces ſit. ὁ μισθός, ὡς ἐπὶ μεγάλων μέγας, apud *Libanium*. *Mercedis* enim nomen neq; Latini, neque Græci veteres abhorruerunt, in iis, quæ poſtea alii ſtipendia, ſalaria, honoraria, præmia, & Græce ζωπάξεις maluerunt dicere.

11. A. 7. Apud *Tacitum*, qui foro dabant operam, bene diſſerunt: *eloquentiam non gratuito contingere:*

omit-

omitti curas familiares, ut quis ſe alienis negotiis intendat. Multos militia, quoſdam exercendo agros tolerare vitam. Nihil à quoquam expeti, niſi cujus fructus ante providerit. Quod ex *Livio* *lib. 4. c. 35.* Tacitus, ut multa, ſumſerat, qui in re alia, ſententiam eam ita extulit: *eo impendi laborem ac periculum, unde emolumentum atq; honos ſperetur.* Videmus hic quoq; ad neceſſitates vitæ rationem mercedis exigi: ſcilicet honeſte degendæ, ut ſe ſuosq; honeſte poſſit ſuſtinere, qui ſtipendia officii aut muneris operisq; honeſti meret. Medicorum cauſſam *Seneca* agit. Doctorum *6. de benef. 15. & 16.* & præceptorum labores mercede digniſſimos tuetur facundiſſime *Libanius*. *orat. 2. tom. 2. pro Rhetoribus.* Quamquam autem res ipſa pretio nummario æſtimari in talibus nequeat, labor tamen cuique ſuus fructuoſus eſſe debet. *Itaque his non pretium rei*, ut bene *Seneca* diſtinguit, *ſed operæ ſolvitur: -- -- mercedem non meriti, ſed occupationis ſuæ ferunt.* Magiſtratibus mercedem conſtituendam Mæcenas Auguſto ſuaſit apud *Dionem Caſſium*: *lib. 52. p. 478. adde p. 479. & 480. &c.* μισθόν γε τινὰ φερέτωσαν καὶ τῆς ἀσχολίας ἕνεκα, καὶ τῆς ἀξιώσεως. *Merces iis aut præmium aliquod detur, tum occupationum, tum dignitatis nomine.* Quaſi diceret: occupationes eorum ita remunerandas, ut non modo neceſſaria ſuppetant, ſicut ante dictum eſt; ſed dignitatem quoque ſuam quisque & honorem muneris tueri queat. Nam de liberalitate ſingulari magnorum Principum, operas eximiorum miniſtrorum animoſe æſtimantium, nihil attinet dicere.

De

De variis fraudibus, & ſubdolis artibus quibus pretia rerum augentur minuunturve, nolumus verboſi eſſe. In ſubobſcuris, aut ambiguis laborandum eſt: dolus apertus ſuopte
in Gallien. c, 12. arguitur indicio. Ut cum *gemmæ vitreæ pro veris venduntur* apud *Trebellium Pollionem*: aut alia gemmarum adulteria ſubornantur. De cujus generis fraude deprehenſa, puniendâ nemo
lib. 12. c. 25. dubitat. Apud *Plinium* balſami vitiandi conſuetudo annotatur: *nec manifeſtior alibi fraus: quippe millibus denarium Sextarii emti vendente fiſco trecenis denariis veneunt: in tantum expedit augere liquorem.* Sicut Oenopolas rariora & peregrina vina, aliis liquoribus in tantum augere compertum eſt, ut ex uno dolio cadove facile numeroſior proventus ingeminetur.

Potius eſt, ut de ipſa *pecunia*, aliquid ſubjiciamus. Eſt hæc plerumque ipſum pretium, ſicut ante oſtendimus. Sed uſu tamen venire conſtat, ut interdum merces fiat; tum etiam certam ob formam ac conditionem, pretio æſtimando aliquid adjiciat aut detrahat. *Pli-*
lib. 33. c. 3. *nius* de Victoriatis: Qui *nunc victoriatus appellatur, lege Clodia percuſſus eſt. Antea enim hic nummus ex Illyrico advectus, mercis loco habebatur.* Atq; hinc eſt collybus, proprie ſic dictus: ex permutatione pecuniæ. *Pollux*: ἀργυρίου ἀλλαγὴ, ὁ καλούμενος κόλλυβος. Et collybiſtæ,
3. 9.
Perſius qui ſciebant, *quid aſper utile nummus haberet.*
Satyr. 3. Quæ *aſpratura* oſtendit, caute accipiendum illud Poëtæ:

unum ubi nummorũ genus eſt, ibi collybus haud eſt.

Colly-

Collybo enim non permutantur tantum nummi diſparis metalli, formæ, pretii, ſed etiam unius formæ, atque adeo unius generis, ut denarii detriti cum aſperis. Ab hac permutatione, licet ſine quodam quaſi interpretio, ſæpe etiam ſine fraude non fiat, diverſa eſt collybiſtarum ſive potius numulariorum negotiatio, quam in fœnerandis pecuniis exercent. Illa enim ex tempore, in loco, inter præſentes uſurpatur: hæc in mutuanda, & trajicienda pecunia potiſſimum verſatur. Quamquam vox *cambii*, qua hodie utuntur, etiam permutationem ſignificet. Totus autem ille contractus iisdem prorſus rationibus regitur & defenditur, quibus pacta, quæ ad uſuræ ſpeciem accedere videntur apud *Grotium. Aſconius in Divinationem, quadrupli damnari ſolitos*, ait, *qui convicti erant pecuniæ gravioribus uſuris fœneratæ, quàm pro conſuetudine.* Legibus quoque repreſſas fœnebris mali fraudes, *miras per artes rurſum oriri*, *Tacitus* queritur, & experientia omnis ævi demonſtrat. Anno ſuperioris ſæculi nonageſimo ſexto Albertus Archidux, rebus Hiſpanis in Belgio moderandis impoſitus, maxima rei pecuniariæ difficultate premebatur, ex tali cauſſa. Cum enim à mercatoribus magnam vim nummorum accepiſſet, in Hiſpania cum lucro illis reddendam, ſyngraphas quæſtuoſæ pecuniæ in Hiſpaniam miſſas rex conſpicatus, & immodica mercatorum cupiditate commotus (pro ſingulis namq; nummum centenis, ſeptuaginta lucri nomine pacti erant)

l. B, 2, 12, 21, c. 22.

6, A. 16.

Haraei Annal. tom. 3. p. 522.

eas concerpſit, atque intolerabilem uſuram decreto notavit. Sed cum absque opera eorum bellum geri non poſſet, ad novum pactum deſcendendum fuit in poſterum: ut ſinguli ducati in Belgio ad 53. ſtuferos computarentur. Ita lucrum de centum erat 47.

Quantum in mutando pretio nummorum ad lucrum & damnum momenti ſit, dici non poteſt. Civitas aliquando talibus inventis ſua damna levavit. *lib. 33. c. 3.* *Libra pondus æris*, referente *Plinio*, *imminutum bello Punico primo, cum impenſis reſpublica non ſufficeret, conſtitutumque ut aſſes ſextantario pondere ferirentur: ita quinq; partes facta lucri, diſſolutumque æs alienum: --- Poſtea Annibale urgente, Q. Fabio Max. Dictatore, aſſes unciales facti: placuitque denarium ſedecim aſſibus permutari, quinarium octonis, ſeſtertium quaternis: ita reſpublica dimidium lucrata eſt.* Non ſine temperamento tamen: *nam in militari ſtipendio ſemper denarius pro* x. *aſſibus datus.* Vide, *p. 111. Edit. Nic. Alem.* quod *Procopius* refert *in ἀνεκδότοις*, de ſtatere aureo. Valde autem opera danda eſt, ne quid hæc res domi foriſque in commercia detrimenti, & perturbationis inferat. Cujus generis inauditas calamitates hoc ipſo ſæculo Germania noſtra experta eſt. Inter alias, *cauſſa malorum*, *differt. de nat. nummi.* inquit doctiſſimus *Lampadius*, *quod ex menſura fecimus menſuratum, id eſt, Ioachimicos & id genus probata genera ad minutam eamque adulteratam monetam exegimus, eatenus Joachimicos ſui valore augeri ac excreſcere judicantes, quatenus fex illa moneta deficiebat in dies facta*

mi-

minor: cum potius ad ipſam quantitatem argenti quamlibet monetæ ſpeciem æſtimare oporteret. Joachimici ne ipſi quidem veræ monetæ menſura ſunt, ſed argenti quantitas pondere definita. Attamen minus hallucinaremur, ſi, prout adulterantur minuti nummi, ita non continuo judicaremus, Joachimicos augeri minuive.

Memorabilis inprimis eſt conſultatio, quæ anno hujus ſæculi ſecundo aulam & Curiam Galliæ exercuit, de mutatione in re monetaria facienda, quam *Thuanus* deſcribit. *Abrogatus eſt tum ſalutaris in commercio & contractibus per aureos computandi uſus, qui ab anno* 1577. *feliciter uſurpatus fuerat, augendi per libras, quæ imaginariæ ſunt, auri & argenti pretium, & mercium ac rerum omnium caritatem invehendi præciſa per eum occaſione. Nam per licentioſa bella cum collybiſtarum flagitio nihil inauſum eſſet, hac ſola ratione effectum eſt, ut nihil in jactatione nummorum peccatum ſit.* --- -- Quæſitus quidem eſt mutationi prætextus: *quod libra omiſſa, quæ tertiam tantum partem tunc aurei faciebat, luxui & profuſioni per aureos computandi uſus portam aperuiſſet.* --- *Sed experimento compertum eſt, quod anno* 77. *ad ſiſtendum in numis per libras pretii incrementum decretum fuerat, prudentiſſime factum fuiſſe, eoq; abrogato incommodum idem quod antea invaluiſſe, quod tandem numi aurei augendi, & per illud incrementum mercium pretium præcipue externarum pariter augendi neceſſitatem impoſuit.* Verum de pretio pecuniæ acturo, nova diſſertatione, neq; exigua opus eſt. Noſtro inſtituto iſta poſſunt ſufficere.

lib 129. *p.* 1037. *&c.*

DISSERTATIO III.

ad Grotii lib. 2. *c.* 20. *n.* 20.

LEX, QUA INGRATI DATUR ACTIO.

DUplex eſt hujus loci diſputatio: Primo, ut de lege, quæ eſt; deinde, ut de lege, quæ eſſe poteſt, aut debet.

In prima quæſtione, quando, an ſit lex adverſus ingratos, diſputatur, iterum ordine incedendum eſt, ut videamus: an natura, an mos gentium, an jus civile ingratos emendationi & pœnæ ſubjecerit.

l. B. 2. 20. 20. De naturâ, videtur dubitare *Grotius*, quando ſtatuit, *puniendos non eſſe actus oppoſitos virtutibus, quarum natura coactionem omnem repudiat; in quo genere ſunt, miſericordia, liberalitas, gratiæ relatio.* Non enim de Jure civili tantùm loqui *Grotium*, facile intelliget, qui propoſitum operis, & diſquiſitionis hujus contextum animadvertit. Sed, ſi jure naturæ præcipiente continetur *Gratia*; ejusdem juris auctoritate ingrati damnabuntur. *Cicero* diſertis verbis; *Ac natura quidem jus eſt, quod nobis non opinio, ſed quædam inſita vis afferat. Ut religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, obſervantiam, veritatem.* Et mox *Gratiam* deſcribit, *quæ in memoria ex remuneratione officiorum, & honorum & amicitiarum, obſervantiam teneat. Hierocles*, cum de grato in parentes animo agit, naturæ in ea re

2. de invent, 22.

paren-

parendum, elegantibus verbis indicat: τὸ γὰρ εὐχαρίστως πάντα ποιεῖν, καὶ τὸν τῆς ἀρετῆς διασώζει νόμον, καὶ τὸν τῆς φύσεως ἀποδίδωσιν ἔρανον. *Qui grato animo iſta faciet, non virtutis modo legem cuſtodit, ſed quod natura jubet officium, implere pro viriliparte ſtudet.* Quod longe melius judicant, & interpretantur, qui gratum in parentes animum, etiam divina voce, non inſcriptum modo mentibus, ſed tabulis æternam legem continentibus denuo promulgatum norunt. *Philo Judæus, ingratos duo apud tribunalia, maxime naturalia, damnari oſtendit; impietatis quidem, apud divinum, quod vita poſt Deum auctores non venerantur; inhumanitatis apud humanũ, quod nihil ab iis quisquam ſperaverit, qui negligunt eos, quibus par gratia referri non poteſt.* *de decalogo p. 760.*

Ex hoc jure naturæ quæ proficiſcitur actio, judicem habet Deum; actores non eos tantum, qui ab ingratis atrociter læſi ſunt, ſed ipſam quoque ingratorum hominum conſcientiam; patronos nullos.

Sed & gentium, quæcunque aliquem civilis moris guſtum habuerunt, judicio, diſſociabile nec ferendum viſum eſt ingrati animi vitium. Præclare teſtatur *Cicero: Quæ autem natio non comitatem, benignitatem, non gratum animum & beneficij memorem diligit? quæ ſuperbos, quæ maleficos, quæ crudeles, quæ ingratos non aſpernatur, non odit? Julianus Imperator in encomio Euſebiæ:* *1. de ll. ii.* οὐδενὸς γὰρ, οἶμαι, τῶν ἄλλων ἀδικημάτων ἔλαττον μισοῦμεν ἀχαριστίαν, καὶ ὀνειδίζομεν τοῖς ἀνθρώποις, ὅταν εὖ παθόντες περὶ τοὺς εὐεργέτας ὦσιν ἀχάριστοι.

Neq; enim minus quàm alia crimina, ingratum animum odio proſequimur, ac exprobramus hominibus, cum accepto beneficio, ingratos ſe erga bene meritos præbent. Neque alienum eſt ab hujus
3. de benef. 6. loci ſententia, quod *Seneca* fatetur, *Urbes quoq; urbibus, quæ præſtiterunt exprobrare; & in majores collata, à poſteris exigere.*

Apud hoc *tribunal*, quod excellentiore ſignificandi genere *humanum* dixeris, ſicut prius illud *divinum*, accuſat fama, vel ſermonibus vel literis prodita: patrocinium reorum non aliis ſuſcipientibus, quàm qui pudore omni abjecto, ſuam alienamque infamiam amare ſerio didicerunt.

Civile tribunal ſupereſt. De quo ante omnia, ut diximus, quæritur, an fuerit certis in civita-
3. de benef. 6. tibus lex prodita adverſus ingratos? Reſpon-
tom. 1. pag. 450. det *Seneca: Excepta Macedonum gente, non eſt in ulla data adverſus ingratum actio.* At *Lucianus in Abdicato* diverſum pronuntiat: καὶ μὴν οἵ γε νόμοι καὶ ἀχαριστίας δικάζεσθαι διδόασι, κατὰ τῶν τοὺς εὐεργέτας μὴ ἀντευποιούντων. *Equidem leges actionem ingrati dant, contra eos, qui benefactoribus non referunt gratiam.* Quem locum, qui de Macedonum legibus tantum velit exaudire, magno ſe onere obligabit tuendæ ſuæ ſententiæ. Jam, cum in *Declamationibus* veterum mentio fit, apud *M. Senecam* & *alios*, legis, *ingrati ſit actio*; quæ lex ad unam & ſolam aliquam civitatem non videtur referre poſſe, niſi quod ad leges Atticas ſæpe reſpiciunt Rhetores; *Seneca* iterum exceperit hanc orationem, & in

& in ſcholis iſta fingi à declamatoribus, non reperiri in vita, dixerit; Unde & ita quærit: *an hæc lex, qua in ſcholis exercetur, etiam in civitate ponenda ſit, qua ingrati datur actio.* Sed neq; hic *Senecam* auctorem ſequerer, quin exiſtimarem, apud *Ciceronem*, *M. Senecam*, *Quintilianum*, *Ariſtotelem*, non poni exempla niſi *verarum legum*, quæ revera aliqua in civitate, præſertim Græciæ (inde enim Latini fere exempla arceſſunt) latæ fuerint. Libenter patiar me doceri, ſi diverſum idoneo teſtimonio oſtendi poteſt. De *rogationibus* interim non loquor; quas interdum, ut & ſuaſorias alias, ingenio Rhetoris fingi, non ex hiſtoria vitæ deſumi, ſatis conſtat. *3. de benef. 6.*

Conſignavit & *Gregorius Tholoſanus* exempla, quæ ex jure civili Romano, & aliarum gentium huc pertinent. Ubi nec illud omittendum eſt: quod nulla gens cultior fuit, quin, etiam cum actio legibus non erat prodita, judicis officio ingrati animi crimina ſubjecta cuperet. *Syntagm. Iur. univ. 35. 1. 16.*

Quando autem, *an lex adverſus ingratos ferenda ſit*, diſputatur; parum utique profecit longa *Seneca* oratio, quæ id diſſuadet. Ingratum enim hac una re definivit, ſi non redderet beneficium. Et eſt ſane boni viri, de referenda gratia ſerio cogitare; neque acceptorum beneficiorum unquam obliviſci. Sed hoc genus ingrati animi non ſpectatur præcipue, cum de lege, quæ ingratos coërceat, agitur. Ceſſant ergo omnes illæ quæſtiones, de tempore, & *3. de benef. a cap. 6 usque ad 18.*

facultate referendæ gratiæ, de æſtimatione & comparatione beneficiorum, de dubitatione judicis in definiendo beneficio. Non enim dubia, ſed certa & humani generis ſententia, definita beneficia ſpectantur: neque tam, non reddita, non fideli memoria cuſtodita, quàm maleficio penſata, legi ſubjiciuntur. Adverſus ingratum, qui lædit eum, à quo indubio beneficio fuit affectus, lex paratur. Adverſus diſſimulatores & inficiatores beneficiorum, qui ſine propoſito lædendi ſcilicet tales eſſe non poſſunt, ſeveritas judicis quæritur. Clara hæc ſunt, & expoſita in omnium conſpectu. Si quid boni mores præterea damnant, etiamſi nullâ lege præſcripta ſit actio, Judicis officium in Republica latius patet, neque ullam morum partem labare ſinit.

Grot. I. B. 2. 22. 16. Quin lege prodi poſſint ac debeant, quæ ex juſtitia debentur, nulla eſt dubitatio. Juſtitiæ autem munus eſſe, gratum animum, magno conſenſu tota antiquitas docet. Nec aliunde *1. offic. 15.* *Cicero* neceſſitatem referendæ gratiæ deducit: qua nullum officium majus eſſe ſtatuit. Igitur *1. Rhetor.* *Ariſtoteles* maximis & fœdiſſimis *injuriis* accenſet, quæ ab illo, qui beneficio affectus eſt, infertur benefactori. πλείω γὰρ ἀδικεῖ, ὅτι τε κακῶς ποιεῖ, καὶ ὅτι οὐκ εὖ. *Non ſimplex enim eſt injuria in bene meritos; & quod offendit eos injuria auctor,* *lib. 1. παιδ.* *& quod gratiam iis non refert.* Apud *Xenophontem*, Perſarum judicio ingrati puniuntur, tanquam homines, *qui nec Deos, nec parentes, nec patriam, nec amicos curare norint*, id eſt, ab omni juſti-

juſtitia plurimum alieni. Quam enim partem juſtitiæ curaret is, qui pro bona gratia malam rependit?

ὃν γὰρ τὸ χρηστὸν οὐκ ἐποίησ' ἥμερον
τί δ' ἂν διορθώσειεν ἄλλο τῶν πάντων ποτέ;

Quem enim benignitas ex fero humanum reddere non potuit, quod aliud hunc ex omnibus rebus unquam emendaverit? ut recte ratiocinatur *Gregorius Nazianzenus.* In *Pollucis Onomaſtico*, *in Vit. tom. 2. p. 16.*
ἀδικία & ἀχαριστία, ἐκ παραλλήλου dicuntur.

Quod ſi alia loquendi ratio placet, neque juſtitiæ hoc proprium munus, ſed alterius virtutis videatur, nemo tamen negaverit, legibus præcipi poſſe, quæ ulla virtus præcipit. Quoq; *Grot. I. B. 2, 25, 3.*
major eſt virtutis cujusdam cum juſtitia affinitas, eo clarius apparet legislationis materies. Accedat conſenſio plerarumque gentium, ipſiusque naturæ vox, quæ manifeſtam iniquitatem indicat, judicatque: an dubitationi locus ſupererit, quin in legem ire poſſit, res ad continendam ſocietatem non civilem modo, ſed humanam, tam neceſſaria?

Sicut autem felicius egerunt civitates, ubi ingratos poſita lex coercuit: ita ſæculi mala non modice augentur impunitate hujus criminis, quo non eſt aliud humanæ ſocietati inimicus. Fruſtra nobis *Seneca* occentaverit: *3. de benef. 16.*
pauciores fore ingratos, ſi nulla detur actio, majore enim delectu datum iri beneficia. Nec expedire notum omnibus fieri, quàm multi ingrati ſint; ne ipſa multitudo pudorem minuat. At ille *delectus* fingitur, non monſtratur. In quibusdam benefi-

ciis nihil licet judicio benefacientium, quod in
cap. 11. parentum exemplo agnovit *Seneca.* Sic præceptor de omnibus diſcipulis bene meretur; non licet, huic dare, illi negare beneficium. Qui ſanctiſſimis Chriſtianæ religionis legibus vivunt, ſi vident, indigere beneficio alium, vindice, altore opus habere, non deliberant aut divinant, quo ingenio ſit laturus beneficium, an grate ingrateve habiturus. Neq; cuiquam ſua benignitas à ſincero profecta animo fraudi eſſe debet. Male porro metuitur, ne detegat lex multitudinem peccantium, & inultam præſtet. Lex ſui ipſius vindex eſt, cujus defectu non ingratos tantum multiplicari, ſed plurium exempla ſcelerum pullulaſcere, nimis quàm certum eſt. Imperitum dixero Reipublicæ, & moris humani, & ſæculi, qui non videt, pauciora fore alia crimina, ſi pauciores ingrati fuerint: uniusq; legis adverſus ingratos munimento, ceteris ſuam auctoritatem duraturam.

Magis intelliguntur iſta, ſi quæ apud Rhetoras de actione ingrati diſputantur, paululum
2. 13. excutiantur. Annotavit *M. Seneca* hanc controverſiam: *Torta à tyranno uxor, nunquid de tyrannicidio ſciret, perſeveravit negare. Poſtea maritus ejus tyrannum occidit: illam ſterilitatis nomine dimiſit, intra quinquennium non parientem. Agit illa ingrati.* Pro uxore, compendio dicuntur illa *Hiſponis Cornelii: Duplici beneficio uxori ſuæ obligatus* erat maritus: *& quod non eſt occiſus, & quod occidit. Faſtidit ſterilem, qui fecit.* Sterilitas enim vel adhuc incerta eſt, & tum valent illa:

illa: *non reſpondet ad propoſitum, nec ad certum diem fœcunditas:* vel ita colligitur; *non poteſt parere mulier, quia torta eſt*; & tum bene reſpondetur marito: *imputat tibi, quod publicata eſt, imputat tibi, quod torta eſt, imputat tibi, quod ſterilis eſt.* Quamquam de ſterilitate accuratius *Buteo* egit: primum, *non omnes poſſe dimitti, ſi quinquennio non peperiſſent*; deinde, *hanc non poſſe dimitti, --- --- Aliquod,* inquit, *tempus impune à legibus miſeriæ faciunt. Non dico, quia torta eſt, ſed hoc adhuc, propter æquitatis tractationem reſervo. Sed non peperit, quia tu* (maritum alloquitur) *maxima in cogitatione occupatus, nihil de liberis cogitaſti.* Neq; de nihilo fuit ſententia *Albutii Sili:* qua ingratum notat maritum, cum uxorem tam bene meritam repudiat: *Res tuas tibi habe. Injicere debuit manum, & ipſum inter res ſuas trahere. Nihil amplius patri debes quàm uxori. Mihi crede, majus fuit, tyrannicidium pati, quàm facere.*

Callido autem oratori, quàm viro bono magis conveniunt, uſuque & conſuetudine fori, ubi nihil non excogitatur aut arripitur ad defendendum etiam malam cauſſam, non honeſtate actionis ac boni moris diſciplinâ æſtimari debent, quæ ad negandum, diſſimulandum, extenuandum beneficium pertinent. Talia ſunt illa *Latronis: Etiamſi ſciſti de tyrannicidio viri, nec indicaſti, non eſt beneficium ſcelus non facere.* Et *Gallionis aliorumq;* quæſtiones: *An inter viros & uxores data beneficia, ingrati lege teneantur. Non eſt beneficium, ſed officium, facere*

quod

quod debeas: ut, ſi filius patri ſe dicat beneficium dare. Et *Fabiani*, qui alio quidem inſtituto ſe ab importunitate *Ceſtii* removit, ſed in uxorem tyrannicidæ iniquus fuit in illis: cum introducit maritum ita agentem: *ſe & cogitaſſe tyrannicidium, & uxori indicaſſe; & illam tum quidem feciſſe, quod probam fœminam facere oportuit; nunc peccare, quod putet beneficium eſſe recte facere.* Et: *ſi beneficium putas te dediſſe, quod tyrannicidium non prodidiſti: ego prior dedi, qui tibi tyrannicidium credidi.* Neq; cum *L. Vinicio* de hoc Fabiani colore dixero, *uxorem mutam effici. Si olim de tyrannicidio cogitavi, honeſtior ſum vetus tyrannicida; & non privatis, ſed publicis malis ad ultionem impulſus. Si, cum cogitarem, non celavi uxorem, facilius perſuadebo, me malum hodie maritum non eſſe, cui ſemper tam deditus fui. Ad ultimum hoc conſequar; Si quod audierat, tacuit, non beneficium eſt, ſed fides.* Fides eſt, tacere commiſſa: ſed in fide beneficium, quod torta tacuit, quod inſtrumenta ſævitiæ, quibus etiam virorum animi franguntur, ſuſtinuit, nec virum prodidit. Eſt officium, facere quod debes. Sed officii ſenſum dolor expugnat, & immanis crudelitas. Quis eſt, qui nolit ignoſcere mulieri, ſæviſſimis cruciatibus exagitatæ, ſi victa doloribus, faſſa eſſet tyrannicidium viri? Cæcus & ſurdus ad omnem honeſti æſtimationem fuerit, cui illuſtratus tormentis gratus ac beneficus animus, adhuc in obſcuro poſitus, & quærendus videtur. Et quæ illa importuna philoſophia: in officio non eſſe gratiam?

Quic-

Quicquid liberi erga parentes faciunt reverentia, amore, obſequio, opera, officio ea omnia tribuuntur: ſed officio nimirum, quod totum grati animi deſcriptione continetur. Intelligitur grati animi honeſtas comparatione eorum, qui negligunt; demonſtratur inter impedimenta & obſtacula; illuminatur temporibus, locis, caſibus. Dic eadem opera: non eſt virtus, ſcelus non facere. At, cum ad ſcelus vocant illecebræ, invitant præmia, trahunt minæ; virtus eſt, abſtinuiſſe placitis bonis; non ſpe, non metu ad peccandum, impulſum eſſe. Quid porro ſibi vult, qui dicit: prior dedi beneficium, credendo tuæ fidei tyrannicidium? An ſtatim, qui de alterius fide præclare ſentit, beneficium ei dedit? & quid ſimile habet commiſſum ſponte arcanum, cum ſilentio inter tormenta invicto? Etiam ſic laudas, uxorem, & te accuſas. Quàm pulcre enim beneficiis reſponderit illa, fateris: & quàm iniquus ratiocinator gratiæ ſis, contra communem hominum ſenſum comparans diverſa, imputans minora, ultro manifeſtas. Corrumpis imo beneficij, quod tu figuras, fidem, neq; pateris homines credere, te unquam uxori deditum fuiſſe, cui poſt tanta virtutis experimenta & in te merita, non modo non deditus, ſed infeſtus eſſe potuiſti.

At *Latro* tibi iterum patronus adeſt, ut dicas: *Etiam ſi dedit beneficium, recepit. Occidi tyrannum; libertatem mihi, tibi ultionem reddidi pleniſſimam: perſecutus ſum nefarium hoſtem, illic*

occi-

occidi, ubi torſerat. Dices, me Reipublicæ cauſſâ feciſſe, & tu Reipublicæ cauſſa tacuiſti. Imo tu, ſi rempublicam amares; beneficium reip. ab uxore datum amaſſes, grate habuiſſes, magis eo lætatus eſſes, quàm ſi tibi datum foret.

Sed profecto, & Reip. & tibi datum eſt. Tibi datum eſt, ut poſſet Reipublicæ dari. Et, quanto fuit magis arduum, quod uxor tibi & reipublicæ dedit, quàm quod reipublicæ dediſſe te ais? Ad tyrannum occidendum converſo, occaſio, facultas, inſtrumenta perficiendi operis; ſpes ſucceſſus, præmia, animos & vires addiderunt. Huic omnia adverſa & infeſta; nec, præter animum, quicquam liberum. Quanto facilius eſt, facere cædem, quam pati omni cæde triſtiora? Præterea, cujus eſt illa hominis vox, qui ſic agat: dediſti quidem beneficium, dira & acerba ſuſtinendo mea cauſſa; ſed dum auctor ejus acerbitatis mea opera jacet, nulla ultra beneficii tui, quod recepiſti, æſtimatio, nulla memoria? Quin univerſam gratiæ rationem in compendium mittis, & cum civibus tuis omnibus & ſingulis, imo cum ipſa civitate & patria ſic contendis: Liberavi vos omnes à tyrannide; eademque opera, quicquid beneficiorum vobis debui perſolvi: nemo poſthac à me ullam publice privatimve gratiam expectet aut recipiat. Ceſſent ſemel & ſimul omnia neceſſitudinis priſtinæ nomina: uniuſque virtute facti cuncta officii in poſterum vincula aboleantur.

Illud

Illud prorſus à fide facienda alienum eſt, cum inducitur maritus: *ne ſciſti quidem tyrannicidium, non enim tibi indicavi, nec tam magnum conſilium, virilibus quoq; animis grave, commiſi muliebri garrulitati: quæ id ſolum poteſt tacere, quod neſcit.* Recte enim à *Fabiano* & *Vinicio* reſpondetur huic inſtituto: *Dixerit, cogitaſſe quidem ſe de tyrannicidio ante tormenta, ſed uxori non indicaſſe: augebit uxoris beneficium. Liberius enim potuit tyrannicidium indicare, quod illi commiſſum non erat. Potuit enim uxor, etiam non indicante marito, tam magni conſilii molitionem deprehendere. Ceſtii* quoq; color, quem pro viro introduxit, nihil habet ſani: *Quo tempore uxor torta eſt, nihil adhuc de tyrannicidio cogitabam: poſtea cogitavi, & hæc ipſa cogitandi cauſſa fuit, uxoris ultio. Utrumque ſecutum eſt, ut illa marito inſolentiam imputare non poſſet, maritus illi tyrannicidium poſſet.* Leviter excuſſus hic color, evaneſcit; ſive facti fidem ſpectemus; ſive cauſſæ utilitatem. In fide facti, & ſerie negotii, utiq; *apparet, & aliquid de tyrannicidio cogitatum, de quo tyrannus usq; eo ſuſpicatus eſt, ut torqueret.* Ita parum inter ſe congruentia dixit *Ceſtius*: ſed & contra rationem & utilitatem cauſſæ. *Si dixerit enim, poſt tormenta ſe de tyrannicidio cogitaſſe, tum tyrannicidium uxori melius deberi meruit, ſi torta tyrannicidam fecit, quam ſi tacuiſſet.* Maximam ſcilicet gloriæ, qua tantopere gaudebat, partem uxori debuiſſet: ingratique animi crimine denuo ſe per repudium alligaſſet. In his, quæ ex licentia potius cauſſidicorum, quam

quam ex vero & bono pro ingrato marito allata ſunt, *Hiſpo Romanus*, judice ipſo M. Seneca, *maligne & accuſatorie*: *Nihil*, inquit, *ego iſti narraveram: iſta, ut erat neceſſe aliquid ex vultu, aliquid ex nocturnis vigiliis ſuſpicata eſt. Unde manaverit ſermo, ſciſtis. Videtis, quo veniat tyrannus, non ad amicum meum, non ad ſervum: ſed ad iſtam, quæ nihil negotii habuiſſet, ſi tacuiſſet. Tua enim cauſſa tacuiſti: ſciebas te perituram, ſi confeſſa eſſes tyrannicidiũ.* Fecit maritum ipſo tyranno crudeliorẽ; qui poſt ſilentium tormentis impenetrabile, garrulitatis arguit uxorem, & ne tyranni quidem teſtimonium reveretur.

Non caret ratione oratoria *Paſſieni* ſententia, qui putabat, recte facturam, *ſi hæc mulier injuſti repudii ageret, non ingrati. Albutius* autem *decentiſſime prius egit injuſti repudii, deinde ingrati.* Ut enim crimina geminantur, ita amplificatio inprimis valida eſt, ſi accedentis vitii turpitudo, in partem actionis transferatur. Sic injuria parentibus, præceptoribus, hoſpitibus facta, præter nomen proprium, ingrati animi crimine, ubiq; terrarum gentiumque notari conſuevit.

Honeſtiſſima autem eſt in hac cauſſa *Pollionis Aſinii* ratio, qui *nunquam tentandam eſſe* judicabat *illam quæſtionem, qua negamus, nos beneficium accepiſſe. Perit*, inquit, *tota cauſſa, niſi in hoc vicit. Apparet enim, ingratum eſſe, qui ne fatetur quidem, ſe accepiſſe beneficium.* Veritatem hujus ſententiæ, graviter adſtruit *Declamator* alius, cum præcipit: *Et in totum hoc ſervare in omnibus*

Quintil. decla. 333. ſermon.

con-

controverſiis, quæ ingrati lege continentur, debebimus, ut hi qui rei ſunt, in ipſa actione ingrati non ſint. Raro valde intervenient controverſia, in quibus hoc quæratur, an is, qui ingrati reus eſt, acceperit beneficium. Pleraq; divertunt eo, ut quæſtiones habeant: an, quisquis acceperit beneficium, & non reddiderit, ingratus ſit? an omnia, quacunque exigebantur, præſtare debuerit? an potuerit? Sed de his quæſtionibus poſtea. De facienda controverſia ipſius beneficii, præclare & ſolide philoſophantur, quos laudavimus: neque comparari huic gravitati poſſunt, quæ *Gallio & Atticus Vipſanius* de conſuetudine fori, & cauſſidicorum artibus annotant.

Vidimus exemplum actionis ingrati. Ubi haud dubium fuit rei crimen: neque ulla honeſta defenſione velandum. Ponamus aliud, quod haud æque reum premit, ex *Declamationibus Fabio Quintiliano attributis.* Leges: *Patronum optare liceat.* Et: *ingrati ſit actio.* Controverſia: *Adoleſcentem dives pauperem impenſis ſuis Athenas miſit. Redit ille diſertus. Detulit divitem quidam reum proditionis, & optavit patronum pauperem illum, qui divitis impenſis profecerat. Egit pauper, non tenuit. Accuſatur à divite ingrati.* In hac cauſſa, ſi liberum fuiſſet adoleſcenti, advocationis officium præſtare actori, aut denegare, non parum ſuſpicionis in eum trahi potuiſſet. Nunc legis auctoritate patronus optatur. Unde poſtea: *Habebat jus optandi patronum, & hanc leges dederunt poteſtatem.* Et: *Lex optandi patronũ jus dabat: me delator optaverat.* *declam. 333.*

verat. Doce quid faciam. Delator jus habet. Contra omnem meam deprecationem publica auctoritas nititur. -- non igitur objicere debes, in quod coactus ſum. Annon & cauſſa excuſat patrocinium? proditio enim, etiam in parente abominanda, & vindicanda eſt. *Advocationem negare contra reum proditionis non debui*, fortior aliquis diceret. *Oportebat non deeſſe legibus vocem, oportebat eſſe aliquem, qui in ſummis reipublicæ, ut tum videbatur, periculis, excuteret veritatem.* Itaq; ,ſi argumenta proditionis inſignia fuerunt, excuſari potuit ſuſceptum actoris patrocinium, etiam ſi liberum fuiſſet, denegare. Sin dubia & ſuſpecta indicia criminis, nec ſincera voluntas deferentis, merito beneficii memoria retrahere adoleſcentem debuit ab accuſatione bene meriti. Sed moratus eſt in primis *ſermo* Rhetoris, qui præmittitur: *Intelligitis huic adoleſcenti cum ſummo reſpectu divitis agendum: ita demum enim videbitur, id quod fecit neceſſitate feciſſe, ſi de illa queretur. -- -- Ergo, quod ad meum conſilium pertinet, hic invitus egit: ea, quæ dicenda accepit, pertulit.* In tractatione ergo ipſa, ſtatim ab initio, *maximum ſe beneficium accepiſſe, quod ſibi conſummare ſtudia contigiſſet*, fatetur; fortunam accuſat; cujus poteſtate factum ſit, *ut mallet omnem uſum loquendi perdidiſſe, quàm cum homine de ſe optime merito jam bis conſiſtere.* Subinde: *accepi beneficium, quantum maximum dare parentes liberis poſſunt. --- hujus liberalitate, hujus opibus, peregrina ſtudia, clariſſima exempla, otium, quo plurimũ ſtudiis confertur, ſum conſecutus. ---*

acce-

accepi pecuniam, votum, ſpem futuram in poſterum vitæ. --- accepi beneficium, ne illud quidem inficiabor, non reddidi. Non tamen continuo ſequitur, ut ingrati lege teneatur, qui acceptum beneficium nondum compenſaverit. Alioqui nemo eſt, qui non calumniæ genus poſſit incidere. Deſcribitur poſtea neceſſitas, de qua dictum eſt; moderatio in actione, vocis, vultus, nihil aſperum, extra cauſſam; propoſitum grati in poſterum animi, & confeſſio debiti.

Ponitur & illud actionis, de qua agimus, exemplum: *Cimon ingratus Calliæ*, apud *M. Senecam*. Leges: *Adulterum cum adultera qui deprehenderit, dum utrumq; interficiat, ſine fraude ſit.* Et: *Ingrati ſit actio.* Thema: *Miltiades peculatus damnatus, in carcere alligatus deceſſit. Cimon filius ejus cum ſepeliret, vicarium ſe pro corpore patris dedit. Callias dives, ſordide natus, redemit eum à republica, & pecuniam ſolvit, eiq; filiam ſuam collocavit. Quam ille deprehenſam in adulterio, deprecante patre occidit. Ingrati reus eſt.* Leges veræ ſunt: exemplum fictum. In hac controverſia merito ille *color & Gallioni & Latroni & Montano placuit, ut nihil in Calliam diceretur contumelioſe, & redemptorem, & ſocerum, & infelicem.* Unde non *Ceſtii* tantum improba eſt ſententia, qui *multa in avarum, & in fœneratorem, & menſularium, & lenonem dixit, dum vult illud probare, reddidiſſe Cimonem beneficium, quod talem ſocerum habere ſuſtinuiſſet:* ſed & *Junius Baſſus* ferri nequit, cum pro Cimone dicit: *Calliæ filiam uxorem duxi. Hanc tibi pater*

Contro. 4. 24.

Porcius Latro. *injuriam feci, dum ingratus eſſe nolo.* Beneficium porro Calliæ maligne interpretantur, qui diſputant ex perſona Cimonis: *Ut audivi eſſe, qui pecuniam numeret, miratus ſum, fuiſſe in civitate noſtra quenquam, qui Cimonem redimere quàm* *Niger Brutidius.* *Miltiadem maluiſſet. Ego ne patrem quidem meum, niſi innocens fuiſſet, redemiſſem.* Et qui illas quæſtiones fecit: *an ſi ſua cauſſa fecit hoc Callias,* *Gallio.* *ut redimeret Cimonem, an ſit beneficium.* Et qui illas: *an acceperit beneficium Cimo? deinde, an teneatur is, qui beneficium acceperit, quod non petivit?* Nam *Hiſponis Romani* ſtolide dura eſt quæſtio: *An retulerit gratiam hoc ipſo, quod occidit.* Figura tolerabiliore, ſed non ſatis probâ *Montanus Votienus* quæſivit, *an gratiam retulerit Cimon Callia. Tuli*, inquit, *filiam tuam uxorem, filia tua Miltiadis nurus facta eſt. Non putas beneficium, habere communes cum Miltiade nepotes?*

Loci hujus controverſiæ ſunt vel *pragmatici*, vel *pathetici*: quorum illi ad *jus*, hi ad *æquitatem pertinent.* In pragmatico genere Cimon vincit hac ratione, quod ingratus non cenſetur, qui beneficio ſe ad patientiam rei inhoneſtæ obligari nec putat, nec patitur. Quo pertinet illud *Montani*: *Certe beneficium reddam, cum tam honeſtum deſideraris, quàm dediſti. Ego adulteros dimittam? quid aliud facerem, ſi alligatas haberem manus?* Et, *Arellii Fuſci*: *Ferrum à lege mihi traditum, ad vindictam pudicitiæ, projiciam?* Et ex *Quintiliano*: *non poteſt videri ſæ-* *Declam. 277.* *vitia, non crudelitas, quæ per leges venit: occidere adulterum licet cum adultera.* In pathetica tracta-

tractatione illam æquitatis quæſtionem pro Cimone *Latro* movit: *an, ſi affectu & indignatione ablatus, non fuit in ſua poteſtate, ignoſcendum illi ſit?* *M. Senec. controv. 4, 24.*

Contra Cimonem pro Callia pragmaticum eſt, ſi dicatur: diverſam eſſe rationem ejus quod lex jubet, & quod permittit. Non oportere ſtatim fieri, quod licet facere. Permiſit tibi, Cimon, lex uxorem interficere, non præcepit. Quo minus utereris eâ licentiâ, memoria beneficii, preces ſoceri, ipſeque conſpectus & interventus ejus, te morabantur: ſi quid humani in te eſſet. Tune non donares patri filiam, qui tibi & libertatem & vitam, in vinculis morituro, donavit? Non petitur à te ſtuprorum patientia. Potuiſti abigere tuo matrimonio, quam male junctam expertus es. Satis exiſtimationi tuæ conſuluiſſes. Carnificis officium occupare, etiamſi lex indulget, furor eſt, non ratio: quid, in oculis parentis filiam interficere? beneficium maleficio rependere? beneficii auctorem vivum, videntem, præſentem, deprecantem negligere, rejicere, lædere? Nam in pathetico genere, omnia æquitatis, & miſerationis nomina & momenta Cimonem pro Callia interpellant.

Jam antea dictum eſt, quædam in hac controverſia, importunius mota eſſe. In quo genere fuit illa *Gallionis* quæſtio: *An teneatur is, qui beneficium acceperit, quod non petivit? Non rogavi,* inquit, *te, dediſti iſtud jactationi tuæ, putaſti ad gloriam tuam pertinere.* Crebra ſed improba

ingratorum cantilena. Quædam non rogantur, deſperatione impetrandi: quædam dubitatione, unde rogandum ſit: neque ab ignotis, nullave familiaritate perſpectis facile beneficia petuntur: quibusdam deſideriis, quo minus proferantur, iſta obſtat rei magnitudo. Quis ingentem pecuniæ ſummam, libertatem, vitam ab eo poſtulare auſit, quem nullo uſu habuit amicum? Quis in vinculis ſocerum quærit, cui prius oneri, quàm uſui ſit? Quædam miſeriæ includunt vocem, non laxant. Tune, quod glorioſiſſimum eſt in beneficio, in contrarium vertes, præveniſſe preces inopis, ſpectaſſe neceſſitatem, non expectaſſe vocem? Ita honeſtiſſimæ voluntatis gratiam perdet, qui humanitatis priorem, quàm hominis rationem deduxit? *Gratiſſima* eſſe debent *beneficia parata, facilia & occurrentia, ubi nulla mora fuit, niſi in accipientis verecundia. Optimum eſt, antecedere deſiderium cujusq;: proximum, ſequi. Illud melius occupare, antequam rogemur. Quia cum homini probo ad rogandum os concurrat & ſuffundatur rubor, qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus ſuum.* Ita ille, qui beneficium docet dare & accipere. Et mox: *ideo divinanda cujusq; voluntas, & cum intellecta eſt, neceſſitate graviſſima rogandi liberanda eſt.* Qui hoc fecit, ille, quod in benefaciendo ſummum eſt, fecit. Quam fuerit itaq; nequam, qui neget beneficium datum, quod non petenti datum eſt? *At enimvero*, inquit, *jactationi ſua hoc dedit, qui mihi benefeciſſe voluit videri?* O te ingratum, qui bene-

Seneca 2. de benef. 1. & 2.

beneficio manifeſto affectus, adjutus, ſublevatus, de beneficii auctore male opinaris, nefarie ſuſpicaris! Quod ſi plane tibi de ejus ambitione conſtaret, æquiſſimum erat, ut quantum tu accepiſſes, reputares, non quàm bene ille dediſſet. Auferetur ex vita hominum res pulcerrima, benefaciendi ſtudium, ſi liceat in alienis beneficiis curioſum eſſe, & maligne interpretari animum benefacientis. Quid enim erit, quod non vellicare poſſit malignitas? Scilicet, cum de accipiendo beneficio agitur, tum vero ſine anxia deliberatione omnibus in promptu fuerit illud Poëtæ: *Terent. Adelph. 2.3.1.*

Abs quovis homine, cum eſt opus, beneficium accipere gaudeas.

At ubi de habenda gratia quæritur, in Platonis rempublicam credo eatur, & ſapientium regulæ conquirantur, an beneficium recte atque ordine datum ſit, an nihil in dantis animo aut arte deſiderari poſſit. Dummodo conſtet, eos, qui ita dubitant, nullo modo recte accepiſſe beneficium; pravumque in ſeipſos exemplum ſtatuere. Qui minus enim accipiendi, quàm dandi beneficii regula & ratio ſit?

Nec melioris notæ eſt, illud effugium, in quo *Nigri Brutidii* ingenium deſudavit: *Beneficium eſt*, inquit, *quod totum ejus cauſſa præſtatur, in quem confertur. Ubi aliquis ex eo aut ſperat quid aut præparat, non eſt beneficiũ, ſed conſilium.* Improbe hæc dicuntur: maligniq; & ſuſpicioſi animi non obſcurum habent ſpecimen. Quanto verius, & rectius *Seneca? Non ſum tam iniquus,* *6. de benef. 13.*

inquit, *ut nihil eî debeam, qui cum mihi utilis eſſet, fuit & ſibi. Non enim exigo, ut ſine reſpectu ſui mihi conſulat. Imo etiam opto, ut beneficium mihi datũ, vel magis danti profuerit: dummodo id qui dabat, duos intuens dederit, & inter me ſeq; diviſerit: licet id ipſe ex majore parte poſſideat, ſi modo me in conſortium admiſit, ſi duos cogitavit: Ingratus ſum, non ſolum injuſtus, niſi gaudeo hoc illi profuiſſe, quod proderat mihi. Summa malignitatis eſt, non vocare beneficium, niſi quod dantem aliquo incommodo affecit.* Subjicit memorabilia exempla, & repetit ſententiam, malignæ deſcriptioni Brutidii oppoſitam; *Non ſum invidus beneficii interpres, nec deſidero illud mihi tantum dari, ſed & tibi.* Alia quæſtio eſt, ſi totum ſibi præſtitit alter, quod fecit, totum ſibi imputavit. Sed an iſtud factum ſit, raro ad liquidum deduci poteſt. Pleraque ambiguæ æſtimationis ſunt: in quibus, ſi homo quidem es, humanior debet apud te valere interpretatio, ut credas, tibi quoque datum, de quo dubitatur, an ſibi tantum dederit, qui fecit. Denique, ſi planius tecum agi vis, noli, quæſo, cauſſidicorum ſtrophas ſanctiſſimis boni moris legibus obvertere.

Sed illa quidem de Cimone ficta eſt controverſia. Aliud enim traditur à *Nepote*, & *Plutarcho*, in ejus vita. Ex recentiore hiſtoria memorabile eſt, quod *Baptiſta Fulgoſius* conſignavit circa nuptias beneficio parandas. Rolandus Petri Siciliæ Regis frater, à Roberto Neopolitano Rege bello navali captus tenebatur. Cum-

lib. 5. cap. 3.

Cumque frater ejus parum de redimendo eo cogitaret (quippe qui ignavia amiſſam claſſem ægre ferret) Comiola Senenſis, Meſſanæ agens, vidua & flore ætatis, & ingenti opulentiâ inſignis, miſit, qui captivi animum explorarent: ducturusne uxorem foret puellam, cujus liberalitate, miſerias carceris evaderet. Tum enimvero Rolandus, ut divinitus miſſam opem exoſculatus, prolixe polliceri cœpit. Stabilito igitur per procuratores matrimonio, Comiola duobus auri unciarum millibus ſponſum redemit. At ille Meſſanam reverſus, & pactas nuptias inficiatur, neque ullam pro beneficio gratiam debere vult Comiolæ: tanquam longe infra generis regii ſplendorem deſtitutæ. Convincitur apud tribunal eccleſiaſticum, amicorumque & propinquorum objurgationibus, ut denuo animum matrimonio applicaret, adactus, in ſolennem congreſſum, velut pacti repetendi cauſſa, venit. Ibi coram omnibus Comiola, cum ſua beneficia commemoraſſet, ingratumque & perfidum ejus animum notaſſet: ego vero, inquit, ultro nuptiis renuntio, neque, ut cum tam ignavo & ingrato homine ætatem agam, æquum exiſtimo; atque adeo ex hoc die DEO pudicitiam meam una cum opibus conſecro. Ingrati à quovis judice damnandus, adhuc hodie facto puellæ arguitur, atque infamibus exemplis accenſetur.

Similior fictæ de Cimone controverſiæ eſt hiſtoria Philippi Mariæ Ducis Mediolanenſis, *ap. eund. Fulgoſ.*

qui fraternis odiis ad ſummum rerum omnium diſcrimen redactus, beneficio matrimonii ſe expedivit. *Facinus* enim *Canis*, Dux copiarum ejus, mortem ſibi imminere cernens, non aliud, inquit, ô Philippe, rebus tuis remedium ſupereſt, quàm ſi me extincto, uxorem meam matrimonio tecum conjungas. Ita & gratiam militum tenebis, in quibus unica ſpes; & opibus meis luculentis ſane & amplis, ad conſtituendum tuum ſtatum uteris. Succeſſerunt ex voto conſilia. Sed ingratus animus nullo merito mutatur. Diſparem uxoris ætatem gravatus Philippus, ut ſcelere exiret, quod incolumitatis ſuæ cauſſa iniverat fœdus, ficto læſi pudoris crimine miſeram perculit, peractisque judicii imitamentis, clam interimi juſſit. Quid non ingratus animus deſignat? Sacra matrimonii, fidem conjugum, pactosque hymenæos, impetu rumpit, & ex Principe, tyrannum, ex homine beſtiam facit.

Te quoq;, decus fœminarum Amalaſuntha, cujus animum non arma, non aſtutiæ inimicorum fregerunt, beneficia tua exitio dederunt. Theudatus erat, quem judicio convictum & inique rapta reſtituere juſſum, dimiſerat, & ad bonam frugem rediturum ſperaverat Amalaſuntha. Addit clementiæ munus incomparabile; mortuoque Atalaricho filio ſucceſſorem deſtinat. Ita & macula prioris judicii eluetur, inquiebat; & Theuderici nomen, cui ſanguine proximus es, in te honorabitur. Sed jurejurando ſanctiſſimo confirmabis mihi, te con-

contentum imperii nomine, nihil de ea, quam hactenus tenui, potentia diminuturum eſſe. Jurat conceptiſſimis verbis Theudatus, qui nihil magis interim animo, quàm iniquam ex priori offenſione iracundiam flagitioſa perfidia ulciſci, agitavit. Statim enim, ut adeptus eſt, quæ concupiverat, cuncta promiſſis contraria facit: Amalaſuntham carcere primum concludit, mox interficit. Acceſſit non minus ſcelus, ſceleris diſſimulatio: quaſi nolente ipſo, adeo non probante, peracta cædes foret. *Procopium* adi, diligenter iſta memorantem. Quid hîc objicient Amalaſunthæ, ingratorum patroni? *Prudentius*, dicent, *eligere debuit, cui beneficium daret, non debuit ſalutem ſuam homini, quem offenſum ſciebat, committere.* Non minus flagellant Theudati facinus, quàm virtutem Amalaſunthæ laudant, qui ita cavillantur. *lib. 1. Goth.*

Quare nec inventus eſt olim tam improbus cauſſidicus, qui vel fictæ controverſiæ hunc colorem inducere auderet. *Quintilianus* certe cum in actione *ingrati*, annotat, *unde moveri poſſint juris cavillationes*, hæc tantum ponit: *an is, cum quo agitur, acceperit beneficium: quod raro negandum eſt. Ingratus eſt enim, qui negat. An, quantum acceperit, reddiderit: an protinus, qui non reddiderit, ingratus ſit; an potuerit reddere: an id quod exigebatur, debuerit: quo animo ſit.* Nemo tam impudens fuit, qui inſultaret caſibus humanis, & diceret: collocaſti ſane beneficium, ſed apud offenſum. Iterum inſurgent: *fruſtra quidem in foro talia expectari, quæ* *lib. 7. inſtit. orat. 4.*

rei

rei cauſſam inviſam, actoris honeſtam facerent. Sed in animis omnium, non tam certum tribunal inſidentium, quàm in toto orbe mores humanos arbitrantium, prudentiam ejus deſiderari poſſe ac ſolere, qui ingratos nec immerito ſuſpectos beneficio affecerit. Triſtem de mortalitate ſententiam ferunt, qui ita judicant: neq; ratione arguunt humanos errores, ſed, ut dixi, caſibus humanis inſultant. Quibus occinenda eſt gravis apologia *Gregorii Nazianzeni*: cui & ipſi temere exprobratum eſt, quod Maximum (hic ut Judas à præceptore deficiens, ex intimo amico acerbiſſimus hoſtis factus erat) laudaſſet, provexiſſet, beneficiis ſuis dignum judicaſſet. *Si ego*, inquit, *benignus in illum, ideo accuſor, quod pravitatem ejus non prævidi, quid tandem hominis fuerit, qui pro benignitate, quam expertus eſt, maximâ, inſidias in me inſtruit? neq; enim prævidiſſe improbitatem, crimen habet (ſolus id DEVS poteſt) & nobis inſuper lex præcipit, omnibus miſericordiam exhibere, & patria benevolentia religionis ſocios ſuſcipere. Eum qui venit ad me, inquit Chriſtus, non ejiciam foras. Magna res mihi videbatur, Maximus à Græcorum ſuperſtitione ereptus & ſacro lavacro tinctus, & loco Herculis, Trinitatis cultum profeſſus. Magna mihi res erat, homo virtutem capeſſens. Etſi enim poſtrema ſatis oſtenderunt, nihil etiam in primis ſinceri fuiſſe: nobis tamen non licet iſta explorare. Non cogitationibus intervenimus, non futura, niſi Deo revelationem gratificante, ſcimus. Nam nos quidem faciem videmus: animum Deus introſpicit.*

apud Gregor. Presbyt. in Vit.

Pia

Pia oratio, cujus vim & ipſe complectitur, poſtquam exprobrantes introduxiſſet:

> τί οὖν; σὺ τοῦτον οὐ χθὲς εἶχες ἐν φίλοις;
> καὶ τῶν μεγίστων ἠξίους ἐγκωμίων;

Tom. 2. in Vit. p. 15. & 16.

Quid igitur? an non heri in amicis hunc habebas? annon ſummis eum dignabare laudibus? In reſponſione tum multa præclare, tum illud:

> Πιστοῦ γὰρ ἀνδρὸς οὐδὲν εὐπειθέστερον,
> πρὸς εὐλάβειαν ῥᾳδίως ὁρμωμένου
> ἢ οὖσαν, ἢ δοκοῦσαν. ὦ χρηστοῦ πάθους.

Viro fideli nihil ad habendam fidem facilius eſt, qui ad pietatem & probitatem, quæ vel eſt in aliis, vel eſſe videtur, ſtatim adjungi cupit, ô vitium probum! Et ſubinde:

> Εἰ τοῦτο δεινόν, οἶδα πολλὰ πολλάκις
> τοιαῦθ᾽ ἁμαρτών. ἆρα συγγνώσεσθέ μοι
> Ἄνδρες δικασταὶ τῆς καλῆς ἁμαρτίας.
> ἦν μὲν κάκιστος, ἀλλ᾽ ἐτίμων ὡς καλόν.

Si peccatum hoc eſt, multa memini talia me peccaviſſe. Sed ignoſcetis, Judices, tam præclaro peccato meo. Erat quidem ille peſſimus; ſed colebam eum pro bono.

Ceterum, cum ingrati animi vitium per omnem vitam late pateat, inſignioris tamen notæ hoc crimen eſt, quando in patriam, parentes, & qui loco parentum ſunt, præceptores, patronos, hoſpites committitur. Quo enim ſanctioribus humanæ ſocietatis vinculis, hæc nomina deſtinantur, eo fœdius ea violari, in aperto eſt. Et de gratia quidem patriæ debita, aut iis, in quos ſe patria convertit, Principibus, luculenti in multas fori actiones transferuntur

tur

tur loci: graviusque fere, quæ hic peccantur, appellari ſolent. neque tam facile eſt (ut hoc unicum annotemus) invicem patriam & Principes, ingrati arguere. Quod probe intellexit

lib.5.cap.3. *Valerius Maximus* in iſtis: *Ceterum ut ſenatus populiq́; mens in modum ſubitæ tempeſtatis concitata, leni querela proſequenda eſt: ita ſingulorum ingrata facta liberiore indignatione proſcindenda ſunt.* Factione ſenatus Romulus, tribunitiis furoribus reliqui, quos ibi refert, conciderunt. Miſerandum inter hæc turbamenta publici decoris, Reipublicæ nomen, ſui parum compotis. Multo minus ferendum eſt, ſi falſis rumoribus Principum fama aſpergitur. Quibus non de-

lib.5.cap.3. buit moveri *Baptiſta Fulgoſius*, ut actionem ingrati adverſus Juſtinianum Imperatorem inſtrueret, quod Beliſarium poſt ingentia merita, erutis oculis ſtipem mendicare coëgerit. Quam rem alii ad exempla vertentis fortunæ maluerunt referre. Sed quo auctore

Chil. 3. iſta jactantur? *Ioannem Tzezem* fruſtra nominabis. Nam is non tacuit aliorum hiſtoricorum monumenta, negantium, id Beliſario accidiſſe. ſicut jam monuit *Nicolaus Alemannus*, *in no-*

p. 10. adde 85. & 86. *tis hiſtoricis ad Procopii ἀνέκδοτα. Idem*, qui Joannis Cappadocis Patricii Exconſulis caſum

v. Procop. bell.Perſ.1. f. ejus generis ſuggerit, unde nata haud dubie fabularum architectis occaſio omnia permiſcendi. Id quod *Petro Crinito*, & *Raphaëli Volaterrano* per eſt familiare. Sed libros tot jam cenſuris confoſſos, totque mendaciorum convictos, mirum ſit, ſi quis hodie ſecuro animo

velit

velit ſequi. Verum, poſt *Giphaniam*, & alios, nolumus actum agere.

Demenda eſt potius injuria venerando nomini *Friderici II. Imperatoris* aſperſa apud *Fulgoſium:* ubi reus ingrati erga Honorium ceterosq; Pontifices & Eccleſiam Romanam animi agitur optimus Princeps. Intolerabilis eſt inſolentiæ, muneris Pontificii facere Imperium: quod Friderico Principum auctoritas rite detulerat; ita ut ſolennem cærimoniam Romanæ coronationis Pontifex ſine flagitio denegare non poſſet. Neque ulla in Eccleſiam & Eccleſiaſticos injuria à Friderico orta eſt: Sed Pontifices, benignitatem Imperatoris ſingularem erga Eccleſiam, ingratiſſimo ferentes animo, modo Epiſcopos in eum extimularunt, modo turbas & rebelliones undique concitarunt, ut redigerent in ordinem, quem revereri, & obſequio demereri divina humanaque lege tenebantur. Scilicet *hujus Imperatoris potentia, vires, prudentia, magnitudo animi, rerum bellicarum peritia, formidoloſa fuere Romano ſacerdotum ſenatui.* Ut recte judicat *Aventinus*; additque: *Viſum eſt flaminibus Romanenſibus Imperium Germanum magis florere, quàm ipſis utile foret. Placuit id contundere, atq; diſcordia non ſolum debilitare; ſed in cineres quoq; atq; favillas redigere, & Fridericum huncce à faſtigio rerum humanarum deturbare.* Hæc Innocentio, hæc Honorio & Gregorio mens. Egit bonam cauſam non ſegniter *Petrus de Vineis.*

lib.5.cap.3.

lib.7.p.535.

De

De ingratis erga Parentes liberis divinæ humanæque literæ ampliſſime decernunt: nobilisque extat legislatio *Imperatoris Juſtiniani*; quam interpretationes ex omni æquitate undique repetitæ ſupplent. Hujus loci eſt etiam officium τοῦ ἀντιπελαργεῖν ſive τῆς ἀντιπελαργώσεως ſeu mutuam alimentorum & ſuſtentationis vicem exhibendi parentibus; divina lege præceptum: quo, juxta interpretes Hebræos filius tenebatur, *ut cibum & potum parenti ſubminiſtraret, uti & veſtitum; ex eo ſcilicet, quod Patris eſt, ſeu ex bonis paternis: quibus ſi careret, cogendus erat filius, ſi ipſi bona eſſent, ut utrumque aleret parentem, in quantum poſſet.* Cui tamen ſanctiſſimo, & quod juri divino reſpondet, officio derogatum voluit gloſſa Phariſaica, in quam invehitur Chriſtus *Matth.* 15, 5. *Marc.* 7, 11. Ad quem locum explicandum pertinebunt, quæ annotarunt præclariſſimi Viri, *Dilherrus diſput. tom. 2. diſp. 3. q. 5.* & *Seldenus de J. N. & G. juxta diſciplinam Hebræorum, VII,* 2. Solonis lege, *qui non alerent parentes, infamia notabantur.* Apud *M. Senecam* annotatur lex: *Liberi parentes alant, aut vinciantur. Demetrius Triclinius ad Sophoclis Electram:* πάντων γὰρ τῶν νομίμων καὶ δικαίων τοῦτ' ἓν κρεῖττον καὶ μέγιστον παρὰ πάντων ἀνακηρύττεται, φροντίδα ποιεῖσθαι πατρός. ὁ Θεὸς ἀποδέχεται καὶ εὐσεβὲς λογίζεται. *Inter omnia jure & legibus conſtituta, unum ab omnibus optimum & maximum celebratur, patris curam gerere. DEUS hoc ſuſcipit, & pium judicat.*

Novel. 115. c. 3.

Diog. Laert. in Sol. lib. 1. controv. 1 & 7.

Præ-

Præceptoribus non multum infra parentes deberi, nemo fuit bonus vnquam, aut non barbarus, qui negaret. Magnificâ prorſus, & in primis morata commendatione *Iulianus* effert beneficium Euſebiæ Imperatricis, à qua libros Philoſophorum, Hiſtoricorum, Oratorum, Poëtarum acceperat, id eſt, verum ad prudentiam & virtutem comparandam præſidium: omnisque humanitatis expertem cenſet, qui non cupiat gratiam referri tanti muneris auctori. Quanto autem plus debetur gratiæ ei, qui non libros, ſed librorum intellectum vſumque præmonſtrat, id eſt, fido præceptori? Sed hoc vinculo facile ſe ingrati expediunt ſcilicet. Quid enim? adoleſcens debui, inquiunt, quod debere deſii, poſtquam eo loco conſtitutus ſum, vt præceptorem meum queam deſpicere. Tum: Operæ pretium ei numeravi. quid poteſt à me deſiderare amplius? Puto non defuturos, qui per magnitudinem animi nihil deſiderent amplius: præclare imo ſecum agi putent, ſi non experiantur hoſtes, quos educarunt diſcipulos. Sed quâ auctoritate poſſit fieri, vt lex æterna habeatur pro temporaria, & breui circumſcribatur tempore pietas, cuius cauſa perpetua eſt, parum in expedito eſt. Reſpondeat his hominibus *Seneca*, felix cetera, niſi diſcipulum habuiſſet Neronem. *Iſto modo*, inquit, *ne medico quidquam debere te, niſi mercedulam dices: nec præceptori, quia aliquid numeraueris. atqui omnium horum apud nos magna caritas, magna reuerentia eſt. --- Quid ergo? quare & medico &*

orat. 8.

6. de benef. 15.

præceptori plus quiddam debeo, nec adverſus illos mercede defungor? Quia ex medico & præceptore in amicum tranſeunt, & nos non arte, quam vendunt, obligant, ſed benigna, & familiari voluntate. Oſtendit deinde ſolicitudinem & vnicum affectum medici, ægro ſuo timentis: ad exemplum Philippi apud *Curtium*: longe diſſimilis ſcilicet; alterius, quo *Pyrrhus* vtebatur, venefici Timocharis; aut impoſtorum, quos iterum deſcribit *Seneca*: *Multi quos auxerant morbos, & incitauerant, vt maiore gloria ſanarent, non potuerunt diſcutere, aut cum magna miſerorum vexatione vicerunt.* Progreſſus à medico, ad præceptorem, hic quoque diſtinguit vulgarem præceptoris operam & ſingularem ac familiarem. *Ne præceptorem quidem,* inquit, *habeo, cur venerer, ſi me in grege diſcipulorum habuit; ſi non putauit dignum propria & peculiari cura, ſi nunquam in me direxit animum: & cum in medium effunderet, quæ ſciebat, non didici, ſed excepi.* Hæc ſi exigentur ad normam ſanctioris philoſophiæ, non ſuſtinent cenſuram cordati judicis: niſi comparandi meriti cauſa, non diſſoluendi, dicta acceperis. Sequitur enim de peculiari opera: *Alter* (præceptor) *rurſus in docendo, & laborem & tædium tulit, præter illa quæ à præcipientibus in commune dicuntur, aliqua inſtillavit ac tradidit, hortando bonam indolem erexit, & modo laudibus fecit animum, modo admonitionibus diſcuſſit deſidiam. Tum ingenium latens, & pigrum, injecta (ut ita dicam) manu, extraxit: nec quæ ſciebat, maligne diſpenſavit, quo diutius eſſet neceſſarius,*

lib. 3. c. 6. vid. Val. Max. 9. 5. 2. Gell. 3. 8.

6. benef. 36.

8. benef. 16.

ſarius, ſed cupiit, ſi poſſet, univerſa transfundere. Ingratus ſum, niſi illum inter gratiſſimas neceſſitudines diligo. Adiicit plura in hanc ſententiam: quæ ſurdis plerumque auribus occinuntur.

Patronorum officia, etiam in foro, gratum repoſcunt animum, non tantum, ubi gratuita ſunt, ſicut apud Romanos quodam tempore; *Tac. 11. A.* ſed etiam, ubi emolumentis æſtimantur: ſi patronus, non ſuo quæſtui inhiavit, ſed meis commodis proſpexit; ad inimicorum inſidias occurrit, excubavit, timuit; nihil diligentiæ, & amoris pro cauſa reliquum fecit, id eſt, ſi amicum ſe præſtitit. Quare ingrati merito apud omnem poſteritatem reus eſt Popilius Ciceronis interfector. Controverſiam ita proponit *M. Seneca*: *Popilium parricidii reum Cicero defendit: abſolutus eſt. proſcriptum Ciceronem ab Antonio miſſus occidit Popilius, & caput ejus ad Antonium retulit, accuſatur de moribus.* *lib. 3. controv. 17.* tanquam ingratus ſcilicet. id quod amplius interpretatur *Valerius Maximus*, facundâ commemoratione ſceleris, quam ita claudit: *5. 3. 4.* *Invalidæ ad hoc monſtrum ſugillandum literæ: quoniam qui talem Ciceronis caſum ſatis digne deplorare poſſit; alius Cicero non extat.* *Capitonis* apud *Senecam* iſta eſt oratio: *Deduxi ad vos reum omnium, quos terra ſuſtinet, nocentiſſimum, ingratum, impium, percuſſorem, bis parricidam: nec tamen timeo. patroni viderint. nemo à Popilio quidem, niſi poſt beneficium occiditur.* Quod defenderit Cicero hunc Popilium, ex hiſtoria deſumptum *Conf. Val. Max. & M. Senec.*

eſt: quod in cauſa parricidii defenderit, ab ingenio declamatorum eſt, qui nocentiorem voluerunt reum facere, & occaſionem ſententiis ac figuris quærere. Etiamſi autem in privato judicio defenſus ſit, ingrati animi crimen ac invidia non ſimplex in reum incumbit. *Naturale eſt* enim, *ut quod in nullo patrono oportuit, indignius ſit factum in Ciceronem patronum*, quæ *Latronis* eſt ſententia. De manumiſſorum & libertorum grato ingratove, in patronos animo ejuſque pœna, jure civili Romano Græcoque abunde decretum eſt. Patrocinii nobilioris genus, quod Romæ inſtituit Romulus, partim lege publica, partim pactione privata, partim moribus & inſtitutis continebatur: denique mercenaria res tota facta eſt, & ex formula conventionis judicanda. Sicut autem ſancta inprimis Patroni & clientis antiquitus nomina ſunt: ita haud dubie inviſum fuit & animadvertendum crimen, *cliens ingratus*. Atque ſi LL. XII. Tab. proditum fuit, *Patronus, ſi clienti fraudem fecerit, ſacer eſto*: non immerito credas, clientis quoque in patronum fraudem, ſevera lege vindicatam eſſe. Quanquam clientium infirmitas, ab injuria potentiorum, per illam legem vindicata, non æque ad nocendum efficax æſtimari poteſt. Sed in hoc genere neceſſitudinis, cum beneficium & obſervantia utramque paginam faciant, de quibus invicem pugnabant veteres, proditæ non reperiuntur in judicio querelæ. Ingrati ſcilicet querela ad beneficii auctorem ſpectat, ac ejus nomine inſtitu-

Serv. ad 6. Aen.

inſtituitur: aggrauaturque, ſi is pater aut præceptor, aut patronus, aut hoſpes fuerit.

Nam & hoſpitii ſanctimoniam, non virtus modo & humanitas, ut hodie, ſed jura etiam & leges definiebant. Omni autem lege fortius ſacravit jura hoſpitii Philippi Macedoniæ Regis ſeueritas: *qui improbiſſimo militi, ingratiſſimo hoſpiti, avidiſſimo naufrago, ſtigmata inſcripſit, ingratum hoſpitem teſtantia.* quaſi diceret, interprete *Seneca.* Æquum eſt, *intra fines regni mei, te literas iſtas oculis inſcribendas, duriſſima fronte circumferre; oſtende, quàm ſacra res ſit menſa hoſpitalis: præbe in facie tua legendum iſtud decretum. --- Magis iſta conſtitutio ſic erit rata, quam ſi illam in æs incidiſſem.* *4. de benef. 38.*

Et ſi quidem lex adverſus ingratos in aliqua civitate ferenda ſit, nemo ſuaſerit, dubia aut incerta comprehendi. Nemo poſtulabitur ingrati, qui nondum reddidit beneficium; qui minore menſura reddidit; qui non reddidit ei, de quo dubitari poteſt, an dederit beneficium. In confeſſo ſint merita oportet: in confeſſo crimen ingrati animi. Quod cum multiplex ſit, duabus tamen præcipue rebus cernitur: vel cum diſſimulatur & negatur beneficium; vel cum bene meritus dictis factiſque læditur. Illud prius genus ingratorum, crebrum & frequens; hoc poſterius, tanquam ferinæ cujuſdam & inhumanæ pravitatis, rarius exiſtimavit *Julianus.* cujus ſententiam exempla noviſſimi temporis non affirmant, legislatorem autem potius monent, ut increſcentibus vitiis *orat. 3. p. 191.*

modum ſtatuat. Præcipua ſcilicet legis condendæ induſtria in eo verſabitur, ut ii coërceantur, qui homines de ſe ſine controverſia bene meritos, calumniis, maledictis, injuriis, molitionibus inimicis ac hoſtilibus violant. De quibus *Carolus Paſchalius in cenſura animi ingrati (cap.29.)* in hunc modum diſſerit: *Inſigniter ingratus is eſt, quem non modo tibi beneficio non adiunxiſti, nec ſolum pro benefactis gratiam non reddit, ſed maledicta, eaque inſuper malefactis cumulat. Cui plus debet, hunc magis odit, ex obligato ac debitore fit inimicus, nunquam non periniquus, irarum, minarum, vltionis plenus. Hoc deterrimum genus hominum, è quibus nihil niſi meſſem mali metere licet, quidam aſſimilant arieti, qui altorem ſuum ſæpe cornibus incurſat. Ego potius talem dixerim eſſe lupum illum, de quo extat Græcum epigramma,* τὸ λύκον ἐξ ἰδίων μαζῶν τρέφω. --- --- *Hoc genus ingratorum notat Sapiens hiſce verbis: Qui,* inquit, *reddit mala pro bonis, non recedit malum de domo ejus.* In diſſimulatoribus & inficiatoribus beneficiorum, relinquantur, puto, ſuis moribus, qui de beneficio accepto, non ſatis evidenter poſſunt convinci. Sed qui indubitabilibus ſunt beneficiis affecti, ope adiuti, liberalitate ſublevati, doctrina eruditi, cura educati; hi, ſi inhumanâ impudentiâ velint inficiari merita, & quod plerumque ſequitur, maleficii ſui turpitudinem minuere; illi malo domandi fuerint.

In utroque hoc genere eminent flagitii atrocitate, quibus *beneficia eo uſque læta ſunt, dum viden-*

videntur exſolvi poſſe; ubi multum antevenere, pro gratia odium redditur. Ex odio injuria; ex injuria novum odium. *Proprium* enim *humani ingenij eſt, odiſſe quem læſeris.* *Hoc habent peſſimum animi magna fortuna inſolentes; quos læſerunt, & oderunt.* Et deſcripſit quidem ingratorum ingenia moreſque, turpitudiniſque tantæ notas & inſignia in literas miſit, eademque opera quaſi ſuaſoriam legis adverſus ingratos concinnavit doctiſſimus vir *Lilius Greg. Gyraldus*; omiſit autem, ſive reperiri non credidit, peſſimum genus ingratorum, qui cum inficiari non poſſint manifeſta hominum de ipſis præclare meritorum beneficia, quorum tamen hoſtili interim odio flagrant, invertere totam cauſſam, & à ſenſu horribilis fallaciæ avertere mentes aliorum conantur, ementiendo ſine nomine & ex longinquo beneficia, velut in eos collata, erga quorum veriſſima beneficia ſe ingratos præbent, cum tamen nec voluerint, nec potuerint facere quod jactant, manifeſtaque rerum fide & invictis argumentis mendacii ac vanitatis argui poſſint. Interea apud homines rei totius ignaros, famam ingrati animi, cujus ſibi conſcii ſunt, obliterare, atque ultro querelam illam ſerere ſtudent, quam adverſus ovem in fabulis lupus orditur. Cæterum inauditæ malitiæ fraudem, operæ pretium eſt victuris chartis deteſtari peculiari cura, qua Charites ornabuntur.

Tac. 4. A. 18.

Tac. Agr. 42.

Sen. 2. de Ir. 33.

Paræneſ. adverſ. ingratos, tom. 2. oper.

Quin autem manifeſta ejuſmodi & nefaria ingrati animi crimina, lege deſcribi atque coërceri

ërceri queant, quid relinqui dubitationis poteſt? quod in liberis *Juſtinianus Imperator*, quem ante laudauimus, in exemplum prudenter graviterque perfecit. Pœna, ut ſtatuatur more Perſarum in ingratos, multas ob cauſſas, nemo ſuaſerit. neque antiqui, uſquequaque probarunt. *Ammiani Marcellini* notus eſt locus: *Leges apud Perſas impendio formidatæ. inter quas diritate exſuperant, latæ contra ingratos, & deſertores.* Ignominiam ſtatuere notabilem, loco pœnæ, conſultius eſt: ad quam delendam expiationibus quibuſdam locus non præcludendus eſſet.

lib. 23. c. 31.

At, inquis, quin ferre adverſus ingratos leges poſſint, penes quos condendi juris poteſtas eſt, nemo abnuat. An autem conſultum ſit hoc facere, non æque in expedito eſt. Nos illam diſputationem nunc ingredi non conſtituimus, niſi quod ex allatis haud pauca huc faciunt. Sunt exempla graviſſimarum nationum: eſt ratio ſumma in rei utilitate, ad finem publicæ felicitatis conſequendum neceſſaria; cum non minus ingrati animi vitium omnes morum labes continere aut trahere credatur, quàm gratus animum omnium virtutum proventu ac neceſſitudine celebratur: eſt increſcens hoc aut illo ævo hominum pravitas, & ingratorum multitudo; qui in aliis diſcunt & experiuntur, quod paulo poſt adverſus patriam exerceant: Sunt alia momenta, quæ tempus, locus, & componendæ diſciplinæ publicæ ratio ſuppeditare ſolet.

Seneca

Seneca rationibus pleriſque jam reſponſum eſt, nec multum proficit ſolicita illa *beneficij* & *debiti* diſtinctio. Quaſi minus debeantur, quæ ex lege naturæ, & ſumma juſtitiæ ratione, etiam extra civilem formulam, debentur; quàm ea quæ civilibus decretis ſanciuntur. Ut taceam, illam ſententiam ad eos tantum ingratos pertinere, à quibus repoſcitur beneficium; ſive qui reddendi beneficii cauſſa appellantur: cum potior de iis quæſtio ſit, qui pro bona gratia malam reddiderunt, beneficiumque maleficio rependerunt. Sed nec illa Stoicorum jactantia apud legislatoris aures tempeſtive promulgatur, quâ altiora ſubinde conſilia, neque ex virtutum regulis, ſed inſtituto quodam gloriæ extra ordinem petendæ, æſtimanda in ore habent. Sicut autem, injurias etiam maximas, ex propoſito quodam ſublimiore, tolerare, nemo vetatur: ita ut hoc faciat quiſquam, nullus legislator, nullus judex, quorum munus ſanctiſſimum in prohibenda & punienda injuriâ præcipue verſatur, præcipere ſolent.

Denique *Seneca* de pœna ingrati diſputans, *Quid ergo?* inquit, *impunitus erit ingratus?* Mox decernit ei pœnam, *odium publicum*, ſuppliciorum grauiſſimum; *iram deorum, tormenta conſcientiæ, triſtem & moroſam vitam*: cum ex diverſo *gratus* homo æquali perpetuaque voluptate fruatur. *Comparari autem poteſt* (ita pergit) *vtriuſq; vita. cum alter triſtis ſit & ſolicitus, qualis eſſe inficiator ac fraudulentus ſolet; apud quem non parentum qui debet, honor eſt, non educa-* 3. *de benef.* 17.

toris, non præceptorum: alter lætus, hilaris, occaſionem referendæ gratiæ expectans, & ex hoc ipſo affectu gaudium grande præcipiens; nec quærens quomodo decoquat, ſed quemadmodum plenius uberiuſque reſpondeat, non ſolum parentibus & amicis, ſed humilioribus quoque perſonis. Et jam antea de

3. benef. 6. crimine ingrati dixerat: *neq; abſolvimus illud, ſed --- --- tantum odio damnavimus, & inter ea reliquimus, quæ ad judices Deos mittimus.* Imi-

I.B. 2, 20, 20. tatur *Grotius* hanc ſententiam, cum *talia peccata* DEO *vult punienda relinqui; qui & ad ea noſcenda eſt ſapientiſſimus, & ad expendenda æquiſſimus, & ad vindicanda potentiſſimus.* Loquitur *Grotius* de peccatis, *quæ nec directe nec indirecte ſpectant ad ſocietatem humanam, aut ad hominem alterum.* Tale autem peccatum eſſe ingrati animi vitium, in manifeſtis illis & enormibus ſpeciminibus, quæ ante deſignavimus, concedi nec poteſt nec debet. quod & *Feldeno* obſervatum. Itaque crimina ingrati animi, quatenus incertam æſtimationem habent, lege non coërcentur: quando autem clara ſunt & indubia, in libertis, in liberis, etiam jus Romanum punivit. cum id, reipublicæ interſit, & ad ſalutem civitatis pertineat. Quare &

Strictur. ad cenſur. Feld. l. 3. *Graſwinckelius*, Grotii mentem ita explicat, ut omiſſionem gratiæ, *non offenſionem aut læſionem* intelligamus. additque: *Gratitudo adverſus parentes ac patronos etiam cogi poteſt. non enim in arbitrio liberorum & libertorum eſt, gratum eſſe, ſicut aliorum quorumlibet.* Quæ poſtrema verba, comparationem habere poſſunt, ſententiam

tentiam abſolutam tueri non poſſunt, neque enim, accurate loquendo, dixeris: cujuſquam arbitrio relinqui, gratus velit eſſe, an ingratus. Si itaque *Grotius* dixerit, in ſuſcipiendo bello non temere ſuadendum eſſe, ut adverſus ingratos ſuſcipiatur, ſi nulla alia cauſſa acceſſerit, reprehendi non debet voluntas, reſtringere bellandi licentiam conantis. Sicut nemo facile judicaverit: hic populus adverſus libertatis ſuæ auctores & defenſores cornua erigit, inſolentemque ſe & ingratum præbet, ergo armis petendus & ad officium redigendus eſt. Verum, ſi injuriæ aliæ manifeſtæ, quæ bello juſtam cauſſam dant, acceſſerunt, ingrati animi vitium in ſuaſoriis rationibus ad bellum impellere poteſt tam indigne læſos.

Qui interim legis judiciſque beneficio tueri ſe ab ingratis nequeunt, & ad Dei tribunal, ut ante dictum eſt, remittuntur, illi & ipſi, non tam vindictæ ſtudio, quàm fiduciâ auxilii, pietatis memores, ac inter hoſtiles ingratorum inſultus, caritatis non obliti, ita ſuam cauſam cupiunt agere, ut emendari ingratos non everti deſiderent. Sciunt quæ ingratos pœnæ apud *Prophetam* inevitabili oraculo denuntiantem *Pſ. 41. &*
maneant: ſed mallent illas deprecari, quàm *55. & 109.*
imprecari. Igitur intra hos limites oratio eorum decurrit: Vides, Optime Maxime Deus, qui ingratos odio & pœnâ damnâſti, gratos præmiis promiſſiſque incitaſti, nos hoſtilibus inſidiis peti ab iis, quos aluimus, quos educavimus, neque furoris adverſum nos ſummi

quic-

quicquam reliquum fieri; vides noſtra beneficia immanibus maleficiis rependi. Non ignoras, qui omnia ſcis, quotiens & quantum ignoverimus: candidaque & ſimplici mente, erroribus humanis, quæ, ut res docuit, inhumanæ pravitatis erant, tribuerimus. Sed in læſam totiens patientiam, furor inſurrexit ſemper acrior: neque aliud quàm interitum eorum ſperavit, qui tuâ hactenus ſuſtentante dexterâ ſteterunt. Conſerva nobis tua munera, Deus Optime: reſiſte occultis inſidiis, retunde apertas molitiones, diſſipa conatus, objurga bella nullos habitura triumphos. Fac ut ad ſe, & ad te redeant, qui hominem exuerunt, & tua præcepta conculcarunt. Nos ad veniam dandam ſemper erimus parati. en gregem noſtrum, qui ſe tibi in clientelam & fidem tradidit! hunccine tu, Patronorum Maxime, calumniis inquinari, odiis oppugnari, injuriis affligi, vivus videnſque (vivens in perpetuum, videns omnia) patieris? *Fac mecum ſignum in bonum; ut videant, qui oderunt me, & confundantur: quoniam tu, Domine, adjuviſti me & conſolatus es me.* Hujuſmodi preces non magis poſſunt vanæ eſſe, quam certum fixumque eſt; DEUM eſſe, fuiſſe, futurum eſſe gratorum patronum, ingratorum vindicem, qui ſuo digito ſcripſit legem, *Ingrati ſit actio.*

Pſal. 86, 17.

DISSER-

DISSERTATIO IV.
MILES CAPTIVUS.

ad H. Grotii lib. 3, 14.

CApiuntur bello homines, omnis ætas, omnis ſexus; urbes, ciuitates, omne rerum ac poſſeſſionum genus: jura quoque eripiuntur: quicquid denique ex hoſtico petunt bellantes, captivitatis ſubire conditionem ea cuncta dicuntur. Sed nobis nec de re omni bello capta, nec de omnibus hominibus in poteſtatem hoſtium redactis, ſermo erit. Solus enim *Miles captivus* in argumentum hujus diſſertationis veniet.

Miles, quive pro milite, vel ſacramento rogatus plenamque militiam habens, vel conjuratione aut evocatione, ad militandi munus auctoratus, intelligitur; quocunque militiæ gradu aut ordine, manipularis ſive gregarius, centurio, tribunus, præfectus, Dux, Imperator. Varia enim genera hîc enarrari nihil attinet, aut moribus temporum ac nationum deſcribi. cum non aliud jam ſpectatur, quàm *munus militandi*, ſive operam bello navandi. quod quidem præcipue *obligatione* metiri fas eſt: ſi non ſolenni ſemper, & in ſacramenti formulam redactâ; conciſius tamen & in vicem adhibitâ, aut, ex naturâ rei, ſubintellectâ. Neque enim dubitandum eſt, quin voluntarius hodie miles, una cum auctoratis militans, fidem certe ibi obligatam habeat, unde ſtat; eodemque jure,

jure, quo reliqui ex adverſo conſtituti, capi poſſe cenſeatur. Id quod exemplo *vexillariorum* apud Romanos declarari poteſt. *Retinebantur* illi *ſub vexillo, ceterorum immunes, niſi propulſandi hoſtis*, verbis *Taciti*. Sed ab hoſte non minus capiebantur, quam ceteri. Voluntarium *militem* dixi. nam ſi quis, aliarum rerum cauſſa in exercitu verſetur, neque pugnet; ab eo jus belli abſtineri, humanius & æquius eſt. Cumque feminam à rigore juris bellici ſublevare in multis ſexus debeat, æqualem tamen cum viris ſortem ultro ſubeunt feminæ militantes, ſicut Amazonum exempla, & ſi quæ hujus generis occurrunt, oſtenderint.

I. A. 86.

Non parum autem refert, quo modo in manus hoſtium perveniat *Captivus* noſter, & quæ ſit apud hoſtes ejus conditio: ſed nos unũ nunc ſpectabimus, ad quod reliqua congruent; *quo loco apud ſuos ſit miles captivus aut eſſe debeat, quotiens de eo redimendo, aut de redempto, receptove, in republica conſultatur ac ſententia dicitur.*

Cujus loci triplex eſt ratio: *una*, quæ favorem negotio conciliat; *altera*, quæ odium, *tertia*, ambiguam æſtimationem habet, neque ſemper eodem modo expeditur.

Quæ *favorem* captivis militibus conciliant, paulo altius repetenda ſunt. Præter neceſſitatem ergo & præſtantiam operæ militaris, qua reſpublica carere nequit (*quippe rei militaris virtus præſtat ceteris omnibus; omniaque latent in tutela ac præſidio bellicæ virtutis*, ut eſt apud *Ciceronem*) illud conſideratu dignum eſt, quod milites

Orat. pro Murena. cap. 10.

lites in onere totius civitatis ſuſtinent partem maxime arduam & duram. Si enim in ipſa militia, *urbanarum excubiarum* labor haud immerito levior cenſetur, quàm eorum, quibus infeſtas apud gentes *è contubernio hoſtis aſpicitur*: certe onus militibus pro tota civitate impoſitum, non poteſt comparari, cum eorum onere, qui interim pecunia aliiſque pacatioribus modis bellum iuvant, partiendique laboris publici æqualitatem ſupplere quidem, ſed non æquis paſſibus, contendunt. Quod, ſicut in civibus manifeſtum eſt, ita nec in externo in peregrino, milite neglexit Darius apud *Curtium.* quando non minus Græcos, quàm Perſas, vocat *ſuos milites, ſuam ſecutos fidem*; gravi ratione addita. *quod ſuam ſalutem credant civitati, cui militant,* externi: imo pro civitate illa ſuam ſalutem periculis objectant, id eſt, non faciunt peregrinorum opera, ſed civium; neq; ſuam, ſed civium vicem præliantur. Diminuitur aliquid, fateor, de tam præclara opinione, mercenaria vilitate quorundam: ſed nec ſemper de ſequiore propoſito ſingulorum conſtare poteſt; & hominum vitia ad injuriam rerum valere non debent.

Tac. l. A. 17.

3, 8.

Intenditur vis hujus argumenti, ſi ille aut illi capti ſunt, quorum virtus ſæpe multis bellis antea ſpectata fuit: aut, quorum neceſſaria reipublicæ opera eſt. Meruiſſet profecto redimi M. Atilius Regulus, poſt ampliſſima virtutis opera edita, *ex victore ſpecioſiſſimo, ad miſerabilem captivi deductus fortunam*: niſi ipſe obi-

Val. Max. 1, 1, 4.
Flor. 2, 2.

cem

cem poſuiſſet ſuæ liberationi. Licet enim plus fiduciæ, quàm conſilii ad poſtremam illam pugnam attuliſſet, non potuit tamen nec debuiſſet hæc culpa tot illuſtribus meritis opponi. Eſt hujus generis, de captivo rege redimendo, quæſtio: quam inter civium fidem, & totius civitatis incom̃oda impeditam, magnus animus, qui ſolus capi non poteſt, in Franciſco I. Galliæ Rege aliquo modo explicuit, cũ malle ſe captivum mori, carere regno, filioque id relinquere; quàm iniquis legibus oneratum ac diminutum recipere, in cuſtodia Hiſpanica teſtaretur. Imitator ſcilicet gravitatis & conſtantiæ, qua ejusdem gentis Rex Joannes, duobus ſæculis ante, in Anglia captivus, Eduardi victoris regis poſtulata repulerat. In qua hiſtoria etiam illud occurrit, quàm adverſus merita Regis ſui ingrati, & deliberando eo parum ſoliciti fuerint ordines Galliæ. Haud dubie enim durior eſt *Vaſquii* ſententia in *Contr. Illuſtr.* I, 7, 6.

Bodin. de Rep. 4, 1. & *Io. Serranus in Franc.* 1. *pag.* 443. *Id. in Ioan. pag.* 142. *ann.* 1357.

Apud Chriſtianos, captivorum redemptionem inter *τὰ τῆς ἀγαπητικῆς συμπαθείας ἀποτελέσματα, miſericordiæ & dilectionis opera ac ſpecimina,* com̃endari, ſatis conſtàt: ita ut ea de cauſſa etiam ſacris Eccleſiarum theſauris non parcendum, & viri pietate flagrantes, & poſtea leges Eccleſiaſticæ ſtatuerint. Sed, ſi originem rei attendimus, non tam ad milites captos, quàm ad alios, iſta benignitàs pertinebat, quod vel *Ambroſii* illa oſtendant, ubi de hac re agit: *Quis eſt tam durus, immitis, ferreus, cui diſpliceat,*

Theophan. Homil. 19.

pliceat, quod homo redimatur à morte, femina ab impuritatibus barbarorum, quæ graviores morte ſunt: adoleſcentulæ, vel pueruli, vel infantes ab idolorum contagiis, quibus mortis metu inquinabantur? Præcipue autem vincula religionis ergo Chriſtianis injecta, multo honore & cura celebrabantur. Non tamen nihil militibus prodeſſe debet regula caritatis Chriſtianæ, quæ omnium virtutum præceptis pondus adjicit; omnia duriora mitigat, triſtia edulcat.

Verum, cum hodie inter Chriſtianos haud paulo mitior ſit captivorum conditio, neque ſervi fiant, qui in hoſtium poteſtatem veniunt, miſerationis non æque potentia ſunt momenta, ſicut in captivis ſervientibus. niſi quod idem ſentiendum eſt de iis, qui in Turcarum, Tartarorum & ejuſmodi immanium gentium manus perveniunt. quorum conditionem deſcripſit, triſtem tredecim annorum experientiam nactus *Bartholomæus Georgievizius.* neque in hunc diem fere aliquid mutatum apparet. Tractarunt hunc locum abunde, quibus de bello Turcico ſuperioribus ſæculis conſultatio oblata eſt. *ap. Reuſn. in Anti-Turc.*

Apud ipſos utique ethnicos multum miſerationis in captivos trahebat, ipſa ſervitutis miſeria, major minorve, pro dominorum ingenio; ſed nuſpiam ſine ærumna. Ipſa quippe captivitas, fiduciam, ſine qua animus torpet, extinguit. *Alius domi eſt cæli hauſtus, alius lucis adſpectus: mores, ſacra, linguæ commercium, etiam à barbaris expetuntur: quibus qui carere cogi-* *Curt. 5, 5, 19.*

 tur,

tur, calamitoſum ſe judicat. præſertim cum ſit *capite diminutus, abalienatus jure civium, ſervus ho-*
22, 59. *ſtium* factus, ut apud *Livium* captivitas deſcribitur. Accedunt vincula, quorum & pudet &
Plaut. Captiv. act. 1. ſc. 2. v. 3. act. 2. ſc. 2. v. 4. & 54. ac ſeq. piget: ſicut *captivi Plautini* oſtendunt, ac dequeruntur tum alias, tum lamentabili illo carmine:

--- Fortuna, humana fingit, artatq; ut lubet,
Me, qui liber fueram, ſervum fecit; è ſummo, infimum.
Qui imperare inſueveram, nunc alterius imperio
act. 3. ſc. 5. v. 66. *obſequor.* Verbera, lapidicinæ, craſſæ compedes, atroces ex levis delicti occaſione pœnæ. Utuntur hoc argumento in Senatu Romano
lib. 22. c. 59. captivi Cannenſes apud *Livium*: *Illud etiam in tali conſilio animadvertendum vobis cenſeam, P. C. ſi tamen duriores eſſe velitis, quod nullo noſtro merito faciatis, cui nos hoſti relicturi ſitis. Pyrrho videlicet, qui nos hoſpitum numero habuit captivos, an barbaro ac Pœno; qui utrum avarior an crudelior ſit, vix exiſtimari poteſt. Si videatis catenas, ſqualorem, deformitatemq; civium veſtrorum, non minus profecto vos ea ſpecies moveat, quàm ſi ex altera parte cernatis ſtratas Cannenſibus campis legiones veſtras.* Ultimum omnium malorum mors eſt, quæ & ipſa ſæpe captivis imminebat. Quanquam enim durum illud & inſolens,

Senec. Troad. act. *Lex nulla capto parcit, aut pœnam impedit,*
rectiſſime repudietur meliore ſapientiâ;
Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor;
Sæpius tamen fere licentiæ, quàm pudoris meminerunt victores: adeo ut ne regibus quidem

captivis

captivis vitam conceſſerint aliquando Romani. imo beſtiis objecerint, quod de Conſtantino memorant. Grot. I. B. 3,11,7. add. annot.

Nonnunquam indignitatem captivitatis auget vilitas aut diritas dominorum. Athenienſes laudat *Libanius,* quod *ne in theatro quidem & fabulis ferre potuerint, ſi inducerentur Græci à barbaris capti*: μηδὲ τὰ τοιαῦτα τῶν δραμάτων ἀνέχεσθαι, ἐν οἷς Ἕλληνες ὑπὸ βαρβάρων ἁλίσκονται. Utinam hunc ſenſum Deus Chriſtianis inderet, quotiens de captis à Turca, Moſcho, feriſque aliis gentibus cogitatio ſubit. Concurrit enim cum indignitate atrocitas apud bis miſeros: qui & infanda patiuntur, & à barbaris patiuntur. Nec opus eſt ad Jo. Baſilidis immanitatem & vetuſtiora recurrere, niſi ſi propiora dememiniſſe quiſquam potuit. Hiſtor. miſc. 11,4. Declam.16. apologia Demoſth. Alexand. Gaguin.

Novum genus miſeriæ, phantaſiâ παθητικῇ movent Romani ad Cannas captivi, ſi redemtione indigni habeantur: *Si medius fidius ipſe in nos mitis Hannibal contra naturam ſuam eſſe velit, nihil tamen nobis vita opus eſſe cenſeamus, cum indigni ut à vobis redimeremur, viſi ſumus.* --- Et: *redeam ego in patriam trecentis numis non æſtimatus civis?* Et mox: *Magis me famæ periculum movet, ne à vobis damnati & repulſi habeamur. neq; enim vos pretio peperciſſe homines credent.* Liv. 22,59.

Hic locus ad aliud nos genus favoris in redimendis captivis militibus deducit: ubi prona ſcilicet ad redimendum via, id eſt, quando & victor redimendi copiam facit, & pretium redemptionis non iniquum ſtatuit. Non de-

fuit ſane ratio, quæ captivis illis Cannenſibus obverteretur, ſicut poſtea cognoſcetur. Eſt tamen de cetero, ubi valide auditur hæc ſuaſoria. Unde plenum invidia & odio habetur Mauritii Imperatoris factum: qui cum Chagano Avarum Duci legiones ſibi, quod ſeditioſius egerant, inviſas ductu Commentioli objeciſſet, captos de iis ad duodecim hominum millia, noluit redimere poſtea, quanquam Chaganus non niſi numum pro ſingulis, atque ubi non impetraret, dimidium numum exigeret. Quare incitatus barbarus (quod futurum divinari facile poterat) omnes trucidavit. Secuta eſt hanc crudelitatem Mauritii ſera pœnitentia: neque minimum ea res ad exitium ejus momenti credebatur attuliſſe. Memorat *Zonaras*
tom.3.p.63. & *Hiſtoria Miſcella*: ne de *Cedreno* & *Nicephoro*
lib.17.c.39. *Calliſto* dicam.

Nunquam autem favor in captivos milites manifeſtior, quàm quotiens bellum conditionibus finitur. ſolennem in legibus pacis locum occupante, captivorum ex utraque parte dimiſſione. Viciſſim valet, ut dixi, iſta facilitas. Unde iniqua viſa eſt conditio & dura, quam Carthaginienſibus Regulus tulit, *ut Romanorum*
in. Eclog. *captivos ipſi gratis dimitterent, ſuos autem pretio*
Legat. Urſin. *redimerent*, apud *Dionem Caſſium*. Significabat
adde Polyb. 1. enim pacem non ex æquo; cum juberentur facere, in quibus Romani non erant mutuum facturi. ἄλλα τέ τινα οὐκ ἐκ τοῦ ὁμοίου ποιεῖν ἐκέλευον. inquit *Hiſtoricus*.

Atque, ut plauſibilior reddatur cauſſa captivorum

vorum militum, producunt exempla civitatum, quæ ad gloriam & utilitatem ſuam pertinere judicaverint, captivis liberandis operam dare. *Libanius*, antiquam de captivis redimendis legem laudat; legatoſque ea de cauſſa ad victores mittere, eſt ei, τῷ παλαιῷ περὶ τοὺς αἰχμαλώτους χρήσασθαι νόμῳ. Apud *Livium*, qui pro Cannenſibus in captivitate reliquiis loquuntur, *Majores noſtros*, inquiunt, *acceperamus ſe à Gallis auro redemiſſe; & patres noſtros aſperrimos illos ad conditionem pacis, legatos tamen captivorum redimendorum gratia Tarentum miſiſſe.* Hanc legationem optime omnium exequitur *Dionyſius Halicarnaſſenſis*, qui ait, *legatos miſſos* τοὺς ἀξιώσοντας Πύῤῥου ἀπολυτρῶσαι σφίσι τοὺς αἰχμαλώτους, εἴτε ἂν διαλλαξόμενον ἑτέρων σωμάτων, εἴτε ἀργύριον καθ' ἄνδρα ὁρίσαντα, *poſtulaturos à Pyrrho, ut captivos ſibi redderet, vel pro aliis captivorum corporibus, vel ſtatuto in capita ſingulorum pretio.* Qui duo modi adhuc hodie ſc. in uſu ſunt. pretio in ſummis quidem Ducibus & Principibus varie taxato: in ceteris ex mutua cujuſque populi ratione temperato. Et Pyrrhus quidem ducentos ex captivis ſtatim ſine pretio remiſit, laudante factum *Cicerone*, ut magni excelſique animi ſpecimen (quamquam ſuberat artificium, quod *Florus* bene notat) de ceteris permiſit ad Saturnalia Romam proficiſci, quotquot vellent, unius in ea re Fabricii legati ſecutus fidem, qui redituros, niſi pax interea conveniſſet, promiſerat. Extitit fides promiſſo. reverſique in captivitatem præſtitu-

Declam.15. — *22,59.* — *In Eclog. Legat. ap. Fulv. Urſin. 5.* — *Grot. I.B. 3,14,9.* — *1. Offic. 12. & 13.* — *2, 18.* — *Appian. apud Fulv.*

Urſin. in Eclog. leg. 6. to die ſunt omnes. Neque plane ea gravitate carent juniora tempora. Cum enim anno ſuperioris ſæculi 74. Middelburgum deditum eſſet Orangio, Mondragonii ſola auctoritas, abſque ullis pignoribus aut obſidibus, apud victorem valuit; cum diceret ſe effecturum, ut Aldegundius cum tribus, quos ipſe legiſſet, aliis, ex captivitate in Selandiam ſextum intra menſem remitterentur, aut ſi rem conficere nequiviſſet, in captivitatem rediturum eſſe, *Decad. 1. lib. 8.* quod *Famianus Strada* amplius dilaudat. Sed iſtam de permutandis, aut redimendis captivis deliberationem utrinque memorabilis, & ad reipublicæ tempora fortunamque ſedulo exacta utilitas fere dirigit: honeſtatis ſpecies & magni animi gloria, obtentui aſſumuntur.

Non invidetur interim hæc gloria privatis, ſi velint, civibus quibuſdam ſuis liberatis vel humanitatis officium uſurpare, vel nomen ſibi comparare, aut benevolentiam colligere. Unde Cicero optimatibus viris id factitatum ex *oratione Craſſi* refert, laudatque non ſemel hoc *2. offic. 18.* beneficentiæ genus. *Atq; hæc*, inquit, *benignitas etiam reipublicæ utilis eſt, redimi è ſervitute* *tom. 1. Apolog. Demoſth. pag. 450.* *captos.* Et apud *Libanium* inter virorum magnificorum opera, referuntur *αἰχμαλώτων λύσεις*, *captivorum redemptiones.* Apud *Eundem* Demoſthenes de ſua legatione glorians, *alios pecuniam retuliſſe*, ait, *ſe autem undecunq; conquiſitos ſua pecunia, quotquot poſſet, captivos reduxiſſe*, additque: ϗ νῦν οὐκ ἂν ὤκνησα τὸν αὐτὸν τρόπον ἀπαλλάξαι χεῖρον τοὺς πολίτας τύχης, εἰ

παρῶν

παρ' ὑμῖν μοι ποιεῖν ἀργύριον. *Nunc quoq; non omiſiſſem eodem modo cives in meliorem ex adverſa fortunam vindicare, ſi tantum argenti ſuppeteret.* Sumta hæc ſunt *ex oratione* ipſius *Demoſthenis* περὶ παραπρεσβείας. qui locus cum ad noſtram rem haud parum faciat, ut putamus convertendum eſſe, huc afferetur. *Age vero,* inquit Orator, *quos ego captivos redemerim, vobis exponam. Quo tempore, antequam Philippus rediſſet, Pellæ agebamus, captivorum quidam, quotcunq; vades dederant, haud ſane confiſi, ut arbitror, compotes ſe voti per Philippum fore* (abſque pretio ſcilicet multum lucri de tot captivis promittente dimittendos, ut *Ulpianus Rhetor* explicat) *ſe velle ipſos ſibi libertatem parare, neq; ejus rei gratiam Philippo debere, dixerunt: & alius quidem tres minas, alius quinq;, nonnulli rurſus, ut cujuſq; pretium redemtionis finitum erat, fœnerabantur.* ſcilicet ab ipſo Demoſthene. *Poſtquam autem Philippus profeſſus eſt, ſe captivorum reliquos ſine pretio dimiſſurum, ego ſtatim convocatis, qui mutuam à me pecuniam acceperant, quæ inter nos acta eſſent in memoriam revocavi, atq; ne ipſis feſtinatio ſua fraudi fuiſſe, aut hominibus pauperibus libertas ſuopte impendio quæſita, videretur, cum interim alios gratis à Philippo dimiſſum iri, ſpes eſſet, donavi illis pretium redemtionis.* Productis deinde teſtimoniis ſubjicit: *ὅσα μὲν τοίνυν ἀφῆκα χρήματα, καὶ δωρεὰν τοῖς ἀτυχοῦσι τῶν πολιτῶν, ταῦτ' ἐστιν. Quod igitur remiſi, & dono dedi calamitoſis civibus, pecuniarum tantum eſt.* Ad gloriam & decus opportuna eſt iſta magnificentia:

centia: ſed & officii neceſſitudo quoſdam ad redimendos captivos ſuſcitabat. Clientium certe officio hoc contineri, ut patronos ſuos, eorumque liberos ab hoſtibus captos redimerent, *Halicarnaſſenſis* tradit. Privatæque redemptionis, ut ſic dicam, mentio etiam in Romana illa deliberatione infertur, quando cen-

lib.2.

Liv.22,60. ſent aliqui, *nullam publicam impenſam faciendam, nec prohibendos ex privato redimi.* Quamquam ibi non de redemtione ea ſermo eſt, quæ aliorum opera pecuniaque, ſed quæ ſua cujuſque impenſa fit. Unde & ſequitur: *Si quibus argentum in præſentia deeſſet, dandam ex ærario pecuniam mutuam, prædibuſq; ac prædiis cavendum populo.* Minus ſpecioſa eſt liberatio captivorum, quando ejuſdem civitatis civis ſuo ære redimit civem, non quidem ſervum redemptoris futurum, ſed tamen plenæ libertati non reſtituendum, niſi pretium ſui perſolverit redemtori, aut certum ad tempus ſerviverit. Quod etiam legibus civilibus firmatum eſt, ne favor redemptionis, conſideratione damni imminueretur, hominesque ad eam humanitatem ſegniores fierent, ſi repetitio pretii nulla eſſet.

Progrediendum eſt ad illud caput hujus diſputationis, quod in utramque partem plurimum valet, quomodo miles captus ſit, ſive in manus hoſtium pervenerit. Unicus hic favoris fons, ſi neque per ignaviam, neque per aliam culpam commiſit, ut in manus hoſtium

4,58. veniret. Licet enim veriſſimum ſit illud *Livii*, *nulla*

nulla virtute ſuperari virium humanarum modum: Serio tamen examinatur, an factum ſit, quod fortis fideliſque operæ ratio poſtulabat. facile enim ignaviæ ſuſpicionem incurrunt captivi. Unde apud *Plautum*, Philocrates, cum ex altera *Captiv. 2,*
quoque parte quoſdam captos intellexiſſet, ſo- *2,12.*
latium id arripiens, inquit:

— *non igitur nos ſoli ignavi fuimus.*

In oratione ſeveriſſimâ Manlii Torquati, *capti* *Liv.22,60.*
in acie ab hoſtibus longe præferuntur iis, qui ſe poſtea in caſtris dediderunt. *Libanius* præſtet nobis interpretationem hujus loci, quando de captis ad Chæroneam ita judicat: νομίζω καὶ *Declam.15.*
τούτους οὐδὲν ἧττον ἀγαθοὺς, καὶ οὐδεμιᾷ κακίᾳ ταύτην ὑπομεῖναι τὴν τύχην· ἀλλ' εἶναι τῆς ἀνδρείας αὐτῶν, οὐ μικρὸν καὶ τοῦτο σύμβολον, τὸ μαχομένους ἁλῶναι. κτλ. *Exiſtimo & hos non minus præſtantes* (quàm eos ſcil. qui in acie ceciderunt) *neq; ullo ſuo vitio hanc fortunam ſubiiſſe: quinimo, non minimum eſſe, & hoc virtutis eorum teſtimonium, quod pugnantes capti ſunt*: *ignavi enim* (ita addit) *& vulnera formidantes congredi non audent, ſed initio pugnæ arma jacientes fuga ſibi conſulunt: qui vero virtutem ſuam ſpectari actione cupientes, hoſtem umbonibus propulſant, ſui immemores; hi ſunt, qui capiuntur.* In acie ergo capti intelliguntur hic, quibus circumventis neque ad pugnam, neque ad fugam locus fuit. antequam enim in captivitatem miles pervenire velit, fuga poſt conſumtam ſc. virtutem conceditur.
In *declamationibus*, quæ *Quintiliano* tribuuntur, *Declam.*
legas: *Longe feliciſſimum in bellis eſt, vincere: for-* *339.*
tiſſimum, ſi victoria non detur, pro cauſſa mori.

Eſt tamen tertium aliquod inter dedecora, in patriam certe redire, & ſi vincere non detur, effugere. Poteſt enim credi, qui hoc fecit, ad ſecundam ſe aciem ſervaſſe, & victum adverſis animum repoſuiſſe. Flor. 2,6. Quem in ſenſum *Florus* de Cannenſi clade: *Ducum effugit alter, alter occiſus eſt: dubium uter majore animo. Paulum puduit: Varro non deſperavit.* Liv. 22,61. Cui etiam publico nomine *gratiæ ſunt actæ; quod de republica non deſperaſſet.* Fruuntur hoc favore, qui obſeſſi poſtquam ad ſummam virtutem nihil reliqui fecerunt, omniaque, quæ tolerari poſſunt, ſuſtinuerunt, ſe hoſti coguntur dedere. Nec minus, qui à Duce dimiſſi, neque mandata egreſſi, pauci à pluribus intercipiuntur. l. 3. §. 12. ff. de Re milit. Si enim *Modeſtinus* rationem ejus habet in præmiis & commodis militaribus, *qui ex improviſo, dum iter facit, capitur ab hoſtibus*: multo magis favor in captivum trahitur tali caſu, quo mandata fungens in hoſtem incidit.

Facit & tempus favorem militibus captivis: ſi victori lucrum ex pecunia, victis ex recepto milite potius videtur; Si permutatio inſtitui poteſt, quæ, ut poteſt & ſolet fieri, utrique parti per rationes publicas non ingrata eſſe deberet: ſi captivis auctum in captivitate in hoſtes odium conſtat; ſi belli pace finiendi nulla aut longinqua ſpes ſit; ſi ſalvis dignitatis publicæ, conſiliorumque belli rationibus fieri queat; ſi de hoſtium propoſitis valida conjectura eſt. quali apud *Libanium* Demoſthenes utitur: ὡδὲ γὰρ τὸ Φίλιππον ἔλεγχον ἡδέως ἂν ἔχοντα

ἔχοντα τοσούτους Ἀθηναίων ἐπὶ τῆς αὐτοῦ χώρας ἐχθρούς, οἷς οὔτε στρατιώταις ἔμελλε δήπου χρήσασθαι· σφαλερὸν γάρ· οὔτε συνάγων εἴς τι χωρίον κατέχειν, ὅθεν, οὐκ ἦν ἀποδρᾶναι ῥᾴδιον. τὸ, τε ἄλλως ἔχειν ἐν δεσμοῖς, οὔτε ἀνθρώπινον, οὔτε κερδαλέον. *Non enim reperiebam, Philippum libenter Athenienſes, id eſt, hoſtes, in regno ſuo habiturum: quibus nec, ut militibus uti poſſet, (anceps enim id foret) nec loco eos certo concludere, unde nulla effugiendi facultas. Alia autem ratione, vinclis eos coërcere, neq; ad humanitatem, neq; ad quæſtum, opportunum videbam.* Tentat has rationes apud *Curtium* ne quicquam Parmenio, cum ſuadendum fuiſſe ait Alexandro, *ut captivos apud Damaſcum redimentibus redderet; ingentem pecuniam potuiſſe redigi ex iis, qui multi vincti virorum fortium occupaverant manus.*

Declam. 15. pag. 425. tom. 1.

4, 11, 11.

Non omittendus eſt favor, qui abſentiæ captivorum militum jure gentium datur: naturali ſcilicet æquitate huc vocante, ne abſentiæ damna metuat, qui reipublicæ cauſſa non abeſt modo, ſed inſigni cum incommodo & detrimento ſui corporis, rei familiaris, omniſque fortunæ abeſt. Hinc poſtliminii jus, & quæ alia civilibus quoque formulis perſcribuntur. *Grot. I.B. 3, 9.*

Priuſquam hinc abeamus, facienda videtur mentio cadaverum captivorum. nam & iſta repeti mos eſt. an & auro repenſari? ita ſane ſenſerunt, qui bellorum jura facultate ſucceſſus æſtimant: notaque ſunt exempla, non apud *Virgilium* modo *lib.* 9. Æn. v. 213. ſed & alibi, vide omnino *Alber. Gentil. de I.B. II,* 24. Verius

Grot. I.B. 2, 19, 3.

Virgil.

autem

autem & rectius eſt, majore animo talia tractare. quod nec barbaris ignoratum. Cum ſuperiore ſæculo Sebaſtianus Luſitaniæ Rex in Africa prælians cecidiſſet, & de redimendo corpore ejus cœptum eſſet agitari, Hametes Melici victoriæ immortui frater idemque ſucceſſor, negavit *ſe eum eſſe regem, qui ex cadaveribus* *lib. 56. an. 1578.* *pretium acciperet*, apud *Thuanum*. Ceſſant enim morte, quæcunque pacem cum vivis diſtinebant: omniſque odiorum materies evaneſcit. Unde offerenda potius, quàm concedenda defunctorum hoſtium corpora ſunt. nec immeritò, ut in re abſurda Æneas apud Poëtam:

Virgil. Æn.11.

Pacemne ex animis & Martis ſorte peremptis
Oratis?

ut reſponderet rationi juris naturalis, quæ præceſſerat:

Nullum cum victis certamen & æthere caſſis.

Tractatus eſt hic locus, & expolitione omni diffuſus in hiſtoria Adraſti, cui Thebani interemptorum corpora negarunt, donec Theſeus juris communis patrocinio ſuſcepto rem confecit: apud *Poëtas* præſertim & *Oratores*, quorum *I.B.2,19,3.* nomina diligenter colligit *Grotius*.

Declam.15. *Modos quoſdam liberandi captivos*, *Libanius* refert: primo, *collata viritim pecunia*, *ſive impoſito civibus tributo*, cujus favorem ita exequitur: οὐδεὶς γὰρ οὕτως Ἀθηναίων οὔτ' ὠμὸς οὔτ' ἄπειρος τοῦ ὑπὲρ τῶν δικαίων δαπανᾶν, ὅστις ἂν ἐτόλμησε τὸ ἀνάλωμα φυγεῖν. *Nemo enim Athenienſium ita vel crudelis, vel impenſarum in res juſtas ignarus,*

qui

qui audeat ſumtum talem detrectare, aut pecunia pauxillum (ut additur) *in damnis reputare?* Deinde, *legatis & orationibus impetrari forte libertatem captivis poſſe*, ait. Quod genus, cum priori plerumque conjungitur. Plus enim fere argento, quàm verbis, ad perſuadendum ineſt virium. Tertia recuperandi captivos ratio, ad gloriam inſignior eſt, *armis* ſcilicet *& virtute*. *Si deductis triremibus*, inquit, *Athenienſes infeſtare Philippi regiones cœperint, adactus ea re Philippus, quicquid eſt captivorum, non hominum modo, ſed locorum & urbium reddet*. Sed hujuſmodi plures ſunt viæ: cum urbe hoſtili capta: aut exercitu fuſo, qui de noſtris capti inerant, liberantur; aut alia virtute militum noſtrorum recipiuntur. An & *fuga* locum habet? Negat *Grotius*. cui *Feldenus* contradicit hac ratione: *I.B. 3,14,7.*
cum opinio de juſtitia cauſſæ ab utraq; pugnantium parte ſoleat obtinere, injuſtum non eſt, captos ſe ſubtrahere victoribus, utpote à quibus injuſte ſe detineri in ſervitute exiſtimant. Reſpondet pro Grotio *Graſſwinkelius*; *caſum ita formari debere, ut ambiguo locus non ſit.* Nihil, aut aliud egiſſe uterque videtur. Mihi certum eſt, *Gro-* *I.B. 1, 3, 4.*
tium loqui de bello *juſto* ſive ſolenni, jure gen- *& 3, 31.*
tium, quod à ſummis poteſtatibus rite geritur, ſicut explicavit alibi. In quo ne attenditur quidem, quantum ad hoc, ut juſtum ſit, cauſſa juſta, quæ vel ſepoſita interim, vel utrinque concepta animis intelligitur. De qua ſi intelligi voluiſſet, non potuiſſet aut debuiſſet hâc quæſtionis formulâ uti, *Grotius*. ſicut nemini

mini attendenti aut intelligenti obſcurum eſſe poteſt. Itaque non excipiendi, *Feldeno*; non reſpondendi, *Graſwinkelio* cauſſa fuit. Quod ſi omnino, formata longe aliter quæſtione, de cauſſis belli juſtificis hîc dubitandum ſibi quiſquam exiſtimaſſet, pervelim audire quæſtionem, ubi ambiguo, quod Feldenus attulit, non ſit locus. niſi ſingulare exemplum, & extra ea, quæ ut plurimum accidunt, fingatur. Nihil juſtius, quàm deſiderare exempla in talibus cauſſis: nihil eruditius, quàm præfinire & deſcribere. Neque tamen aſſenſerim Grotio, hanc diſputationem definienti. In bello enim, ut ipſe appellat, juſto, neminis civis opera aliter cenſetur civitati obligata, quàm ut faciat quod debet ac poteſt; & patiatur, quod neceſſe eſt. Hæc neceſſitas vel vi conſtat inevitabili, in nervo, compedibus, clauſtris: vel vinculo fidei; ſi promiſit, ſi juravit captivus. ſe fugâ non evaſurum. Quicquid interjectum eſt, corpore & patientiâ apud hoſtes, animo & voto apud ſuos agit: niſi quatenus pactiones & vincula fidei intercedunt. Ut, ſi quis, liberiorem cuſtodiam impetraverit, interpoſito de fuga non capeſſenda jurejurando, data dextra, promiſſione aſſeveratâ. Quâ de re ſub gravibus exemplis diſſerentem juvat adire Bodinum. *lib. 5. de rep. cap. 6.* Videtur quidem ipſa deditio, ubi accedit, fidem captivi obligare. Sed cum hæc obligatio odioſa ſit, interpretatio veluti tacito gentium conſenſu fit in partem huma-

humaniorem. Itaque Jureconſultus nihil intereſſe vult, quomodo captivus reverſus ſit; *utrum dimiſſus, an vi, vel fallacia poteſtatem hoſtium evaſerit.* *l.26.ff. de captiv.*

--- captivus, avis feræ conſimilis eſt:
ſemel fugiendi ſi data eſt occaſio,
Satis eſt; nunquam poſt illam poſſis prendere. *Plaut. captiv. 1,2,7. &c.*

Itaque apud eundem *Poëtam* honeſtus juvenis captivus ex communi & pervulgata apud omnes opinione, ſicut in Comœdiis fieri ſolet, γνωμολογεῖ ad herum: *2,2,9. & 10.*

Neq; pol tibi nos. quia nos ſervas, æquum eſt vitio vertere;
Neq; te nobis, ſi abeamus hinc, ſi fuat occaſio.

Et hæc ſententia tum obtinebat, cum capti ipſo jure fierent ſervi capientium. ſcilicet, ut rigor ejus juris diſſimulatione talis culpæ mitigaretur. Aliter ſtatuendum eſt, ubi ſancta fidei pignora ſunt interpoſita, ſicut exemplum Reguli jam ante oſtendit: cui non defuerunt qui poſtliminii prætextum oſtenderent, & perjurii metum ac religionem demere cuperent. *Eutrop. lib.2. & Metaphr. Paanis.* Sed ipſe ſolidioris ſapientiæ placita tenuit, & ad ſupplicia reverti, quàm religionem diſſolvere maluit. Ut autem *laudandus Regulus in conſervando jurejurando, ſic decem illi, quos poſt Cannenſem pugnam juratos ad Senatum miſit Hannibal, ſe in caſtra redituros, ea quorum potiti erant Pœni, niſi de redimendis captivis impetraviſſent, ſi non redierunt, vituperandi.* *3. offic. 23.* *De quibus non omnes uno modo*; ſicut amplius exequitur *Cicero,* cujus verbis

modo

modo uti placuit. ut & *Livius libro* XXII. *extremo.*

Veniendum nunc eſt ad *alteram partem, & ea, quæ plus invidiæ & odij trahunt in captivos, vel redimendos, vel redemptos receptoſve.* Diſciplinæ militaris ſeveritas, vel conſuetudine civitatis inducta, vel legibus firmata primum hîc nomen eſt: quam utrinque roborant tum exempla militarium populorum, tum experimentis ſpectata nobilibus utilitas publica. Magnifice hic locus tractatur in Cannenſi hiſtoria. ubi ipſi captivorum legati exemplum
Liv. 22, 59. Romanæ civitatis fatentur: *P. C. nemo veſtrum ignorat, nulli unquam civitati viliores fuiſſe captivos, quam noſtra.* Et mox Manlius commen-
22, 60. dat, admonetque: *ut mos traditus à patribus, neceſſario ad rem militarem exemplo ſervetur.* Nec
22, 61. parum movit poſtea Senatum *exemplum civitatis minime in captivos jam inde antiquitus indulgentis,* ut redderetur triſte reſponſum, *non*
lib. 2. c. 7. ex. 14. *redimi captivos.* Quod *Valerius Maximus* inter ea, *quæ ab univerſo Senatu, pro militari more obtinendo defendendoque adminiſtrata ſunt,* dilau-
3. offic. 32. dat. Idem jam ante *Cicero* factitaverat. *Octo,* inquit, *hominum millia tenebat Annibal, non quos in acie cepiſſet, aut qui periculo mortis diffugiſſent, ſed qui relicti in caſtris fuiſſent à Paulo & Varrone Coſſ. eos Senatus non cenſuit redimendos, cum id parva pecunia fieri poſſet: ut eſſet inſitum militibus noſtris aut vincere, aut emori. Qua quidem re audita, fractum animum Hannibalis ſcripſit Polybius, quod Senatus P. Q. R. rebus afflictis tam excelſo*

celſo animo fuiſſet. In quibus verbis, præter eam, quæ dicta eſt, ſingularis ratio continetur, captivorum cauſſam aggravans: quando nimirum animoſa atque fortis apparere vult civitas in arctis rebus, ac fiduciâ inuſitatâ fortunam reparat. quod ſæpe ſucceſſit Romanis. Sed, ut ad diſciplinam militiæ redeamus, *nihil eſſe, quo magis illa confirmari poſſit, quàm exemplum adverſus indignos, nemo dubitavit. Quæ enim ſpes in bellis in milite reſidua eſt, ſi nihil potius fuerit, quàm capi?* Ita *Declamatio Quintiliano tributa* 339.

Facit deinde rem difficilem numerus captivorum tum apud eos, qui detinent, tum apud redempturos recepturoſve. Ita Pyrrhus legatis Romanis, reſpondet; *ſe niſi pace factâ, nequaquam dimiſſurum Romanis multos & bonos milites*: abſurdeque id peti autumat; ἵνα τοῖς αὐτοῖς τούτοις σώμασιν, εἰς τὸν καὶ ἐμοῦ πόλεμον ἔχητε χρῆσθαι. *ut his ipſis,* inquiens, *corporibus bellum adverſus me inſtruere queatis.* Apud eos autem, unde captivi in manus hoſtium pervenerunt, ipſe numerus facit ſuſpicionem culpæ, ac ignaviæ. Imperator ille, qui captivos ab hoſte reverſos nocte, recipere noluit. apud *M. Senecam, Cur,* inquit, *trecenti perierunt? imo cur, ne perirent, capti ſunt? Hos ego interdiu non recepiſſem, niſi victores: noctu, ne victores quidem. Procedens poſtridie in prælium, pugnaturis oſtendi trecentos, in quibus laudari nihil poteſt, præter fugam: nihil deſiderari, præter numerum.* Senatus Romanus *conſimili animo* (utar verbis *Valerii Maximi*)

Dionyſ. Halic. excerpt. Legat.

Ful. Urſ.

Excerpt. Controv. 5, 7.

2, 7, 14.

ximi) cum ei Annibal ſex millium Romanorum, quæ capta in caſtris habebat, redimendorum poteſtatem feciſſet, conditionem ſprevit: memor, tantam multitudinem armatorum juvenum, ſi honeſte mori voluiſſent, turpiter capi non potuiſſe. Et Manlius Torquatus, *quàm tutum iter,* inquit, *duarum pro-*
Liv.22,60. *pe legionum agmini futurum fuiſſe cenſetis?* Scilicet cum ſexcenti eruperint.

Sed Torquatus quidem, non ignaviæ modo aperto crimine, (de ſuſpicione enim modo
id. ibid. dictum) ſed *ſceleris* quoque nomine eos poſtulabat, & utrumque luculentis argumentis tractat. Ignavia hinc manifeſta: *P. Sempronius tribunus militum inſtanter admonuit, juſſitque vos erumpere: oſtendit ferro atque audacia viam fieri, quamvis per confertos hoſtes; imo, quàm vere iſta diceret, ſuo exemplo monſtravit. favebat incepto nox. Nunquam Romana virtus talibus adhortationibus defuit. Calpurnius Flamma priore bello Punico trecentos voluntarios, inter medios hoſtes ſecum in collem traxit, cum diceret: Moriamur milites, & morte noſtra eripiamus ex obſidione circumventas legiones, nemo detrectavit. Hic non mors, ſed incolumitas per eruptionem oſtendebatur. cum tamen vel ad moriendum, tot civium cæſorum mortes vos debuerint incitare. Sed nec feciſtis, quæ virtus & mos militiæ poſtulabat. Sicut enim cum in acie ſtare & pugnare vos decuit, in caſtra refugiſtis, ita cum pro vallo pugnandum erat, cum caſtra tutari vos oportebat, & caſtra & arma & vos ipſos tradidiſtis.* Jam ſcelus hinc arguebatur: quod non tantum bene monentem recuſaſ-

ſent,

ſent, *ſed erumpentibus obſiſtere conati eſſent: ita ut viris fortibus ante cum civibus quàm cum hoſtibus pugnandum, & inertes illi gladiis ſubmovendi fuerint.* Attollitur hic locus amplificatione variâ: præſertim etiam inde, quod ab ignavis iſtis in poſterum nihil boni expectandum ſit; vel quod perdita ſemel virtus haud facile in præcordia redeat; vel quod invidia & odio ſint proſecuturi illos, quos ſemel deſeruerunt, quorumque incolumitate & gloriâ ſuam ignaviam perpetuâ exprobratione flagellari putant. Tentavit hunc colorem etiam Torquatus. Imitatur iſta omnia *Declamator*; ubi etiam primo ex more, inſtitutoque Græciæ, cauſſaque bellandi conficit: *Nunquam majore animo, nunquam concitatiore ſpiritu fuiſſe pugnandum.* Sequitur: *In hoc igitur prælio, quod, ut dixi, pro univerſa Græcia ſuſceperamus, nondum dico, quantum nocuerit iſtorum timor: interim cujus propoſiti fuerit animus, attendite.* Et: *Ille vero, qui ſe, inter virtutem, hoſti dedit, qui abjectis armis parata in vincula præbuit manus, quam tandem nobis ſpem in poſterum facit?* Conjungit iſta omnia argumenta, & cumulat *Horatius* in conſilio Reguli de non redimendis captivis: *Quintil. Declam. 319.*

Hoc caverat mens provida Reguli,
Diſſentientis conditionibus
Fœdis, & exempli trahentis
Perniciem veniens in ævum;
Si non periret immiſerabilis
Captiva pubes. *lib. 3. carm. od. 5.*

Auro repenſus ſcilicet acrior
Miles redibit? flagitio additis
Damnum: neq; amiſſos colores
Lana refert medicata fuco.
Nec vera virtus, cum ſemel excidit,
Curat reponi deterioribus.
Si pugnat extricata denſis
Cerva plagis, erit ille fortis,
Qui perfidis ſe credidit hoſtibus!
Et Marte Pœnos proteret alterò,
Qui lora reſtrictis lacertis
Senſit iners, timuitq; mortem.

Excerpt. controv. 5,7. Addendum eſt judicium *Declamatoris* apud M. *Senecam*: *Populus Romanus Cannenſi prælio in ſummas redactus anguſtias, cum ſervorum deſideraret auxilia, captivorum contemſit: & credidit libertatem magis tueri poſſe, qui nunquam habuiſſent, quàm qui perdidiſſent.*

Huic vel credito vel cognito ignaviæ crimini accedunt aliæ culpæ, quæ negotium redimendi captivos inviſum reddunt. Monitus aliquis tribunorum fuerit à duce, ut acceleraret iter, incederetque non viæ modo ſed pugnæ paratus: hoſtem enim in propinquo eſſe. hoc ille neglexerit, ſuaque quapiam opinione ductus, nihil ab hoſte longius poſito periculi eſſe crediderit: eaque ſecuritate proditus hoſti captuſque fuerit. Non poteſt non difficilem experiri Ducem, cujus præcepta contemſit. Quod ſi Quintilius Varus, cujus ſegnitia nobiliſſimus *Tac. 1. A. 58.* interiit exercitus, eo quod indicia rebellionis ultro ad ſe delata inſuper habuerat, captiuitatem

tem voluntaria morte non præveniſſet, quid de eo ſtatuendum exiſtimaſſet Auguſtus, cujus adverſus mortuum querela inſonuit: *Quintili Vare. legiones redde?* Iuſſus fuerit centurio, præfectus, tribunus, navali terreſtrive itinere huc illucve accedere; nihil ipſi defuerit ad idoneum præſidium; non naves bellicæ, non milites; ſed ille, vt ſumtui parceret, parum ſe ad iter munierit, ac in manus hoſtium ea cauſſa devenerit. Ad iraſcendum, quàm ad redimendum, proniorem invenerit, arbitror, civitatem. Ita, ſi quid in præceptis præliaribus neglectum, & Duci & militi captivitatis cauſſa fuit; plus erit, quod impediat deliberationem de redimendis captivis, quàm quod promoveat. *Sueton. Aug. 23.*

Sumtuum (τῶν λύτρων, quæ ſunt τὰ παρεχόμενα ὑπὲρ ἐλευθερίας apud *Suidam*) duplex eſt invidia: *vel*, quod ærarium exhauriunt; *vel*, quod hoſtem inſtruunt, juvantque. Vtriuſque rei habita ratio in Senatu Romano, cum decretum de non redimendis captivis fieret. *Pecunia quoq; ſumma*, inquit Hiſtoricus, *homines movit: quia nec ærarium exhaurire, magna jam ſumma erogata in ſervos ad militiam emendos armandoſque, nec Annibalem maxime hujusce rei, ut fama erat, egentem locupletari volebant.* Quæ poſterior ratio minuit admirationem ſervilis militiæ, captivis prælatæ. Non enim tantum acriores eſſe ad acquirendam in nova libertate exiſtimationem, quàm ad recuperandam, amiſſa ſemel libertate, famam, crediderunt ſtimulos, quod antea allatum eſt: ſed hoſtem o- *Liv. 22.61.*

pibus firmare, intempeſtivum duxerunt. *Hiſtoricus*: *Aliam formam novi delectus inopia liberorum capitum ac neceſſitas dedit: octo millia juvenum validorum ex ſervitiis, prius ſciſcitantes ſingulos, vellentne militare, empta publice armaverunt. Hic miles magis placuit, quum pretio minore redimendi captivos copia fieret.*

Liv.22, 57.

In permutandis captivis, illa etiam deliberatio tenet, quoſnam cum quibus permutare fas ſit. Regulus *reddi captivos* (verba ſunt *Ciceronis*) *negavit eſſe utile*; *illos enim adoleſcentes eſſe & bonos duces, ſe jam confectum ſenectute.* Speraverant enim Carthaginienſes, ſe pro uno Regulo, vel omnes captivos eſſe recepturos, ut eſt apud *Dionem*. Erantque omnino pauci, quos de Romanis captivos tenebant, præ multitudine Carthaginenſium, qui in Romanorum poteſtate erant. Poteſt evenire, ut captivi numero quidem utrinque pares ſint: ſed impares reliquâ æſtimatione. Sit apud nos captivus tribunus aliquis, qui conſilio & audaciâ Duci mereatur comparari; qui multa noſtris damna dederit, & daturus credatur. An hunc ſtatim cum alio tribuno è noſtris captivo commutabimus? An veteranos hoſtium, cum tyronibus noſtris? & ſi qua diſſimilitudo alia incidit. Studioſe itaque cavetur, ne ad permutationem fere veniatur, donec aliqua æqualitas, cujus diligentes ſunt ratiocinatores, qui bellum tractant, videatur offerri. Et, dum una pars paucos, altera multos habet captivos, ſpes ipſa Martis communis, & eventuum belli, differt

3. offic. 27.

Exc. Legat. Fulu. Urſin. 9. Suid. v. Ρηγουλ.

differt conſilia redemptionis & permutationis.

Ponamus nunc unum & alterum exemplum ſeveritatis eximiæ in receptos captivos. Pyrrhum quosdam captivorum Romanis ſine pretio remiſiſſe, ante diximus. At Romani *decreverunt, ut ex iis, qui equo meruerant, peditum numero militarent; qui pedites fuerant, in funditorum auxilia tranſcriberentur: neve qui eorum, intra caſtra tenderet, neve locum extra aſſignatum, vallo aut foſſa cingeret, neve tentorium ex pellibus haberet: recurſum autem iis ad priſtinum militiæ ordinem propoſuerunt, ſi quis bina ſpolia ex hoſtibus tuliſſet.* Auctor tanti exempli Appius Claudius Cæcus fuit. *Hujus* enim ſententia (inquit *Frontinus,*) *Senatus eos, qui à Pyrrho Epirotarum rege capti, & poſtea remiſſi erant, equites ad peditem redegit, pedites ad levem armaturam, omnibus extra vallum juſſis tendere, donec bina hoſtium ſpolia ſinguli referrent.* Eadem ſcil. hæc diſciplinæ ſeveritas fuit, quæ adverſus Cannenſis prælii reliquias ſervata eſt apud *Livium* 23, 25. & 25, 5. & 6. & 7. cum tamen eorum, qui ex tanta clade profugiſſent, favorabilior cauſſa vulgo haberetur, quàm captivorum.

Val. Max. 9, 7, 15.

4, 1, 17. *ad. de l.* 1. §. 5. *ff. de poſtul.* *Eutrop. lib.* 2.

Plus rationis habuit, quæ fingitur *Demoſthenis rogatio in Declamationibus Quintiliani*: qua tulit, *ne illi, qui apud Chæroneam capti erant à Philippo, & gratis remiſſi, conſiliis publicis interſint.* Argumentis enim utitur à diſciplina militari deſumtis, & ab exempli adverſum ignavos ſtatuendi utilitate. Id unum forte non ſatis

339.

ſatis convenienter Rhetor cogitavit, quod ignaviam aliorum accuſans inducitur is, qui abjecto indecore clypeo turpem ex acie fugam conſciverat, quod de Demoſthene *Plutarchus* teſtatur; tum *Æſchinis* exprobratio. Sed ut opere Martio parum ſpectatus fuit Demoſthenes, ita conſilii cujuſque fortiſſimi primum ſe auctorem præbere ſolebat. Illatam autem Athenienſibus cladem apud Chæroneam, partim inſcientia Ducum, partim ignavia militum etiam ipſe victor Philippus Rex confeſſus eſt apud *Lucianum*. Et Lycurgus orator, apud *Gemiſtum Plethonem*, Lyſiclem ducem accuſatum ejus cladis nomine morte damnavit. Philippi quidem in captivis remittendis moderationem celebrat *Polybius*, calliditatem agnoſcit *Iuſtinus*: quam etiam in animo habuit *auctor declamationis* de qua hactenus loquimur, quæ ad rem geſtam, & conſilia Demoſthenis magis utique videtur congruere, quàm *Libanii* μελέτη quando ejuſmodi format conſultationem, quaſi poſt cladem Chæronenſem Philippus mille captivos (de duobus millibus ſc. aut 3000.) pollicitus ſit, ſi Demoſthenes ſibi dederetur; & Demoſthenes dedi voluerit, idque longa oratione perſuaſerit Athenienſibus. Sed *Latinus Rhetor*, cuſtodire τὸ εἰκὸς voluit; *Græcus* quæſivit novitatem actionis: *Ille* ad prudentiæ uſitatæ regulas exigi voluit ſuum inventum; *hic* vires ingenii in argumento inopinabili demonſtrare inſtituit. Præcipuus enim in hac tractatione ille locus eſt: an dedi pro utilitate civium

In vita Demoſt. *orat. contra Creſiph.* *Encomio Demoſth. tom. 1. p. 888.* *lib. 2. prope fin.* *lib. 5. p. 359.* *lib. 9. c. 4.* *Declam. 15.*

civium ceterorum aut civitatis, innocens civis poſſit. Quem ita tractat *Libanius*, vt nullo modo id licere, intelligi velit: & offerentis quidem ſe, voluntatem laudet, & ad gloriam insignem faciat; rationes autem, quæ tum quoque obſtent, conſpectiores cupiat haberi. Quia autem Demoſthenes auctor fuerat belli adverſus Philippum gerendi, inimici ejus poſt cladem Athenienſium, occaſionem nacti ſunt eum accuſandi, conſiliaq; ejus & ex prælio fugam exagitandi. Vt dubitandũ non ſit, ſuaſiſſe quosdam; Demoſthenem, conſilii, & propter ea cladis auctorem dedendum Philippo, ſicut poſtea Romæ Cæſaris adverſarii *nonnulli, dedendum eum hoſtibus cenſuerunt*, ut eſt apud *Suetonium*. Verum Demoſthenes non abſolutus modo, ſed ad rem publicam gerendam revocatus eſt: cum conſilium præclarum, aliorum culpa eventu caruiſſe, auctorique fraudi eſſe non debere, indicarent Athenienſes. Hinc auctoritas novæ rogationis, quam *Latinus Rhetor* formavit, hiſtoria nititur: eo quod ſuadendi rem tam arduam nec occaſio, nec animus, ſi reliqua ejus in rep. gerenda propoſita ſpectemus, Demoſtheni abeſſe potuerit. *Libanii*, ut non æque probabilis eſt, de voluntate ſe dedendi, inventio; ita laudem Demoſtheni paulo ambitioſius conquirit.

In Caſ. 24.

Plutarch. in Demoſt.

M. Seneca inducit talem controverſiam: *Lex nocte portas aperire in bello non liceat. Altera* lex: *Imperator in bello ſummam poteſtatem habeat. Thema: Trecenti ab hoſte captivi ad portas*

Excerp. 5. 7.

nocte venerunt. Imperator non aperuit. Ante portas occiſi ſunt. Imperator poſt victoriam reus eſt læſæ reipublicæ. Quæ pro Imperatore afferri poſſunt, non alia ſunt, quàm quibus odium captivis numeroſis conciliari, ante, cum hinc aliqua peteremus, diximus. niſi quod illud quoque magnam vim habet: de nocte portas ſine inſigni periculo, imminentibus hoſtibus, aperiri non poſſe, ob caſus varios, quos nox proſpici non patitur. Rectiſſime enim Imperator: *Nocte quomodo hoſtem civemq; diſtinguam? quam mihi dabitis notam, ut arma cognoſcam? Credo in inſidiis hoſtes fuiſſe, ut excluſos occiderent, ſequerentur admiſſos.* Tum, de intentato læſæ reip. crimine, non adeo videretur ardua reſponſio. Non enim quodvis ad rempubl. pertinens damnum, hac actione vindicatur. *Manifeſta ſtatim reip. damna ſunt, ſi muri diruti ſunt. ſi claſſis incenſa eſt, ſi exercitus amiſſus, ſi vectigalia diminuta.* ut eſt apud *eundem Rhetorem lib.* 5. *controv.* 33. Denique ſuccumberet, qui Imperatorem accuſaret, apud judicem juris & legum peritum, vel Romæ, vel alias apud gentes, ubi militia non eſt tumultuaria.

Ex omnibus, quæ hactenus dicta ſunt, nihil æque premit cauſſam captivorum, ac diſciplinæ ac legum militarium ſeveritas. Vt primum in has aliquid peccatum eſt, jam viliores erunt, qui ex occaſione aut cauſſa talis delicti, in captivitatem abducti ſunt: ſicut, qui in præmatura fuga, aut ordinibus deſertis capti ſunt. Eſt enim in inſtitutis militaribus Romanorum,

τὸ

τὸ μὴ φεύγειν, μηδὲ λείπειν τὰς τάξεις, *non fugere, neque ordines deſerere*, teſte *Polybio*. τὸ γὰρ πρόσ-μον παρ' αὐτοῖς, θάνατός ἐστι τῷ προειμένῳ τὸν τόπον, καὶ φυγόντι τὸ παράπαν ἐξ ἐφεδρείας. *nam apud eos capitale eſt loco deceſſiſſe, aut ſtationem fuga deſeruiſſe*. Sacramento militari ſcilicet jurabant milites, *ſeſe fugæ atque formidinis ergo non abituros, neque ex ordine receſſuros, niſi teli ſumendi, aut petendi, aut hoſtis feriendi, aut civis ſervandi cauſſa*. Neque Græcis alia mens, ſicut ex *Lyſiæ* actionibus τῆς λειποταξίου & ἀστρατείας, *deſerti ordinis, & detrectati muneris militaris*, apparet. Quibus affines ſunt ῥιψάσπιδες, οἱ ἐν τῷ πολέμῳ ὅπλα ῥίψαντες ὑπὸ φόβου, *qui arma per ignaviam & metum in prælio abjiciunt*. quos ſub proverbiali Cleonymi ſchemate κωμῳδεῖ *Ariſtophanes in Nubibus, & alibi*. Eidem Poëtæ, ἀσπιδαποβλὴς & ἀποβολιμαῖος τῶν ὅπλων, talis dicitur. De Romanis iterum vide *Polybium*, ἐάν τις ἀποῤῥίψῃ τι τῶν ὅπλων καὶ αὐτὸν τὸν κίνδυνον διὰ φόβον. *Si quis armorum quidpiam projecerit per metum in ipſo diſcrimine*.

lib.3.p.285. & l.1.p.17.

Liv. 22,38. Frontin. 4,1,4.

orat. 13. & 14.

Heſychius voce ῥίψασπις.

pag.81. lib.6.p.482.

Operæ pretium fecero, ut arbitror, ſi huc quaſdam culpas militares ex *Conſtantini* τοῦ πορφυρογεννήτου *Imp. Aug. Commentario de apparatu bellico*, unde ἀποσπασμάτιον quoddam, ſub nomine βιβλίου τακτικοῦ *ex Cod. Biblioth. Palat.* vitioſe admodum edidit præclariſſime de literis Græcis meritus *Joannes Meurſius*. Adferam autem ex *Codice mſc*. meliori & integro *Bibliotheca Auguſtana*, quo uti, per beneficium generoſorum Procerum licuit. Ἄν στρατιώτης εἰς

Ann. 1617.

καιρὸν

καιρὸν παρατάξεως καὶ πολέμου καταλίπῃ τὸ βάνδον, ἢ τὴν τάξιν αὐτοῦ, καὶ ἢ φύγῃ ἢ προπηδήσῃ ἀπὸ τοῦ τόπου αὐτοῦ, ἢ ἂν πέσῃ ἐχθρὸς καὶ ἐπάρῃ τὰ ἅρματα αὐτοῦ, ἢ καταδράμῃ εἰς ἐπιδίωξιν τῶν ἐχθρῶν, ἢ ἐμβῇ εἰς τοῦλδον, ἢ εἰς φοσσάτον ἐχθρῶν, κελεύομεν ἵνα τιμωρηθῇ κεφαλικῶς, καὶ πάντα ὅσα κερδήσει ἐκεῖθεν, ἵνα ἐπαίρωνται ἐξ αὐτοῦ, καὶ δίδωνται εἰς τὴν κοινότητα τοῦ τάγματος, διὰ τὸ παραλῦσαι αὐτὸν τὴν σύνταξιν, καὶ ἐπιβουλεῦσαι τοῖς ἑταίροις αὐτοῦ. Quæ ex Græcobarbaro ſermone latine ita reddideris: *Si miles tempore aciei & prælij reliquerit vexillum, aut ordinem ſuum; atque ſi fugerit vel proſilierit de loco ſuo, etiam cum cecidit hoſtis, & arma ejus ſuſtulerit, aut tranſcurrerit ad perſequendos hoſtes, aut in impedimenta caſtrave hoſtium tranſcenderit, jubemus eum capite plecti, & omnia, quæ inde lucratus retulerit, auferri ab ipſo, & ordini in commune tribui; eo quod ſolvit compoſitam aciem, & ſociis ſuis fraudem fecit.* Sequitur: ἂν εἰς καιρὸν δημοσίας παρατάξεως ἢ συμβολῆς πολέμου γένηται τροπὴ χωρὶς εὐλόγου τινὸς καὶ φανερᾶς αἰτίας, κελεύομεν ἵνα οἱ στρατιῶται τοῦ φυγόντος πρῶτον τάγματος, καὶ καταλιπόντος τὸ μέρος αὐτῶν, εἰς ὃ ἐτάχθησαν, χωρίζωνται τῶν δέκα εἷς, καὶ κατατοξεύωνται ὑπὸ τῶν λοιπῶν ταγμάτων, ὡς καταλύσαντες τὴν τάξιν, καὶ αἴτιοι τῆς τροπῆς γενόμενοι, ἐὰν δὲ συμβῇ τινὰς ἐξ αὐτῶν πληγωθῆναι εἰς αὐτὴν τὴν συμβολὴν τοῦ πολέμου, ἐκεῖνοι ἔστωσαν ἐλεύθεροι ἀπὸ τῆς τοιαύτης ποινῆς. *Si tempore publicæ aciei & congreſſionis prælij, fuga fiat citra probabilem & manifeſtam cauſſam, jubemus de militibus ejus ordinis, qui primum fugit, & locum, quem acceperat, deſeruit,*

deſeruit, decimum quemque ſelectum à cæteris ordinibus ſagittis configi, tanquam qui ſolverint aciem, & fugæ cauſſam præbuerint. Si autem ex his quoſdam contingat in eadem pugna aliis miſceri denuoque præliari, illi immunes ab hac pœna ſunto. Ἂν ἐπάρωσι οἱ ἐχθροὶ βάνδον χωρὶς εὐλόγου τινὸς καὶ φανερᾶς προφάσεως, κελεύομεν ἵνα οἱ φυλάσσοντες τὸ βάνδον τύπτωνται, καὶ γίνωνται ἔσχατοι παντελῶς, καὶ παρακάτω πάντων τῶν ὑποχειρίων αὐτῶν. ἂν ἢ συμβῇ τινὰς ἐξ αὐτῶν πολεμοῦντας πληγωθῆναι, οἱ τοιοῦτοι ἔστωσαν ἐλεύθεροι τούτου τοῦ ἐπιτιμίου. *Si hoſtes abſtulerint vexillum, ita ut probabilis & manifeſta cauſſa amiſſionis non appareat, præcipimus, cuſtodiæ vexilli appoſitos verberari, & omnino ad infimum locum redigi, ut ſint infra omnes qui ipſis ſuberant. Si vero quoſdam ex ipſis pugnantes ab hoſte contigerit pelli & convulnerari, ad illos non pertinebit hæc pœna.* Ἂν φοσσάτου ὄντος γένηται τροπὴ μέρους τινὸς ἢ παρατάξεως μιᾶς, καὶ οἱ τραπέντες οὐδὲ πρὸς τοὺς ἀκολουθοῦντας ὀπίσω βοηθοὺς προσδράμωσιν, οὔτε εἰς αὐτὸ τὸ στράτευμα καταφύγωσιν, ἀλλὰ περιφρονοῦντες εἰς ἕτερον τόπον προσδράμωσι, κελεύομεν τύπτεσθαι τοιούτους, ὡς περιφρονήσαντας τῶν ἰδίων φίλων. *Si in agmine, fiat fuga partis cujuſdam aut aciei unius, & illi, qui fugerint, neque ad inſequentia ſubſidia decurrerint, neque ad eundem exercitum ſe receperint, ſed his contemtis in alium locum ſe contulerint, eos jubemus verberibus affici, tanquam qui amicorum ſuorum auxilia deſpexerint.* Ἂν ῥίψῃ στρατιώτης τὰ οἰκεῖα ἅρματα εἰς τὸν πόλεμον, κελεύομεν τύπτεσθαι αὐτόν, ὡς γυμνώσαντα ἑαυτόν, καὶ τοὺς ἐχθροὺς ἐξοπλί-

ἐξοπλίσωνται. *Si miles arma ſua projecerit in prælio, verberari eum jubemus, ut qui ſe nudaverit, hoſtes vero armaverit.* Has, aliaſque de culpis ac pœnis militaribus leges (περὶ τῶν ἐπιτιμίων στρατιωτικῶν) prælegi jubebant, quando exercebantur milites, aut ſub ſignis ordinabantur, ſicut in *Commentario Conſtantini* amplius oſtenditur.

Ad noſtram autem rem hactenus iſta pertinent, quod, quicquid eſt ſeveritatis adverſus captivos uſurpatum, id ex militari illa diſciplina & legibus militaribus petitum eſt; hoc pacto: ut captivorum cauſſa non alio nomine potius odioſa haberetur, quàm quod ab iis commiſſum eſſet, quare non ſatisfeciſſe ſacramento & legibus militaribus exiſtimarentur.

l.B.3,21,24 Igitur, quando *Grotius*, non audet probare leges illas, *quæ captivos redimi vetant*, quales apud Romanos fuiſſe putat: non poſſunt aliæ leges oſtendi, quàm militares illæ, de quo genere hactenus loquimur. In quibus nunquam

Alia res eſt de lege Platonis, lib.5.de rep. ſcriptum arbitror, *ne captivi redimerentur.* Sed, quando capti erant milites Romani, deliberabatur, an ſe ita adhibuiſſent, ut poſtulant leges militiæ, adeoque redimi mererentur, nec ne? neque aliud volunt teſtimonia, quæ *Grotius* adducit. εἰθισμὸν, inquam, *morem à patribus*

Liv.22,60. *traditum*, ut appellat Torquatus, non legem oſtendunt. Quo more nimirum captivorum cauſſa ſerio examinabatur, quidque de illis ſtatuendum eſſet, inquirebatur. Ubi plerumque

rumque quidem pars reipublicæ utilior prævaluit, i. e. hoc loco, ſeverior. eo quod vix citra culpam militarem captivitas multorum accidere videtur. Aliud ergo eſt lex de non redimendis captivis, quam nullam oportet fuiſſe; aliud deliberatio de redimendis, redemtiſue aut receptis: tum conditio captivorum ex captivitate reverſorum, qua apud antiquos Romanos eos haberi, mos erat. de qua apud *Livium*: *illis arma tantum atque ordo militandi*: *lib. 25, c. 6.* *locusque in quo tenderent, in caſtris, eſt mutatus, quæ tamen, ſemel novatà reip. opera, & uno felici prælio recuperarunt.*

An autem ipſæ leges militares, totiuſque diſciplinæ ratio, juſto fuerint ſeverius conſtitutæ, alia fuerit diſputatio. In qua Romani ſe tuerentur evidenti utilitate publicâ: neque aliunde tot admirabiles victorias, tam numeroſos exercitus parva manu profligatos, adverſus immenſam vim ſuſtentatas vrbes, ereptam pæne ex interitu aliquotiens rempublicam repeterent. Scriptorum teſtimonia infinita ſunt; neque hîc cumulanda. Si inſtares; leges illas militares ſuo rigore efficere, ut nimium ſanguinis effundatur, ſi fugæ ac deditioni præcluſa ſit venia: reſponderent; fugam ac deditionem plura poſſe & majora mala in rempublicam, & in plures inferre. Si, pœnarum militarium conſuetudine, aliquos durius, & minus meritos involui, diceres; referrent illud non ſine ratione uſurpatum, ſi recte explicetur: *Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum,* *Tac. 14. A. 44.* *quod*

quod contra ſingulos, utilitate publica rependitur. Et certe, ſi belli gerendi jus in tuto conſtituimus, nihil æque ad exitum conſiliorum, quæ juſto quovis bello ſpectamus, valebit, quàm ſeveritas diſciplinæ. A qua tamen temperamentum omne abeſſe nequaquam volumus.

Ita in captivorum cauſſa, ut ad hanc redeamus, ambiguæ æſtimationi locum dedimus. Atque illis ipſis ad Cannas captis ignoſci non ſine ratione potuiſſet, & fortaſſe ignotum eſſet, id eſt pars humanior viciſſet: niſi ærarii ratio, tum locupletandi hoſtis metus, non levi rationum momento interceſſiſſent: ut vidimus. In illis, qui evaſerunt, temperamentum ſecuti ſunt Romani, non illud æquitatis, de qua cœpimus loqui, ſed artificii politici; ut Duci & patriciis prorſus venia daretur, omni rigore diſciplinæ in plebeia capita incumbente. Tentant hoc arcanum, reliquiæ Cannenſis cladis in Siciliam relegatæ, apud *Livium lib.* 25, *c.* 6.

Deducit nos hic locus, ad parem culpam, diverſi temporis. Capti fuerint aliqui, illo & iſto prælio, ejuſdem culpæ, quæ ultimo prælio captis impingitur, vel ſuſpecti vel comperti. Illos priores, redimendos duxit civitas. quidni & hos poſtremos? Sic ratiocinantur in cauſſa ſimili, apud *Livium*, milites. Satis ſpecioſe exaudiuntur iſta exempla. Sed non eſt nulla, quæ poſtremis adverſatur, petita ex prioribus ratio. novo enim exemplo opus eſt, ubi vetera nil proficiunt, aut malum, quod ſanare debebant,

lib. 25. c. 6.

bant, augent. Sic æquitas ſæpius fruſtra adhibita, ſeveritati locum & cauſſam facit.

Dubitatur aliquando in definienda fuga, cum culpa conjuncta: levioribuſque alii vocabulis appellant, quæ nonnulli ad graviora transferunt. Qui ex Cannenſi prælio fugerant, eos Senatus Rom. dixit, *commilitones ſuos pugnantes deſeruiſſe*; imo *rempublicam deſeruiſſe*. In primis in deditione, ea res quæſtioni eſt: an expectata neceſſitas ſit? qualis deſcribitur, ubi obſeſſi *ultima auſi paſſiq; cum omnia ſubſidia vitæ abeſſent, affectiſq; fame viribus, arma jam ſuſtinere nequirent, neceſſitatibus magis humanis, quàm armis victi ſunt.* An ſemper eouſque teneantur tolerare obſidionem? an tum quoque, ſi civium in urbe obſeſſa, & militum defenſorum diverſa jura, nec una utilitas? an præcipi hoc poſſit, aut debeat, ut ad famem non tantum veniant obſeſſi, ſed eam etiam, uſque ad defectum virium tolerent? Cumque quo diutius differtur deditio, eo duriores ſoleant dici à victoribus leges; defenſoreſque ſæpe cum loco in poteſtatem hoſtium veniant, qui paulo citius pacti poterant dimitti; illud quoque quæri ſolet, ſatiuſne fuerit deditione non quidem properata, ſed in tempore facta, ſe referre ad exercitum, quàm caſum captivitatis ſubire? Caſtris equidem & urbibus obſeſſis cum multa communia ſint, durior tamen caſtrorum, quàm urbium obſeſſarum ſors eſt. Ibi enim deditis certa captivitas: hic, præſidiariis ſæpe libertas pactione obvenit. Ponamus

Liv. 25. 7. *Frontin.* 4. 1, 44.

Liv. 22. 88.

exemplum arduæ diſputationis detracto nomine. Impoſiti defendendis munimentis præſidiarii, in mandatis acceperant, reſiſterent ſumma vi, atque ad ultimum propugnarent, donec ſubmitteretur auxilium. Hoſtis propius acceſſerat, expugnatiſque exterioribus, eo rem deduxerat, ut interiora impetu capere deſtinaret. Obſeſſos premebat inopia pulveris to mentarii; neque ad ſuſtinendam impreſſionem tam apparatam pares eſſe ſinebat. Qui præerat præſidio, rem hactenus ſumma ope diſſimulatam, tum civibus, quos defendere juſſus erat, tum præfectis ac centurionibus ſuis aperit. illi & ſuadent, & ſupplicant; remitteret obſeſſis ultimum caſum, deditioneq; excidium præverteret. Eo ipſo, quo deditio facta eſt, die, adventant auxilia, & par ſolvendæ obſidioni manus accurrit. ſero; quia tam pauxillo momento tardius. Dicebantur graves ſententiæ: & quamvis præfectus præſidii inuſitatæ ac ſingularis virtutis in illa concluſione ediderat ſpecimina, non perfunctorie notabatur, ob non expectatum ultimæ neceſſitatis articulum: cum defenſio munimentorum ad ſummam rei pertineret; cum tam diſtricta mandata accepiſſet; cum trahendæ ad dieculam rei artes non potuiſſent deeſſe: cum non civium conſiliis tali in metu, ſuis plerumque utilitatibus adverſantium, ſed ducis induſtria proviſuque metiendum fuiſſet negotium. Quis non videt, quàm multa pro præfecto militum dici contra poſſint? Quem moderatiſſimus

quiſ-

quiſque, ſi ſui arbitrii res ſit, malit abſolvere quàm condemnare.

Alius præſidium agitare juſſus, de annona & copiis præſidii vicinum ſublevaverit ſuorum exercitum: cujus fiducia nullam ſibi timendam obſidionem exiſtimabat. Hoſtis re comperta, ex inopinato munimenta circumſidere cœperit: neque depelli obſidione potuerit. Venerint denique in poteſtatem hoſtium, inopiâ, ea, quæ proviſis copiis ſervari potuiſſent. Dicet præſidio præfectus: an ſublevare non debui inopiàm & noſtrorum, & rogantium; imo mandantium? ſummus enim Dux totius exercitus erat, qui poſtulabat. Summam rempublicam, in eo verti aiebat: paulo poſt redditurum ſe copiàs profeſſus. Hoſtis alio verſus, nec ſuſtinere famam noſtri exercitus, nedum de obſidione cogitare videbatur. multum quoque induſtriæ meæ & laboribus tribuebam, in comparandis celeriter, quæ deerant. Deſtinata ſalubriter, præcipiti audacia hoſtium in contrarium verſa ſunt. Fortunàm accuſare fas eſt, conſilia hominum ludibrio habere ſolitam. Reſpondebitur: ſumma tibi lex, munimentorum, quæ commiſſa tibi ſunt, utilitas; contra quam nemo audiendus erat. Satius eſt offendere periculoſa poſtulantes, quàm demereri. Facilius copias parat, qui cum exercitu liber nec impeditus ambulat: quàm cujus paucitas munitionibus tegitur. Nihil accidit, quod prævideri non potuerit, non debuerit. Ultimum ignaviæ & ſtultitiæ humanæ

idemque iners præſidium, fortunam accuſare. Quantulo minus, quàm proditio erat, hoſti & oſtendere & aperire viam? Et quæ plura poſſent in hanc partem dici, quæ juſtioribus momentis invaleſcere videntur.

Conſiſtant in vicos tributæ: cohortes quædam, juſſæ exploratores diligenter dimittere, ſtationes diſponere, nihil de ſolicitudine excubiarum & vigiliarum remittere. Superveniat hoſtis, tribunos præfectoſque cum militibus capiat, poſtquam pars primo impetu cæſi ſint. Captivi ſuam fortunam tribuant iniquitati loci, ubi propter virgultorum perpetuam ſeriem & arbores multis locis enatas, non potuerit abunde proſpici: eamque cauſſam fuiſſe dicant, quod adventus hoſtium animadverti, niſi ſero, non potuerit. Reſponderet aliquis: non minus adiumento ſervantibus adventum hoſtium eſſe potuiſſe locum: ſi ars & induſtria acceſſiſſet. Quid? ſi exploratores celeritate hoſtium occupati, aut ad perfidiam pellecti non redierint? Serio examine diſcutietur, an in exploratoribus aliis poſt alios mittendis nihil prætermiſſum ſit: an illi ad explorandi officium adhibiti ſint ſociative, in quos non caderet perfidia? an fiduciâ exploratorum dimiſſorum, interim in ſtativis aliquid remiſſum aut neglectum fuerit? an in ſola exploratorum fide ſecuritas cohortium repoſita?

Dimiſſa fuerit (nam & hoc ſolet accidere): valida manus ad tentandas hoſtium vires, addito ſevero præcepto: ne pugnam capeſſat, aut hoſti

hoſti poteſtatem ſui ad juſtum certamen faciat. Interim favebat occaſio, arridebat victoria: & pæne jam in manibus erat. Sed hoſtis numero auctus, fiduciâ elatos profligat capitque. Plus eſt, quod accuſes, quàm quod excuſes. Imo, ut excuſes aliquid, humanæ conditionis fragilitas, & favoris aliunde nata ratio potius ſuadebit, quàm cauſſa & meritum.

Scimus, & illud accidiſſe, ut plures Duces ex diſcordia, aut æmulatu parum in commune conſulerent, eaque re cladem arceſſerent ſibi & captivitatem. Capti fuerint plerique, non eadem tamen culpa æſtimandi: imo unus & alter innoxii; quos audire ceteri detrectaverant. Sed finge in peccantibus, genus; in innoxiis virtutem eminere. An inde æqualis in utroſque favor? Non aſſeveraverim cito; neque tamen fieri poſſe, negaverim. Virtutem, ratio præhabet: fortuita, tempus attollit deprimitue. Et, ſi ſummus Dux temeritate peccavit ac inſcitiâ, ſunt, quæ eum ſperni in captivitate jubeant, cauſſæ. Romanis, ut ante dictum eſt, ſeveritas in milites; venia in Duces placuit. non eâ tantum ratione, quam explicavit *Machiavellus*; Sed quia Senatus, cujus auſpicio in utramq; partem diſciplina ſtabat, patriciorum eximiorum delicta abſcondi, aliorum oſtentari, inter artes politicas numerabat. *Diſp. lib.* 1. *cap.* 31.

Parum facilis deliberatio, an pro captivis redimendis urbes, munimenta, jura cedi tradique debeant? Quæ ratio aliis jungitur in

negotiatione pacis, à Stephano Poloniæ rege cum Moſcovitis inſtituta, ubi legatis Poloni-
lib. 6. de bell. Moſch. p. 423. cis, referente *Reinoldo Heidenſtenio*, mandatum *quia ante Moſchus poſtularat, ut utrinq; pariter captivi redderentur, non parum utrinq; captivorum rationem eſſe oſtenderent, cum in regis poteſtate præcipue ipſius ductores eſſent; illi ex Regiis inſigniorem nullum, ex Nobilitate paucos, reliquos ex promiſcua plebe haberent. Itaq; ut vel Savolotiam ac Nevclam, aut alterutram ſaltem earum, Regi pro illis permitteret, poſtularent: cum ante, integrioribus adhuc rebus ſuis, pro paucioribus captivis Vſuiatam ac Ieſeriſciam obtuliſſet, quarum hæc nondum tum in poteſtatem Regis veniſſet: vel, cum ipſe ante Sigiſmundi Auguſti temporibus certa pretia in ſingula capita exigere ſolitus fuiſſet, eodem exemplo ſuo ſuos nunc redimeret.* Miſſi in vicem Legati Moſcovitici, *ut de captivis utrinque per-*
pag. 423. *mutandis agerent, mandatum habebant: quod cum tenere non potuiſſent, ut in locum certum captivi comportarentur, redimendique eis poteſtas, quorum eſſent, fieret, impetrarunt.*

An, ſi aliter fieri nequeat, pace vel intempeſtivâ liberandi captivi, dubitatum conſtat. Verum hoc loco, omnia quæ pacem ſuadent, diſſuadentue, momenta concurrunt. Magna interim ſint captivorum nomina & merita oportet, quibus civitas hoc dare cupit, ut pacem ſuis rebus alienam faciat. Nam temporis cauſſa paciſci, abſque ſerio propoſito, inter ea non eſt, quæ probari debent. Parum etiam firmitatis in ejuſmodi pace ſperatur. Unde

cum

cum A.C. 1379. inter Ludovicum Flandr. Comitem & Gandenſes pax conveniſſet, *prudentiores, pacem non fore diuturnam ominantes, initam ab eo (quod verum erat) Nobilium liberandorum cauſſa, dixerunt.* apud *Pontum Heuterum.* nec feſellit eos augurium. *Rer. Burgund. lib. 2. cap. 8.*

Sed iſta fere utilitatibus reipublicæ reguntur. An autem jure fieri poſſit, ut innocentis civis deditione captivi redimantur; apud *Libanium,* ut ante diximus, quæritur: & à nobis alibi diſputatum eſt. *differt. de domin. emin.* Illud quoque juris dubitationem habet: an alia civitas, ad liberandos alterius civitatis cives ſibi cognatos aut amicos, bellum gerere poſſit? Si nimirum conditiones ſunt propoſitæ, quas vir prudens & æquus repudiandas eſſe negaverit. Putamus licere. neque enim jus in captivos quæſitum in infinitum patet, inter gentes non barbaras. Longe alia eſt hominum captivorum, præſertim illuſtrium; quàm rerum & locorum, ratio. Hinc urbes, regiones, provincias, pactione in manibus victoris in perpetuum relinqui, nihil novum; at civium captivorum corpora, commercio tali ſubjici, aut pactionis formula prodi, inauditum eſt. ſi præſertim diſſimulationis neceſſitatem, à pactione ſolenni diſtinguas.

Ceterum in cauſſa captivorum militum vel deliberanda, vel æſtimanda, favorem odiumve augent aut minuunt. ambigendique ac definiendi momenta non uno modo diſpenſant, *primo* quidem genius populorum, ac nationum;

deinde mores, inſtituta, leges civitatum: quo etiam pertinent rationes adminiſtrandæ reipublicæ, quatenus vel ad famam, decus ac honeſtatem, præcipua rerum diriguntur, vel prima in omnibus utilitatis ratio, ſæpe & ſola habetur, quando item ibi ad militiam, hic ad œconomiam pleraque referuntur: *tertio*, propoſita, conſilia, habituſque animorum apud eos, qui rempublicam tractant: *deniq;* temporum fortunæque commutationes, caſus, conditiones. Quod enim genere ſæpe odioſum aut favorabile eſt, rerum temporibus in contrarium demutatur.

pag.2. Sed nos quidem, quæ de *captivo milite* conſtitueramus annotare, abſolvimus. Qui volent hunc philoſophiæ locum implere, illis hæc fere quærenda ſupererunt: *De captivitate Illuſtrium, multa ſcorſum conſiderantur: præſertim ſummorum Principum. In capiendis militibus, videndum qui ex cauſſa militiæ capi poſſint? e.g. an legati, ſi quid præter mandata, in ſe admiſerunt? An Dux hoſtium ſummus, aut ſummo minor, interpoſita fide ad colloquium invitatus; ſi inter colloquium nova & diverſa his, quæ voce literiſq; prætulerat, conſilia hoſtilia comperiantur?* Ubi multæ diſquiſitionis exemplum occurrit incomparabile Ludovici XI. Gall. Reg. quem Carolus Pugnax eo modo cepit; inſtitutiſque conſultationibus cordatiorem ſecutus ſententiam dimiſit. *An ſimulatione congreſſuum, colloquiorumve hoſtem intercipere fas ſit; De ambiguitate verborum aut ſcripturæ, illiciendis, obtentu ſatisfactio-*

Pont. Heuter, rer. Burgund. lib. 5. c. 4. Phil. Cominæ. lib. 2. & 3.

factionis, in captivitatem hoſtibus. An captivos illuſtres paſſim circumducere & oſtentui habere, prudentis juſtiq; victoris ſit? Quæ quidem triumphi continuatio eſſet. De ipſis triumphi ſpectaculis. De cuſtodiæ variis generibus: liberali præſertim & illiberali, tum in ſe; tum pro gradu militiæ cujuſq; captivorum. De vinculis. Quæ retinendi & quouſq; per juſtitiam internam poteſtas. De victu captivis maligne aut ſecus præbito. An in rerum neceſſariarum inopia, captivi potius dimittendi, quàm fame enecandi, aut cadaveribus humanis obſcœniſve cibis paſcendi? De iis, qui captivis inſervire aut officium præſtare cupiunt, admittendis aut recuſandis. De religionis libertate & officiis pietatis apud captivos non impediendis. Quid ſentiendum de iis, qui captivos confictis varie fabulis deludunt; omniaq; à veritate aliena illis ingerunt? De metu captivis incuſſo ad ſecreta prodenda, ad promittendum. De illecebris captivo adhibitis, ut in ſtudia partium ſecreto trahatur. De jurejurando à captivis, ſuper ſecreta pactione exacto. De veneno captivis dato, aut infirmata captivorum valetudine. De retractis ex fuga: & vinculis aggravatis. Quæ poſſit excogitari menſura æſtimando redemtionis pretio, juſtitiæ convenientiſſima, præſertim in captivis illuſtribus. De legatis captivorum redimendorum cauſſa miſſis. De arbitris, & deprecatoribus. De rationibus ſuadendi ac diſſuadendi dimiſſionem captivorum. De conſiliis eorum, qui gratis dimiſerunt captivos, vel apppellati de ea re, vel non appellati. De impenſis in alimoniam & veſtitum captivorum factis. De his, qui humanita-

manitate in captivos, aut duritia in eoſdem; fortunam vel conciliarunt ſibi, vel alienarunt. De raris & admirandis circa captivos caſibus. De jure in transfugas, proditores, facinoroſos, bello captos. De dimiſſorum captivorum apud ſuos privilegiis; poſtliminio, aliiſq; favoribus. De captis bello civili, cum provinciæ, & pares inter ſe confligunt. De captis bello civili, quod inter Regem & Regi ſubditos; ſive imperantes & parentes geritur. De captis bello civili inter conſortes Imperij, cum involanti in partem non ſuam, aut ad ſe ſolum trahenti communia jura, arma opponuntur. De notabilibus quibuſdam rebus, quæ captivitatem conſequi viſæ ſunt, in ingenio, moribus, fortuna hominum. Nam de jure occidendi captivos deditoſve, ac temperamento illius juris, *Grotius* egit. Atque hæc hactenus.

DISSERTATIO V.

ad Grotij lib. 3. *c.* 11. *n.* 8.

QUIES IN TURBIS.

Sive,

Societatis bellicæ declinatio.

INter bella & diſcordias aliorum quieſcere, medioſque ſe & neutrius partis præſtare, nunquam fere defuerunt, qui cupide, quanquam haud raro fruſtra, expeterent. Eam ſi quis *ſuaſoriam* veluti in locum communem conjiceret, arduæ in utramque partem deliberationis momenta, tum aliis modis, tum ita partiri

partiri licebit: ut, quibus cauſſis optari quærique ſocietatis bellicæ declinatio; quibus item refutari, & ab iis, unde petitur, denegari ſoleat, exemplis omnis ævi inſignioribus demonſtretur. Verum, de tractata aliis quæſtione, nos pauca, hac vice, Academici colloquii inſtruendi ergo, carptim attingemus.

Iam primum, ipſa belli deteſtatio, & pacis amor, virtutis & juſtitiæ commendationem habere videtur. Quo nomine *Tacitus* Chaucos veteres laudat, *qui, magnitudinem ſuam malebant juſtitia tueri: ſine cupiditate, ſine impotentia, quieti ſecretique, nulla provocantes bella*: & mox, *quieſcentibus eandem famam*, quæ bello & armis, veluti ſpecioſius quæri ſolet, aſſignat. In primis æquiſſima cogitatio eorum cenſeri debet, qui à bello civili, ac inteſtinis diſſidiis plurimum abhorrent. Quippe *arma civilia neq; parari neq; haberi bonas per artes* poſſunt. Hinc Attici non moderatio magis, quàm prudentia, præcipuis laudibus fertur, qui *civilibus ſe fluctibus nunquam commiſit, quod non magis eos in ſua poteſtate exiſtimabat eſſe, qui ſe iis dediſſent, quàm qui maritimis.* Quare Domitii ſententia, atrocior, ut erat, omnibus viſa eſt, cum bello civili, *conſultante Cn. Pompeio de mediis ac neutram partem ſequentibus, ſolus cenſuit, hoſtium numero habendos.* Longe autem & humanius & ſapientius Iulius Cæſar, *denuntiante Pompeio, pro hoſtibus ſe habiturum, qui Reipublicæ defuiſſent: ipſe medios & neutrius partis, ſuorum ſibi numero futuros pronunciavit.*

Germ. 35.
Tac. 1. A. 9.
Corn. Nep. Att. 6.
Suet. Ner. 2.
Id. Jul. 75

Nam

Nam quod Solonis legem vulgo jactare ſolent, *Gellio* laudatam, in ea plus admiratio viri, quàm prudentia, momenti facere videtur. Licet enim *non ad augendam, ſed ad deſinendam, ſeditionem* pertinere putetur eorum propoſitum, qui in partes diſcedunt, ut majore auctoritate, ſuas quiſque partes mitificet, & ad utrarumq; concordiam tutius viam muniat: optari tamen ſæpius, quàm ſperari poteſt is eventus, in licentia multitudinis ad moderata conſilia ſurdæ, ad audacia præcipitis. Meliuſque talia fieri poſſe per medios & neutrius partis, *Plutarchus*, contra legem Solonis, diſputat. Habuit arduæ diſputationis exemplum hiſtoria ſuperioris ſæculi: quando, agreſtibus paſſim tumultuantibus, equeſtris dignitatis vir, non ignoti nominis, in partibus ſeditioſorum ſe non voluntate ſed neceſſitate ſtetiſſe, multaque eorum conſilia in melius flexiſſe, cauſſatus, defenſionem tamen ipſe ſuam, repetito partium malarum ſtudio deſtruere poſtea viſus eſt. In lege porro Solonis, ego probe diſtinxerim ſeditionem & tumultum, à bello civili. Hic enim conſultatione, & mediis conſiliis locus eſſe poteſt: ibi veluti torrente abripi pleroſque neceſſe eſt. Itaq; conſilium Spurinnæ *Gruteri* diſſertatione laudatum eſt; de quo *Tacitus*: *Fit temeritatis alienæ comes Spurinna, primo coactus, mox vel ſimulans, quo plus auctoritatis ineſſet conſiliis, ſi ſeditio miteſceret.* Sicut autem, ducem ſe & auctorem præbere bello civili, ſi ullo modo res abſque inteſtinis armis confici poſſit, aut

præcept. ger. reip. p. 824.

Petr. Gnodal. Ruſtic. Tumult. l. 1. ſ. & lib. 4. p. 1083.

Epiſt. 104.

citra

citra defenſionis neceſſitatem, nemo cordatus vir cupiat: ita ſuſcepto jam bello, optimorum multos involui, nihil mirum eſt: rara felicitate temporum conſiliorumque, ubi tuto quieſcere liceat. Cato quoque ille, quem *Seneca* dicit, *aliis ad Cæſarem inclinantibus, aliis ad Pompeium, ſolum feciſſe aliquas & Reipublicæ partes,* licet de utriſque partibus bello colliſis, parum præclare ſentiret, & victore Cæſare mori; Pompeio exulare deſtinaſſet; interim tamen bellum elegit. *Epiſt.* 184.

Miſcentur interdum bella, ſicut de Cæſaris Pompeiique armis *Florus* judicat, *non recte civile tantum id dici bellum; ac ne ſociale quidem; ſed potius commune quoddam ex omnibus, & plus quam bellum.* Quod cum uſu venit, ſtudio quietis excuti, etiam pacatiſſimas mentes videmus. Quid enim tutum ſibi inter arma undique circumjecta & eminentia ſperaverint? Neutras partes ſequantur? non minuent belli pericula, ſed augebunt, & utriſque prædæ ac direptui erunt. 4, 2, 4.

Niſi quod tum quoque quieſcere ſua quoſdam infirmitas jubet. Si enim nullum poſſunt momentum facere, vel ad ſe tuendos, vel ad alios juvandos, ſed expoſiti ſunt cujuſvis occupantis viribus, rectius aliquis dixerit & conſultius eſſe, expectare quàm irritare fortunam. Quanquam ne ſic quidem pericula partium licebit ſemper effugere. Quid ſi enim una pars occupaverit talem civitatem gentemue, ejuſque vel invitæ operâ adverſus hoſtem uti cœperit?

cœperit? *Sequi videbuntur, quia prohibere non*
7, 6, 24. *poterunt*; ſicut Maracandanis apud *Curtium* accidit: & Athenienſibus apud *Velleium*, qui *cum*
2, 23, 5. *ab inimicis tenerentur, oppugnabantur ab amicis; & animos extra mœnia; corpora neceſſitati ſervientes, intra muros habebant.* Sed nimirum hi videntur in partibus eſſe, quantum ad fortunam attinet: vera autem æſtimatione, medii & partium ſtudio vacui habendi ſunt, id quod exemplis pluribus docet *Hugo Grotius*.

I. B. 3. 11, 3. & *in annotatis.* Quibuſdam ſumma ratio, quæ pro neceſſitate eſt, ſuadet, ut quieſcant: & locus ipſe favet, ut facultatem quieſcendi impetrent. Finge enim, ita ſitos eſſe quoſdam, ut ſtare eos, nec perdi, utriuſque partis bellantium interſit: neque tam cito in partes alteras cogi poſſe, quin ab alteris etiam non vocatis ſubleventur: dum utrinque ſumma conſilii in eo verſatur, ne pars adverſa ſocietate & poſſeſſione eorum potiatur. Vel ideo quietem cupient, ne tota & varie diſperſa lis, in unum locum ita incumbat, ut veluti ſola & una belli materia ac merces, inter pertinaces affectantium & diſtrahentium manus peritura videatur. Veri eſt ſimile, partes bellantes malle quietem concedere iis locis, quorum quietam poſſeſſionem ſperare nullo modo poſſunt, quàm evertere velle diſtrahendo in partes, quorum ſtantium, vel opinione, vel opera uti aliquâ liceret. Vident enim non calliditate aliqua, aut artificioſis conſiliis quietem affectari, ſed ſinceris propoſitis, & cauſſis neceſſariis ſocietatem bellicam de-

cli nari

clinari. Atque ubi una pars acquievit his propoſitis, deſperari non debet, quin altera quoque idem ſit factura. Niſi forte in bello alterâ parte fractâ, reliqua invaleſcat vehementius, omnique terroris inſtrumento quietis conſiliis abſtrahere medios illos inſtituat. Ibi tum, quid valeant humeri, quid ferre recuſent, ſerio penſandum; &, quantum fieri poteſt, tarde ac cunctanter à deſtinata quiete recedendum: ſi forte Deus interim & fortuna negotium gerat, neceſſitatiſque imminentis nexus exſolvat. Subeſt ſæpe periculum ſervitutis, ut primum à quiete receditur. Quo nomine laudat prudentiam eorum, qui provido metu, partes ſuſcipere noluerunt, is, qui de *Miniſteriis Cardinalis Richelij* ſcripſit. *lib. 11. c. 3.*

Qui tam bonis ac neceſſariis conſiliis ducti, ſocietatem bellicam declinant, an jure cogi poſſint, ut partibus accedant, quærendum eſt. Facit hanc quæſtionem neceſſariam genius temporum. Non audivimus modo, ſed vidimus, iracunde denegatam juſte petentibus quietem. Quaſi hic eſſet vulgo ſenſus bellantium, ſi vires cogendi in partes adſint, de jure non dubitandum eſſe. Quem morem ſapientia melior ultro refutat. Demtis enim pactionis & fidei vinculis, armorum ſocietatem exigentibus, jure naturæ & gentium liberum eſſe cuique debet, armis aliorum abſtinere, & inter diſſidia externorum quieſcere. Fœdera, etiam bellica, ſua natura libertatis ſunt & conſilii; non neceſſitatis & præcepti. Et

quàm

quàm iniqua ratio eſt; noluiſti ſocius eſſe, ergo hoſtem me ſenties, etiamſi hoſtem meum non adjuveris; etiamſi ab omni ſtudio partium te continere volueris?

Inviſi quidem fere ſunt bellantibus medii, tanquam vel ignavi, vel callidi. Nam & cautioni prudentiæque vix meliora imponunt nomina. ſed non ſemper iſta poſſunt ad liquidum deduci: neque ſecreta mentium, ſuſpicioni fas eſt penetrare. Et vel ſic ad conſilii quæſtionem, potius referentur pleraque, quàm ad jus infeſtandi quietos. Itaque via illa media, ſicut amicos non parat, nec de inimicis dubitat: ita hoſtes poteſt merito deprecari.

Arſac. ap. Salluſt. lib. 4. Inter argumenta, quibus quietem diſſuadet, ſocietatem armorum petit, Mithridates hoc ponit: *Illi, quos ignavia aut prava calliditas, uti meis laboribus tuti eſſent, armis abſtinuit, acerbiſſimas pœnas ſolvunt.* Eſtque hæc ratio in primis valida ad infamandam quietem, & ad commendandam ſocietatem bellicam, ſed ut ſuaſoria, ubi adhuc locus eſt trutinæ prudentiæ: pluſne ſit, quod timetur ex quiete, an quod ex ſocietate armorum, detrimenti. Quod hic Mithridati non invalida demonſtratione poterat opponi: ſi quis, utili & præclaro labore, Arſacis nomine reſpondere velit, & ſocietatem armorum, tanto ambitu petitam declinare.

Poëtarum poſt Homerum princeps, inſignia duo poſuit quietis inter bella exempla: *Jovis* unum, alterum *Diomedis*. In Jovis exemplo intelligitur ſumma poteſtas & æqua voluntas quieſcentis in diſſidentes. Licet enim poſſet alterutri

utri parti accedendo ſtatim rem conficere, quia tamen utramque amavit, ad concordiam redigere eos maluit. id cum parum ſucceſſiſſet, non ſine doloris præfatione, neutras ſe partes adiuturum, & rem fortunæ commiſſurum profitetur:

Quæ cuique eſt fortuna hodie, quam quiſque ſecat ſpem, *Æneid.* 10.
Tros Rutuluſve fuat, nullo diſcrimine habebo.
———————*ſua cuique exorſa laborem*
Fortunamque ferent: rex Iupiter omnibus idem:
Fata viam invenient.

Non cepit οἰκονομίαν operis *Grammaticus*, cum annotat, *Iovem ſimulare ſtudium Iunonis, re vera autem à Trojanis ſtare.* Parum abeſt, quin perfidum Iovem faciat, qui ita ſentit: juraverat enim per Stygem. quod facere non poterat, ſine deterrimo flagitii genere, ſi aliud animo conſtitutum habuiſſet, quàm quod ore promſit. Pertinet ergo ad ἦθος carminis, ut Iupiter invitus quidem permittat bellantes fortunæ, ſed, quod proximum erat, ſine ſtudio partium, propter benevolentiam in utramque partem. Quæ etiam efficit, ut temporaria hæc eſſet quies, non perpetua. Poſtquam enim auctoritas quieſcentis non valuit, imperio tandem finem imponit diſſidiis, nec mollia juſſa loquitur:

Vlterius tentare veto. *Æneid.* 12.

An id facere poteſt, cuicunque ad faciendum vires adſunt? Nam quin facere poſſit, cui imperium eſt in diſſidentes, dubio caret. An idem citra jus imperii liceat, quæritur. Ita pu-

lib. 2. c. 50. tat quidem *Velleius*, *Principalibus armis eos ſe debere interponere, qui non parentem coërcere poſſunt.* Et putarunt ſibi licere Rhodii (quanquam infeliciter) apud *Livium lib.* 44. *c.* 14. Neque fere dubitant hodie. ſicut vel nuperis exemplis conſtat. Equidem favor pacis tantum apud multos poteſt, ut de plano pronuntient, & utilitate illa publica, quæ pacis comes eſt, rependi autument, quicquid minus probum ineſſe in vi tali videatur. Sed accurate inſpicientibus, alia animo ſententia ſurgat oportet. Primo enim, inter ea eſt, quæ fieri non poſſunt, ſi quis potentior dicat bellantibus, non ſubditis ſibi: *conquieſcite ſtatim, & pacem agitate, aut vim utrique veſtrum adhibebo.* Multa ſunt, quibus indiget pax diſcuſſis confectiſque. Neque Alexandri gladius ad nodum hunc Gordium ſolvendum idoneus eſt. Quid ſi ergo aliam viam inſiſtas, & ita agas? *pacem facite rationi & æquitati conſentaneam*; *aut vim expectet, quicunque juſtas conditiones repudiat.* Tolerari forte apud indulgentiores interpretes poſſes, ſi intra minas ſubſiſtis. Si revera vim expedis, quis te judicem conſtituit eorum, qui nullum habent, præter Deum? Hæc ipſa eſt, quæ Iani templum aperit, porta; ubi nulla judicis copia, nulla judiciorum poteſtas litibus dirimendis ſupereſt. Quærenda ergo eſt nova ratio, ſi dicas: *Veſtra diſſidia meis utilitatibus intercedunt, multiſque meam rempublicam & magnis detrimentis afficiunt. Hinc jus meum eſt, revocare vos à diſſidio, & ſi ſequi non vultis,*

vultis, *trahere*. Reſpondebunt: nulla ratio juvat, jus ſuum in alieni juris diminutione collocantem. Nos, ſuum quiſque jus armis perſequimur: tu obtentu juris tui nos vis impedire, quo minus conſequamur jus noſtrum. Si noſtri juris diſceptatione tua læduntur commoda, nullo id noſtro conſilio, adeoq; nec noſtra culpa fit; qui utilitatibus tuis nec invidemus, nec intercedimus. Vbi peſtis, & fames viciniam tuam populatur, commoda tua minuuntur variis modis. Sed non potes intendere litem vicinis, quorum malis, præter ipſorum mentem, tu affligeris. Ita fatum eſt, ut cum vicinis, aliquid patiendum ſit. Tuis quoque malis turbabuntur vicini: quos tibi exinde merito iraſci, utique negabis. Alia quercus excutienda venit. Audio enim quoſdam dicere: *Qui ſpernit auctoritatem, pacem ſuadentis, & æquas iuſtaſque conditiones reiicit; is & juſtitiam lædit, & juſtitiæ patronum: hacque ipſa injuriâ, arma adverſus ſe ſuppeditat, vim adhibituro.* Verum non omnis offenſio, bello cauſſam præſtat idoneam. Quid? ſi de offenſione res ambigua eſt. non offendi te, inquient, quando tuis conſiliis non potui, ut optabam, obſequi. Non ſprevi auctoritatem tuam, ſi tuis monitis mea commoda antepoſui. Ne id quidem recte à te dicitur, quod juſtas æquaſq; conditiones repudiaverim: iniquas credidi, & adhuc credo, quas tu æquas dicis. Quiſque habet ſuum iudicium. Fac, me juſta non admiſiſſe. Superior ſit jure & imperio neceſſe eſt, non robore *Grot. I. B. 2, 24, 1.*

& viribus, qui juſta negantes, juſte ulciſcitur, ut ante dictum eſt. Quare ad ſpecioſius prætextum confugiendum erit; quod in hunc modum ornari video: *Sancta eſt, & communi vinculo pacis nexa humanarum inter ſe gentium ſocietas*; *quam violant ac diſſoluunt, quicunq; belligerantur. in violatores porro rei tam publicæ, tam ſanctæ, quivis Princeps, quævis civitas, optimo jure miles eſt: ſi ceſſant emendare, quod peccarunt, id eſt, pacem componere.* Honeſta oratio, unde conficias, cogi poſſe ad pacem bellantes: ſi jus illud ſociale, quo humanum genus continetur, unquam tibi ſervandum ex animo ſtatuiſſes. Iubet te idem jus, ſuccurrere infirmitatibus, incommodis, neceſſitatibus cujuſque gentis, iiſque ſublevandis cognatam manum commodare. an hæc te unquam cura ſolicitavit? Sed fingamus omnino (aſſeverare enim non poſſumus) jus illud, quod ex humano genere unam civitatem facere debet, obtinere: non aliter utique exerceri poterit, quàm per modum judicii, ſicut inter cives unius civitatis. qui cum litigant, ad concordiam quidem & pacem rediguntur, non impetu & vi mera imperii. ſed ſpectato jure partium; ob quod illi aliquid adimitur, huic additur. Jam ergo, ſi placet, progredere extra civitates ſingulas, & vide, an ex orbe toto Rempublicam Platonis, aut Thomæ Mori Utopiam poſſis concinnare. Non opus habebis vate, qui de ſucceſſu te ſubmoneat. Illud autem certo, niſi hoc effeceris, futurum eſt, ut malum malo ſanare videaris velle. Nondum

dum luſciniæ ſua deeſt cantio. Dictutum enim te puto, *non bellum tibi propoſitum eſſe, & vim infeſtam, dum cogere ad pacem faciendam bellantes, contendis; oſtentationem hanc armorum eſſe, non noxam. eſſe quandam vim ſalutarem & amicam, non hoſtilem. Favere interdum occaſionem, ut manus quodammodo ligentur plus valentibus, aut utriſque, ne concurrere infeſtis amplius viribus queant: ſicut cum pugnaturi manum validior aliquis continet, neque tamen ultra retento nocet, aut vim infert.* Minus erit, fateor, res ſermonibus & invidiæ obnoxia, ſi hactenus intervenis armatus armatis. ut ad fundendum cum & pro altera parte alterius ſanguinem non procedas. Ea enim medicina excederet modum, neque probis rationibus ſe tueri poſſet. Sed qui juſto pioque bello jus ſuum ſe exiſtimat perſequi, iniquum putabit eum, qui ad pacem aliis inde, quàm pacatis modis velit abſtrahere. Ita dum bellum finitur unum, novis aliis ſemina poſſunt ſpargi, & viæ præparari. Verum de his rebus fere ex eventu judicant homines, bonaque aut mala dicunt, prout feliciter fecuſve ſucceſſiſſe animadvertunt.

Diomedis exemplum, apud Poëtam inprimis nobile eſt, prudentia & expoſitione rerum. *Æneid. 11.* Diomedem opibus & auctoritate rerum geſtarum inſignem, Latinus in Societatem belli ſolicitaverat, metu communis periculi, ſi Æneas in Latio invaleſceret. Negaturus, quod petebatur, Diomedes primo ſibi conſulit, deinde & Latino: atque adeo pro viro prudente &

amico ſe gerit. Ne huic bello immiſceri velit. ſuarum utilitatum reſpectu; imo religione (id enim potentius momentum ad ornandum & firmandum hunc locum aſſumitur) prohiberi ſe, ait: cum ſtrenuis bello ac felicibus, certamen inire, parum conſultum eſſe, præſertim poſt tolerata belli damna, & triſtem dubiæ fortunæ experientiam: fatis invictos videri, qui nec impune unquam violari, neque excidio deleri potuerint; non prudentiæ modo, ſed pietatis partem eſſe, fatis Æneam ornantibus cedere. Dixit, cur ipſe ſocius eſſe belli talis nolit: nunc pro auxiliis conſilium dat; & pacem cum Ænea jungendam amice & graviter ſuadet. quid enim pace beatius? quæ bello infeliciter mutatur:

O fortunatæ gentes, Saturnia regna,
Antiqui Auſonii, quæ vos fortuna quietos
Sollicitat, ſuadetq́; ignota laceſſere bella?

Melioris eſſe conſilii oſtendit, non modo admittere pacem, ſed vel petere, imo emere, conditionibus etiam non plane optabilibus.

Munera qui patriis ad me portaſtis ab oris,
Vertite ad Æneam.
—— Coëant in fœdera dextræ,
Qua datur: aſt armis concurrant arma cavete.

Magnifica & ſplendida hæc quies, quæ alienæ quieti ſtudet; conſilioq; & candore plus quàm armis & ferocia amicos juvat. Quare Latinus Rex, ut erat moderatus & prudens, obſequi conſilio deſtinat: niſi Turnus obturbaſſet. in quo hoc ipſum omen & pignus imminentis

tis fati fuit, conſilii tam probi averſatio. Sicut autem in priore Iovis exemplo, de poteſtate ejus, qui ſocius armorum aut litis particeps eſſe abnuit, quæri poterat: ita hic locum auctoritatis in hoc argumento miro Poëtæ ingenio videmus tractari.

Callidæ quietis, & in turbas erupturæ ſpecimen eſt in Philippi Macedoniæ Regis conſiliis bello Punico ſecundo. *In hanc enim dimicationem duorum opulentiſſimorum in terris populorum, omnes reges genteſq; animos intenderant,* inquit *Livius.* *inter quos Philippus Macedonum Rex, eo magis, quod propior Italiæ ac mari tantum Ionio diſcretus erat.* Lætus ille hoc bello (primum id animi male quieturi argumentum fuit) ſed utrius populi mallet victoriam eſſe fluctuans, poſtquam tertia clade Romani affecti ſunt, ad fortunam inclinavit; & per legatos Hannibalis partes amplexus eſt eo fœdere, cujus formulam *Polybius* nobis conſervavit. Specioſa ſane ſunt vocabula, quæ apud Trogum Pompeium Philippus, finiendo cum Ætolis bello, præfert. Sed Hiſtoricus notat artem: *Hoc prætextu,* inquit, *finito cum Ætolis bello, nihil aliud, quàm Pœnorum Romanorumque bella reſpiciens, ſingulorum vires perpendebat.* Quamvis autem, ut dictum eſt, fortunæ acceſſit, & potentiores ſibi viſus eſt amplecti partes, tamen ratio eum fugit, & eventus deſtituit: ut ad pacem male relictam, tanquam ad ſacram anchoram confugere adigeretur.

lib.23.c.33.

lib.7.

Iuſtin.29.3.

Livii locum imitatus eſt in ſimili exemplo
4, 1, 38. *Curtius*: *Magnitudo belli*, inquit, *quod ab opulentiſſimis Europæ Aſiaque regibus* (Alexandro & Dario) *in ſpem totius orbis occupandi gerebatur*; *Græciæ quoque & Cretæ arma commoverat.* Erant Græci hoc tempore, animo & fide ambigui, & fortunam ſpeculabantur: illâ duce partes electuri, ſuiſque utilitatibus occaſiones captaturi. Notat illum animorum habitum & temporaria
4, 5, 11. ingenia, ipſe hic *Hiſtoricus*, quando decretum in *conſilio Græcorum* memorat, *ut duodecim legarentur ad Regem* (Alexandrum) *qui ob res pro ſalute Græciæ ac libertate geſtas, coronam auream donum victoriæ ferrent.* Addit enim: *Iidem paulo ante incerta famæ captaverant auram, ut quocunque pendentes animos tuliſſet fortuna, ſequerentur.* Igitur multi Græcorum in Caſtris Darii militabant: cum videri interim vellent, nullo publi-
Curt. 3, 13, 15. 4, 1, 39, & 40. co conſilio id feciſſe. Spartani vero, Macedonicæ potentiæ æmuli, non per legatos tantum cum Dario conſilia conferebant, ſed contractis, qui ex Cilicia profugi domos repetierant Græcis, *bellum Antipatro Macedoniæ Præfecto moliebantur.* *Cretenſes*, utut infirmi, pacis odio, & turbarum amore, *has aut illas partes ſecuti, nunc Spartanorum, nunc Macedonum præſidiis occupabantur.* Abfuit his quoque conſiliis callidioribus fortuna; multatique ſunt belli malis,
Curt. 6, 1, 16. qui quietem pati non poterant. *Victoria* enim Antipatri *non Spartam modo, ſociosq; ejus; ſed etiam omnes, qui fortunam belli ſpectaverant, fregit.*

Quid

Quid de Achæorum conſilio dicemus? Societatem belli cum Philippo Macedonum rege firmaverant. Romani, ut deſtituto Philippo ſuam ſocietatem induerent, petebant. Philippus à ſociis hoc tantum petebat, ut quieſcerent. *Philippus*, inquit Achæorum prætor, *ſocietatis ſecum admonet & juriſiurandi: non poſtulat, ut ſecum ſtemus, modo ne interſimus armis, contentum ait ſe eſſe. Nulline venit in mentem, cur qui nondum ſocii ſunt, plus petunt, quàm ſocius?* Exaggerat poſtea Romanorum vires, Philippi infirmitatem: Et ſubinde ad ſuos ita perorat: *Nam quod* Philippi legatus *modo, tanquam mediam & tutiſſimam vobis viam conſilii ut quieſceretis, abſtineretiſque armis oſtendebat: ea non media, ſed nulla via eſt. Etenim præterquam quod aut accipienda, aut aſpernanda vobis, Romana ſocietas eſt: quid aliud, quàm nuſquam gratia ſtabili, velut qui eventum expectaverimus, ut fortunæ applicaremus noſtra conſilia, præda victoris erimus?* Vicit quidem oratoris auctoritas, Achæoſque à Philippi ſocietate ad Romanos abſtraxit. Sed ego rectius ſenſiſſe contenderim, ſi qui Achæis quietem ſuaſiſſent. *Erant Achæi Macedonum beneficiis & veteribus & recentibus obligati*, quod *Hiſtoricus* ſedulo annotavit. Quas ex Philippi ingenio injurias metuere in poſterum poterant; in incerto erant, aliaque adverſus hos metus conſilia proponi videbantur: plena æquitatis erat Philippi oratio, ut quieſcerent, deſiderantis: neque Ariſtænus vera ac certa loquitur, cum dicit: *aut accipienda, aut aſpernanda vobis*

Liv. 32, 21.

Liv. 32, 19.

vobis Romana ſocietas eſt. Prorſus enim credi poteſt, Romanos, qui non niſi ex diſcordiis Achæorum in ſpem ſocietatis venerant, admiſſuros fuiſſe rationem juris manifeſtam, ſi dixiſſent: Macedonum in nos ſunt majora merita, quàm ut adverſus illos in acie conſiſtere fas putemus. abunde facimus, ſi deſinimus cum iis contra vos contendere; & neutras partes ſequimur. At enim, Romani, inquis, non tuliſſent Achæos iſta cauſſantes, ſed vim adhibuiſſent quieſcentibus. Potius exiſtimari poteſt, futurum fuiſſe, ut ferrent hæc Romani, & quieſcentibus abſtinendum judicarent. Illud utique certum eſt, non debuiſſe Achæos in re tam odioſa, ad ultimum exuendæ ſocietatis conſilium procurrere ante, quàm Romani quieſcentibus vim armatam intentaſſent. Ariſtæni enim oratio, utilitatis ſpecie nititur: juris rationibus haud æque intenta.

Si quis porro neutrarum ſe partium profitetur, bona fide debet id operam dare, ne quid faciat, quo alteri parti favere, alteram odiſſe, merito ſuo credatur. Non impediat hanc, illam ſublevet: non præſtet illi, quod iſti negat: ſed aut neutram, aut utramque, neceſſariis rebus

I. B. 3,17,3. ex æquo juvet. De qua re *Grotii* hæc eſt ſententia: *Eorum, qui à bello abſtinent, officium eſt, nihil facere, quo validior fiat is, qui improbam fovet cauſſam, aut quo juſtum bellum gerentis motus impediatur. In re vero dubia, æquos ſe prabere utriſque in permittendo tranſitu, in commeatu præbendo legionibus, in obſeſſis non ſublevandis.* Quod de

cauſſa

cauſſa habet, vix eſt, ut in uſum deduci poſſit. Qui neutrarum partium vult haberi, neutras debet juvare vel impedire; citra Cauſſæ æſtimationem, quæ non periculoſa modo, ſed impoſſibilis eſt, in hoc quidem genere. Hoc ipſum ſtudio partium dabitur, ſi hanc juſte, illam inique arma induiſſe judicabis. Sumendum eſt hoc loco quod alibi monet *Grotius*, juſtum bellum dici ſæpe non ex cauſſa, ſed ob peculiares quosdam juris effectus. Mediis juſtum utrinque bellum videri debet cui miſceri nolunt; aut utrinque injuſtum. Si injuſtum utrinque, aut ex altera parte iis videbitur, non jam medii exiſtimabuntur, qui partium unam, aut omnes damnare ſuſtinuerint. Relinquitur ergo, ut intra animum ſentiant aut judicent de injuſtitia belli, minime autem aperiant mentem, & ſignificent: niſi periculis partium velint involui. Unicus eſt modus, ſi quis dicat inter Chriſtianos: ego Chriſtianis nefas eſſe duco bellare; itaque neutris partibus adjungi poſſum. Verum id quoque inter ea eſt, quæ accidere, cum ſerio agitur, nequeunt. Nihil tutius igitur, ad quietis fidem, quàm ſeponi illam quæſtionem de jure bellantium, & quantum ad hoc propoſitum, juſtum bellum haberi, quod geritur. Mihi enim hactenus juſtum eſt, de quo dubitandum aut diſquirendum mihi eſſe non judico. Validior fiet is, qui improbam fovet cauſſam, ſi commeatus ei pretio ſuppeditaveris, ſi tranſitum dederis. Ergo hæc juſtum bellum gerenti præſtanda ſunt, id 3, 3, 1.

eſt,

eſt, alteri parti. Jam non eris medius, ſi uni præſtas, quod alteri negas: cum hæc jure exigant partes bellantes à mediis, ut utriſq; neges, aut utriſque annuas: neq; tibi eam relinquant libertatem judicandi de cauſſa, aut dubitandi. Jam de tranſitu permittendo diſpiciendum eſt:
I, B. 2,2,13. de quo *Grotius* etiam alibi agit. Ubi itidem diſtinctionem belli juſti,ac injuſti,mediis,ut tales ſunt, prodeſſe non poſſe exiſtimaverim. Potius autem diſcrimen in rebus ipſis quæſiverim. Sunt enim quædam ejus generis, ut medii utriſque partibus ea concedere debere videantur: aliorum diverſa eſt ratio, quæ rectius utriſque denegari poſſe dixeris. Prioris generis ſunt commeatus, & res neceſſariæ, ſine quibus ne vivi quidem poteſt: ad poſterius, tranſitum armatum retulerim: neque dubitaverim, naturam has res ita diſcernere, ut illic plus favoris, hic plus ad odium momenti repoſitum videatur. Sed, quid gentibus placuerit, aut hodie placeat, animadvertendum eſt. Conſtare autem inter omnes arbitror: neminem hodie reperiri, quin putet, pacatos medioſque utramque bellantium partem tranſitu armato jure prohibere poſſe; ſi quidem vim non metuant. id quod conſilii eſt, non juris. Ex altera parte non minus indubium eſt ac certum: neminem bellantium ambigere, quin tranſitum denegatum vi liceat aperire, armiſq; vindicare, aut aſtu penetrare. Hæc ſententiarum diverſitas nobis perſuadet, ut credamus, gentes quæſtionem juris mutua diſſimulatione

tranſ-

tranſmitti (niſi quod obtentui ſumuntur iſta, aut ſuaſoriis adhibentur) & ad pactiones deduci rem totam voluiſſe. Conventionibus certe & tranſactionibus, non juridicis diſceptationibus, omne petendi aut concedendi tranſitus negotium videmus confici. Agnoſcas eum, quem dixi hodie obtinere, animorum habitum, jam olim in Helvetiis & Cæſare. Illi enim, *Allobrogibus ſeſe perſuaſuros exiſtimabant, vel vi coacturos, ut per ſuos fines, eos ire paterentur*: Cæſar autem, *negat ſe more & exemplo populi Romani poſſe iter ulli per provinciam dare, & ſi vim facere conentur, prohibiturum oſtendit.* Ubi autem utraque pars æquam ſibi annuendi & abnuendi libertatem vindicat, naturalis rei exitus non oſtenditur alius, quàm per conventionem & pactionem. *Iul Caſ. de bello Gall. 1, 6. & 8.*

Non multo aliter forte judicandum eſſet, de negotiationis & commerciorum jure pacatis mediiſque civitatibus inter partes bellantes libero. quam quæſtionem *Grotius* ad jus naturæ ideo referendam ait, *quia ex hiſtoriis nihil comperire potuerit ea de re jure voluntario gentium eſſe conſtitutum.* Ex iis tamen, quæ in *Annotatis* plena manu cumulat, & aliunde, ſatis apparet, gentes exiſtimaſſe, licere ſibi commoda hoſtium ex mercimoniis cum pacatis populis, intervertere: quæ licentia neque naturæ juri uſque quaque repugnat, niſi quod in modo cautionem id dictat. Interdum n. modeſtius, interdum violentius ſuo jure uti videbantur bellantes. *I. B. I, 3, 5. & Annot.*

prout

prout conſilii ſingularis, aut perturbationis animi movebat inſtinctio. Eſſe enim ab injuria mediorum & pacatorum abſtinendum, dubio caret. Sed ſi monentur, ſi rogantur, ne intercedant juſtis armis, nec deſiſtunt moniti rogatique; tam liberum ſibi eſſe volunt bellantes, vi prohibere commercia, quibus hoſtis invaleſcit, quàm pacati illi liberum ſibi eſſe cupiunt, mercimonia ſua citra aliena arbitria tractare. Ut rurſus ad pactiones res iſta tendere videatur. Conſultiſſimum certe fuerit, conventionibus iſta definire, ſi modo conveniri poteſt. Anno ſuperioris ſeculi LVI. Guſtavus I. Sueciæ Rex, literis ſignificavit Regi Daniæ Friderico, *quomodo bello cum Ruſſis invitus culpa Magni Ducis Moſcoviæ ſit implicitus. Quum autem Angli novum & inuſitatum per mare glaciale, ut vocant, iter in Moſcoviam ad portum S. Nicolai ſibi aperuiſſent, prætervecti Norvegiam; quod omnibus circumiacentibus regnis, ſed & maris Balthici accolis & civitatibus inæſtimabili damno futurum ſit, dum omnis generis vetita bellica inſtrumenta & arma ad Ruſſos deportarent, quibus contra Chriſtianos nimis muniri, & ad exemplum Turcicæ potentiæ per Aſiam & Africam elatæ, etiam imperium in Europam affectare poſſent. Proinde ſe amice deſiderare, ut Rex Fridericus & ſuo emolumento tuendo, & aliorum Chriſtiani nominis membrorum ingenti detrimento amoliendo, iſtum navigationis curſum Anglis præcludere velit. Eodem, & communium commerciorum nomine ad Reginam*

Loccen. hiſt. Suec. lib. 5.

nam Angliæ (Mariam) *miſit. Sed ab ea reſponſum accepit: ſe ſuis ſubditis libertatem navigandi, quo velint, ex privilegio nactis, inhibere non poſſe. Velle nihilominus armorum invectionem in Ruſſiam prohibere. Quod tamen factum non eſt. Nec de mutuis commerciis certi quid reſponſum.* In eadem hiſtoria Suecica Rex Johannes II. cum Stenone Sturio bellum geſturus, Lubecenſes, ceteraſque fœderatas urbes admonet, *ut tantiſper quieſcant. nec in Sueciam arma, commeatum, aliaque bellis neceſſaria importare velint.* Ad ea Lubecenſes; *cum merces ſuas, magnam partem facultatum & negotiationis ſocios in Regno Sueciæ paſſim haberent, non abſque ingenti fortunarum ſuarum diſpendio, iſtius loci commerciis abſtinere poſſe. ſe neutri parti addictos, ob regum diſcordiam, libero commerciorum & navigationis uſu, jure gentium recepto, priſciſque privilegiis arceri, contra jus & fas fore. orare igitur, ut Regis cum gratia ſibi in poſterum quoque jure ſuo frui liceat.* Sed Rex Johannes mox naves eorum in Sueciam curſum tenentes armata manu intercepit: neque reſtituit. Hinc diſſidium. Pactionis, qualem laudavi, nobile eſt exemplum in fœdere commerciorum inter Guſtavum I. Sueciæ, & Franciſcum I. Galliæ, Reges ante annos centum inito, cujus articulo VI. habetur: *Omnibus Sueciæ ſubditis liberum erit, cum navibus ſuis, mercibus & commerciis proficiſci ad Galliæ hoſtes & inimicos, eorumq; portus, regiones & terras, ubicunq; eis commodum videatur, ſubſiſtere & commercari, abire*

Loccen. hiſt. Suec. l. 4. p. 148.

A. C. 1559.

ire & redire, quando volent: ita ut ea de cauſſa non dicantur violaſſe pacem, aut mali quid eis inferatur à Francis. Et ut Sueci tempore belli commercia eo tutius & abſque omni moleſtia exercere poſſint, dabuntur illis literæ tuti commeatus, quandocunque deſiderabunt. Quinimo inter ipſos belli ſocios, ſi ſocietas limitata ſit ad certa bella conſiliaq;, quædam à bello quies, qualem medii optant, conſtituitur. Ita fœdere, quod inter Suecos & Belgas anno 1645. convenit & ſequenti confirmatum eſt, cavetur, articulo quidem VI.: *ut neuter confœderatorum hoſtem, qui nunc in præſens hoſtis eſt, aut deinceps enaſci poterit, conſilio, ope, pecunia, commeatu, milite, navibus, nautis, armis, pulvere pyrio, aut munitionibus, ulliſve bellicis rebus aliis juvet.* Articulo autem ſequente, VII. additur: *Licet vero neutri confœderatorum licitum ſit, hoſtem ſui confœderati, dictis priori articulo rebus juvare; id tamen ita erit interpretandum, ut navigatio atque uſus commerciorum liber ſit, ſubditis cujuſque, cum hoſte fœderati, qui alia de cauſſa, quàm ob hoc fœdus, bello cum fœderatorum altero fuerit immixtus; ut ſalvo hoc fœdere, ſubditis ejus cui bellum non eſt, libere liceat navigare, & commercia ſua quæcunq; exercere cum ſubditis hoſtium dicti fœderati: Hoc tamen excepto & reſervato, ut ſi quis vel urbem, vel munimentum quodcunque aliud ſeu juſta obſidione aggrediatur, ſeu circumſedeat, animo in ſuam poteſtatem cogendi & adigendi, alter confœderatorum tamdiu ſuſpendat navigationem in ea loca, atque commerciorum uſu abſtineat, ſubditoſq; ſuos jubeat*

iubeat ſuſpendere & abſtinere, donec illa vrbs vel munimentum, vt aut pactis occupatum, vel occupatione deſperata, obſidio aut circumſeſſio ſoluta fuerint. Quæ hic communis Fœderatorum vtilitas dictauit, valde accedunt ad æquitatem iuris naturæ, mediis quoque & quieſcentibus indulgendam.

Pace, quæ anno huius ſæculi quarto Hiſpaniæ inter & Angliæ Reges conuenit, id ſingillatim & ſubtiliter cautum eſt, vt Britanni neutras partes fouerent in bello, quod Hiſpani cum fœderatis Belgii Ordinibus gerebant: eiuſque quietis & mediæ conditionis; ſiue fructu, ſiue iure gauderent, quod ita fere deſignabatur, deſcribente *Hugone Grotio: Hoſtes rebelleſq; alterius alter ne iuuaret, neu iuuari à ſuis pateretur: attamen priuatorum facta in ipſis vindicarentur, pace publica incolumi. Fliſſingam & Brilam* (quæ oppida, vt Auſtriacæ ditionis, reſtitui Archiduces petebant) *per pactorum fidem negabat ſe Britannus Hiſpano poſſe tradere: interim milites, qui iſta oppida ſeruarent, impermixtos bello fore. Pacandis Batauis vna operam darent: ſi quid eſſet moræ, ſaltem vt commeaturis inter ſe, Belgis Angliſq; iter pateſceret, Britannis Batauicas merces in Hiſpaniam, Hiſpanicas in Batauiam vectare interdictum.* Ex eodem iuris fonte ſubinde Batavi, cum Rege Iacobo egerunt. *Poſtulabat à Batauis, ne prohiberent Britannos, e mari intrato Scalde Antuerpiam ſubuehi, ſolutis vectigalibus, quanta ciues penderent. Illi vero excuſauere, oſtenſo haud iniuria inſtitutum ſibi, ne*

Hiſt. lib. 13. add. Thuan. lib. 131.

H. Grot. lib. hiſt. 13.

quis ad hoſtes, niſi mutatis nauibus, peruaderet; quo certius cuncta explorarentur! nec agre ferendum, ſi poſſeſſo à ſe flumini legem imponerent, cum Hiſpani etiā maris vias amicis auderent præcludere. Qui hæc inter ſe ad illum, quem dixi, modum ſtatuerunt, non crediderunt certe, fauorem commerciorum ipſo iure tantum eſſe, vt omnis ratio militiæ & ſtatus bellantium, debeat libertati eorum cedere. Cuius generis infinita ſunt exempla.

Sicut autem, qui neutras partes ſequuntur, ſeduló operam dant, ne actionibus eorum militaribus miſceantur: ita nec bellantibus fas eſt, in pacatis locis, ac regionibus iuri quietorum ſubiectis, ſuas offenſas exequi. Quæ res crebra diſputatione agitata eſt. Cum anno huius ſæculi quinto, Belgicæ naues Hiſpanos apud Doberniam adortæ eſſent, *Dobernienſes, dum mari pugnabatur,* (*Grotii* verba refero) *ſpectatores, mox irati, bellum ſolo ſuo importari* (in portu enim conſtitutos Hiſpanos non ceſſabant infeſtare Belgæ) *globos ex arce iaciebant pro nuper hoſtibus in amicos veteres. Batauos ob hac auſa criminantibus poſtea Britannis reſponſum, non quæſitas à ſe Britanniæ in fluminibus naues, quod tamen impune Dunkerkani feciſſent; ſed calentem victoriæ impetum hoſtem magis ſuum, quàm terræ mariſq; confiniū reſpexiſſe. At ipſi haud æq; facile purgabant, quod ſpecie ſcrutandi Anglos, qui contra Regis edictum mari militarent, haud ita dudum naues Hiſpanicas, partam Batauis prædam, ſuū in littus pertraxerant, datiſq; pro legato* Hiſt. lib. 14.

Phi-

Philippi(Hiſp. Regis)vindiciis, vim belli eluſerant per iuris imaginem. Non reperit aliud, quod pro Batauis ſuis diceret Grotius, quàm vt excuſando victoriæ impetum, culpam fateretur; & patria à Britannis peccata oſtendendo, litem lite reſolueret. Eſt recentius huius diſputationis exemplum in prælio añi 1639, quo Martinus Trompius Hiſpanorum claſſem in Dunis Britannicis expugnauit, cepitque. Quam victoriam celebrans *Barlæus*, in hoſtes culpam confert, eadem excuſatione, adeoque confeſſione defungens, quâ modo Grotius. *Poſtquam*, inquit, *cauiſſet Trompius, ne mandato & obtento Britannici Regis in ſtationem iſtam iuri, temere contrauenirent ſui, prior ab hoſte impetitus, & vno ex ſuis deſiderato, ſine feciali claſſicũ cani imperat; dum ſpectator pugnæ Britannus cum nauium parte extra partes manet.* Subinde: *Sereniſſimus Rex Carolus, fœderis ſui, quod ſacroſanctum habet, memor, claſſis ſuæ præfecto quietem imperauit; & laudatiſſimo exemplo Hiſpaniæ ſimul Patribusq́, eundem ſe, durante conflictu, præbuit. miſert⁹ ad extremum quarundam nauium Hiſpanicarum, quas à tanto naufragio in ſuos vſus ſeruauit.* Iterum: *Ambiguos habuit ciues veſtros, non vos an iſta rerum facie, illo loco, vbi Dunæ Britannicæ ſunt, & quem veneranda Britannorum maieſtas ſibi vt proprium vendicat; iuſtum eſſet, hoſtem inuadere. Verum, liceat liberum verbum in libertatis regno effari. Neceſſitas, Patres, ante rationem eſt, maxime in bello; quò raro permittitur pugnandi tempora ad clepſydram exigere, & loca*

Orat. pan. de vict. Hiſp. claſſ.

 con-

conflictus decempeda anxie definire. concluſæ hærebant Hiſpanicæ naues, in Albionis ſtatione, ſub Regis ſummi, vt videbatur, patrocinio, vt quantũ in nobis eſſet animi, ob metum regiæ maieſtatis experirentur. Haud dubium, ſi neglexiſſetis Hiſpanum, arma nobis trans mare inferentem, contemti & Britanno & ipſi Hiſpano & finitimis fuiſſemus. Nunc poſtquam læſi primum, inuaſiſtis, & inuictos vos pernicie hoſtium probaſtis, quis dubitabit patere victoribus maria? Quæ oratoriis fere coloribus adornata, *Iohannis à Sande Continuator* apertius & citra diſſimulationem refert. Fatetur Thalaſſiarcham Anglorum Io. Peñingtonium, monuiſſe Trompium, ne quid in Baiis regiis auderet: mandatum enim ſibi à Rege ſuo, vt aduerſus primũ aggreſſorem, cum oppugnatis ſtaret. Hiſpanos ſubinde initium feciſſe, emiſſo in vela celocis Trompianæ globo, iterũ, glande proſtrato de ſociis naualibus vno in naue Belgica: cuius cadauer ad Penningtonium miſſum, probandæ offenſionis ab Hiſpanis cœptæ, & exigendi contra primos iniuriæ auctores auxilii. Rem Penningtonio neglectam, ſuſpectos feciſſe Anglorum animos: itaque Trompium, acceptis de pugna mandatis, viginti & octo nauibus, quibus quatuor incendiariæ adiunctæ erant, negotium dediſſe, vt certamine orto claſſem Anglicam obſervarent, ſi quid illa moueretur: à Penningtonio autem literis ſub initium pugnæ contendiſſe, vt vel Belgis primum infeſtatis auxiliaretur, vel certe pugnantibus non intereuniret.

Epit. Hiſt. Belg.

Addi-

Additur quidem interpretatio denuntiationis Penningtonii, tanquam violatâ ab Hiſpanis Anglicâ ſtatione, ex ipſius Regis Angliæ mandato & voluntate Belgis ius pugnandi natum eſſet: non ſine dubitatione tamen, de voluntate Regia. Sequitur enim clauſula: *Si vero ſuæ Maieſtati hæc actio non arriſerit, clementia nobis factum condonabit*. In quibus verbis, confeſſio ſatis clara, alicuius facti, ſolo euentu iudicandi. Niſi enim aliunde ſubeſſet Belgis ſpes, Britannos belli huius turbis inuolui nolle, forte minus liberaliter mandata Regia interpretati eſſent. Cum præſertim Hiſpani factum excuſaſſent: neque id tanti eſſe videretur, vt non niſi prælio expiari poſſet. Inſignia ſunt, quæ congeſſit, iuri Anglico aduerſus infeſtationes mutuas exterorum in æſtuariis, ſinubus, portubus, & Regiis in mari Cameris tuendo, *Io. Seldenus in Thalaſſocratico lib. 2. cap. 22.*

Videri quidem poſſet hoc ius aduerſari iis, quæ ante dicta ſunt, de non impediendis actionibus militantium partium: ſed manifeſtum eſt, ius infeſtandi hoſtis in iuſta etiam militia reſtringi, & limitibus quibuſdam includi, per imperium & dominium loci pacati. Licebit tibi ius tuum perſequi, in tuo ſolo, in hoſtili ſolo, in ſolo nullius, in mari, quatenus id extra imperium cuiuſquam eſt: non in portu, cuius ius ſibi vindicat aliquis populus; non in ſolo pacatorum populorum iuri ſubiecto. Quæ vltra tendunt, figurate dicta putabis, ſicut bene explicat Grotius. Facta quoque in contra- *I. B. 3, 4, 8. & 3, 6, 26.*

 rium

rium adducta, non imminuent auctoritatem iuris gentium: ſed vel de iniuria teſtabuntur; vel infirmitatem aut patientiam gentium pacatarum oſtendent. Solet equidem euenire, vt admiſſo in pacatas terras hoſte, qui arceri poterat, altera pars non immerito ſequi ſe poſſe, & bellum eodem transferre, opinetur. Neq; eſt, quod valide dici contra queat. Euenit tamen, vt haud æque in expedito ſit illa dubitatio. Spectemus exemplum, detractis nominibus. Obſeſſa pars hoſtilium copiarum, cum inopiâ rerum ad deditionem vrgeretur, per pacati inducijs populi fines fugâ euaſit. Non auſus eſt fugientes perſequi dux obſeſſor, reuerentiâ pacati fœdere induciarum loci. Licet enim induciæ non tollant bellum, ſed differant: effectu tamen pro pacatis habentur terris, quibus ea pactione quies certi temporis parta eſt. Quid ſi dux obſeſſor exemplum fugientium ſecutus, easdem rapuiſſet victrices copias? Pacati hactenus ſoli domino, æqua aduerſus vtrumque querela naſceretur. Sed an Principi ſuo potuiſſet excuſare, qui abſque mandato voluiſſet vlciſci tranſitum à pacatis hoſti permiſſum, valde dubito. Prudens quidem dux, nunquam temere fecerit, quod an probaturus ſit Princeps, dubitat. Diſceptata ſubinde res eſt literis, incuſatique ſunt, per quorum fines iter fugientibus patuerat. Reſponderunt illi: ſe petentibus tranſitum negaſſe, præterque ſuam opinionem factum, quod auſi nihilominus eſſent fugientes id iter rapere:

ſed

ſed nec impediri eos tam ſubito à ſe potuiſſe. Geminatæ ſunt literæ ab altera parte, denuntiante ſummo duce, pro ruptis habitum iri inducias, ſi iterum hoſtibus illac via pateret; ſecuturis eodem iure, copiaſque in ea loca, quæ hoſtis peteret, translaturis, quibuſcum induciæ pactæ erant. Opponebatur in vicem huic denuntiationi ſanctimonia fœderis induciarum, propoſitique de non rumpendis induciis ſinceritas, quâ ſalua, fieri poſſent interdum apud fines parum munitos, quæ nullo conſilio dominorum loci votoue iuuarentur. Sed hæc quidem inter duces & ſummos rerum adminiſtros diſputata ſunt: ſtetitque induciarum de cetero pactio.

Pergendum eſt ad ſimiles quæſtiones, quid liceat in ſolo pacatorum, ſiue in ſolum pacatum. Quamuis enim pacati populi latius dicantur, quicunq; bello ſunt impermixti, etiam longiſſimis disiuncti interuallis; medii autem, quos vel ſitus periculis belli admouere videtur, vel poſtulata bellantium, de ſocietate interpellarunt, vel fœdus cum bellantibus, de non iungendis armis initum, quiete donauit; pacatorum tamen vocabulo hic medios intelligi, ſignarique nil prohibet. Iactatur ergo ſæpius apud bellantes, titulus *neceſſitatis*; ſiue *ius neceſſitatis*, vt *Grotius*, aut *ratio belli*, ſicut hodie loquuntur. *Grotius* ita ſtatuit: *Ei, qui pium bellum gerit, licere locum occupare, qui ſitus ſit in ſolo pacato; nimirum, ſi non imaginarium, ſed certum ſit periculum, ne hoſtis eum locũ inuadat,* I. B. 2, 2, 10.

& inde irreparabilia damna det; deinde ſi nihil ſumatur, quod non ad cautionem ſit neceſſarium, puta, nuda loci cuſtodia, relicta domino vero iurisdictione & fructibus: poſtremo ſi id fiat animo reddenda cuſtodia, ſimulatq; neceſſitas illa ceſſauerit. Atque hoc ius deducit *Grotius*, tanquam poſt introducta rerum dominia reliquias, ex veteri illa communione, quam principio capitis adornare non dubitauit, deſtructam grauibus argumentis à doctiſſimo *Strauchio in diſſertatione de imperio maris.* Bene de reliquo factū; quod arctis limitibus rem odioſam conſtringendam iudicauit. Quo accedit & illud, paulo ante dictum: *ius* hic eſſe *non plenum.* Reuera enim hæc in iis habenda ſunt, quæ non fiunt ſine culpa & iniuria, ſed recepta fere gentibus conſuetudine, diſſimulantur, aut caſibus belli condonantur. Nam quod nonnemo hic de *commutatione ſpontanea*, ſciente domino pacati ſoli facta, fingit, præter rem noſtram eſt. neque enim pro medio ſe geſſerit, qui ſuo conſenſu ab alterutra parte bellantium ſiuerit occupari locum in ſolo ſuo ſitum. Magna nobis copia eſſet memorandi exempla harum diſputationum ex bellis huius ſæculi Germanicis. Nihil illo titulo, & ſimulacro iuris frequentius: ſed altum de limitibus poſitis, & temperamento æquitatis modo deſcriptæ, ſilentium. Neque enim vel iurisdictio, vel fructus, vel neceſſitatis obtentu, facta rerum commutatione, ceſſante, reſtitutio, verum dominum ſequebantur. Vt ab hoſtibus capta, non niſi finito bello

c. 1. §. 6. &c.

l. 2. 2. 2. 9.

& in-

& interuentu pactionis, reddi vidimus, quamuis pacato in ſolo occupata. Quantum ad illum metum attinet, ne hoſtis occupet locum, primo videndum eſt, an non poſſit impediri hoſtis ne occupet: deinde, quia ſine iniuria id facere hoſtis non poteſt, an imitari & præcipere propoſitum inferendæ pacatis iniuriæ fas ſit, exquirendum eſt. Non male enim huc adferas, quod alibi *Grotius* monet: *Aduerſus incertos metus, à diuina prouidentia & innoxia cautione, non à vi præſidiū petendū eſt.* I. B. 2, 1, 17. Vere iſta, ſed, vt mores & homines ſunt, plerunq; fruſtra dicuntur. Dubitabile enim haud raro redditur, quod reuera indubiæ æſtimationis eſt. Quæſitum meminimus, an hoſtis quidem, noſtri, ſed pacatas vi alterius pactionis atque exceptas bello regiones, inuadere & occupare liceat? Res ipſa loquitur, non licere, quin eadem opera rupta cenſeatur pax illa altera, quæ illas regiones bello inacceſſas præſtabat. Vnde & conſortibus pacis, ad conſeruandam eius fidem, mutuo nexu adſtrictis, iure maximo tueri regiones illas armis, vimque vi depellere liceret. niſi quod deliberatio de armis quamquam iuſte ſumendis, moras trahere, & maiora audentibus metum demere ſero ſolet.

Quod ſi de pacato populo aliqui intra præſidia hoſtium ſunt, ante bellum eo profecti; tum *poſt modicum tempus intra quod diſcedere potuerunt, iure gentium pro hoſtibus eos haberi poſſe, Grotius* cenſet. I. B. 3, 4, 7. Intellige, ſi non retenti ſunt præter ſuam voluntatem apud hoſtes. Quod

vel ita ſit, vt operâ eorum militari hoſtis vtatur; vel eâ non vtens, aliis de cauſſis dimittere eos nolit. Qui operam militarem ipſo actu præſtat, & arma contra fert, quanquam inuitus id facit, hoſtilia patitur in impetu belli, non inopinabili ratione. Neque enim in puncto temporis diiudicari poſſunt, quibus temperamentum iuris bellici ſuadetur. Extra actum militarem apud hoſtes in caſtris & vrbe capta deprehenſi, merito fruuntur illo temperamen-
l. B. 3, 11, 10. to, quod *Grotius* alibi commendat. Quod in Academiis ad Studioſos, etiam cum ſub ſignis ordinati, extra actum tamen militarem poſiti, deprehenduntur, pertinere debet. Muſis enim neutras partes ſequi, ſuo iure licet. Si tamen ſponte quis ſuâ illo ſe priuilegio quietis priuauerit, animumque & impetum hoſtilem induerit, iam non vt literarum, ſed caſtrorum ſectator habetur.

Eiuſdem generis eſt, quod de rebus apud hoſtes quidem repertis, in vrbibus aut intra præſidia eorum, ſed quorum domini nec hoſti-
l. B. 3. 6. 5. bus ſunt ſubditi, nec hoſtilis animi, *Grotius* an-
& 6. & 26. notat & explicat: *bello eas acquiri non poſſe.*

Facit quoſdam medios ratio fœderis, cum altera bellantium parte vel vtraque initi; ſed quod ad ſocietatem belli non obligat. Tum enim bellantes, ſi impetrare non poſſunt auxilia, id ſaltem ſuo iure videntur poſtulare, ne contra ſuas partes aliquid moueant, aut fœdera noua, ſibi nocitura, ineant. Ita Rex Galliæ Carolus, Ludouici XI. filius, in Italia bellum ge-

gerens, Venetis per legatum; qui hæc deſcribit, demonſtrauit: *per illud fœdus, quod & ſecum haberent, & quod cum parente ſuo feciſſent, non licere ipſis, quoquo modo Gallorum aduerſariis adeſſe, & Regem ſimili conditione ipſis deuinctum teneri: multo minus etiam licere ipſis, inire fœdus illud, de quo tunc frequens admodum rumor increbuerat: quod ſi faciant, diſcedere ipſos ab eo, quod conueniſſet, & violari pacta.* Sed Veneti ad ſolitas ſimulationis artes conuerſi, & in Turcam parari id fœdus cauſati, non prius aperte agendum ſibi putarunt quàm cum fœderis pactio penitus eſſet confecta. Quæſiui huic hiſtoriæ locum, quia nobilibus huius diſputationis momentis conſeritur. Veneti enim, cum crederent, fieri non poſſe, vt Galli in Italia multum procederent, amicitiam præ ſe tulerunt, neque quicquam ipſis aduerſum ſe moturos, quin bona officia præſtituros, confirmarunt. Sed, vbi ſucceſſus Gallorum metum ipſis incuſſere, ſtatim apparuit voluntas, & perſona parum ſincere quieſcentibus detracta eſt. Callida hæc quietis & amicitiæ oſtentatio nec laudem habere poteſt, & ex inuidia periculum ſimulatoribus ingens creare ſolet. niſi quod viribus confidunt, qui iure gloriari non poſſunt. Quod in rumpendo fœdere, re tam ſancta, amplius etiam intelligitur. Quid enim vſitatius, quàm fœdera ſanctiſſimis formulis contracta, vt primum vtilitas communis, ſolum ſcilicet pro moribus temporum vinculum amicitiæ, mutari cœpta eſt, vltro rumpi, & in contrarium mutari?

Ph. Cominæ. de bell. Neapol. l. 2. interp. Sleidan.

Quæ-

Quæri ergo hic poteſt, quid liceat in medios, qui vel vacuum ſtudio partium animum oſtentant, per occultas tamen molitiones, alterutri aut vtrique aduerſa ſtruunt: vel fœderati alteri, aduerſario eius clam ſtudent: vel vtrique fœderati, diuerſis ſtudiis, hunc adiutum, illum depreſſum cupiunt. Primum omnium, nihil ſuſpicionibus, in re tanta, & argumenti odioſi, ſtatuere oportet. Quod ſi autem rerum teſtimonia, non ſinunt dubitabilem eſſe animum eiuſmodi hominum, ſtolidum ſane fuerit, verbis potius, quam factis credere. id quod *Cicero* differit amplius apud *DionemCaſſium*. Hoſtium itaque loco habendi, ac ſi facultas datur, perſequendi, puniendiq; veniunt, qui *amicitiæ ſpecie fefellerunt*. Niſi quis altiore magni animi propoſito, de iure ſuo cedere, quàm bellis implicari malit. Quæ conſilii quæſtio eſt: & à momentis euentuum belli pendet. Modo enim bello intenti & hoſtibus oppoſitis, conniuere ad iſta, aut veluti ſurdo auditu, quamuis magna tranſmittere coguntur: modo apud fores eiuſmodi ſimulatorum conſtituti, variis rerum verborumq; imaginibus ſe deludi ſentiunt: modo, finito bello, nouis diſcordiis non eſt locus; vel, quod abolita fraudis memoria incluſi ſunt pace illi ancipites amici, vel, quod alia ratione muniti vim non metuunt. Quomodo autem interim, cum iis agendum? Plerique iiſdem artibus petendos exiſtimant, quibus alios decipiunt. Hinc negotiationis & legationum ſpecies ſæpe producitur, donec ex improuiſo arma in ſubdolos

lib. 45.

conuertantur. Maioris animi videtur, arguere artes & exprobrare: quomodo nonnullos pudor aut metus emendauit. Niſi quod neceſſaria interdum diſſimulatio, ſecuritati potius, quàm vltioni conſulendum, dictat.

Illis porro, qui medii ſunt, præcipue id datum negotii creditur, vt diſcordantes ad pacem & conſenſionem temperare ſumma ope ſtudeant. Ac interdum quidem conceſſa pactis quies, ſane additam legem habet, de opera reconciliandis ſibi inuicem bellantibus ſerio & diligenter ſumenda. Vbi autem diſertis verbis de ea re nihil conuenit, ſpecimen tamen animi bona fide quieti. ceu propria medii virtus, in eo ponitur, ſi de reducenda apud diſſidentes pace, indefeſſo ſibi ſtudio contendendum exiſtiment. Qui lege ſiue pactione medii ſunt, illis, ſi vel maxime vellent, non ſemper integrum eſt negotio tam arduo manus admouere, ſi præſertim ſint, minus potentes, aut inualidæ auctoritatis. Sed qui de cetero extra partes ſunt, præſertim Chriſtiani inter Chriſtianos, merito ſuam operam in reconcilianda pace offerunt, præſtantque. Quæ nec facile repudiatur. niſi conſtet, eum, qui has partes ſuſcipere vult, verbo quidem vtriſque, re autem vera alteri parti ſtudere; alterius commodis & cauſſæ aduerſari. Erit ergo officium eorum, quos ſequeſtres, internuntios, vulgo parum Latine Mediatores vocant, vt mature bellantium iras interpellent; neque expectent, donec cædes cædibus, damna

mna damnis cumulata fuerint. Deinde, vt æquos ſe vtrisq; præbeant in quantum manifeſta cauſſæ momenta patiuntur. Denique, vt prudentia ſua & moderatione, quæ nocitura ſunt negotiationi, præuertant, extinguant, minuant; validis rerum argumentis vtantur; minis& obiurgationibus abſtineant. An addemus, ne ſuis commodis inter pacificandum ſtudeant? Fruſtra id quidem, & inique à ſe id peti, iudicauerint. Vt enim hodie ſæculum eſt, vix ſerio pacem aliorum amant aut procurant, niſi qui ſuas inde vtilitates ſperant. Finge, abeſſe hoc propoſitum; non aberunt certe ſtudia animorum, occultæ æmulationes, ſpes metusue, perpetua animorum conſiliorumque inter homines intertrimenta. Quia ergo pax & bellum aliorum, multis in quæſtu eſſe ſolet, factum haud raro videmus, vt partes bellantes plane non admitterent eiusmodi proxenetas: vel, ſuaſorias quidem pacis & cohortationes admitterent, negotiationi autem pacis neminem alium admouerent. Quæritur, an ſine iniuria offerentis, talis opera recuſari poſſit? Quidni? quælibet enim ciuitas ſuarum rerum arbitria ita ſibi vindicat ſoli, ut aliis interuenturis vel viam claudere, vel limites ponere, ſuo iure poſſit. Abſit modo ſuperbia & contemtor animus: quo irritari plurimum ſolent, quorum auctoritas ſpernitur. Conſilio enim opus eſt & cautione, vt animaduertas, quid, cui, quomodo negatum eas. Sicut & in ipſa negotiatione, ſi nihil

hil proficitur interuenientium auctoritate, offenſio grauiſſima contrahi poteſt.

Vt arbitratores, aut arbitri compromiſſarii adſciſcantur medii populi principesque, ſuperiore ſæculo nondum deſitum, magis magisque in deſuetudinem abire videtur. Ratio non eſt in obſcuro. Ita enim plerarumque ciuitatum commoda & incommoda mutuis ſtudiis propoſitisque, clam palam ſunt implicita ac permixta, vt vix ſecuro animo eligere velint bellantes, cuius ſtatum animumque nihil præter alienum bonum ſpectare credant. niſi quod in parte negotiationis de pace inſtitutæ, Mediatoribus, quos vocant, quædam committi ratio eſt, vt quod æquius melius videtur, definiant. Reperiuntur pacta inter certos populos, quibus controuerſiæ forte orituræ ad arbitros reiiciuntur. Satiusne eſt tum, nominatim deſignari Principes, an delectum tempori reſeruare? Vtrumq; factum nouimus. Poſterius moras trahere poteſt, & difficultatibus implicari: nec prius, propter fragilitatem & crebras commutationes rerum humanarum, plane videtur vacare periculo. Quare multo prouiſu futuri, & ſolerti cautione verſandum eſt in illa conſultatione. De arbitris oblatis, nec receptis, videre licet *Camdeni hiſtoriam in anno* 1600. *part.* 4. *Eliſ. p.* 768.

Grot. l. B. 3. 20, 46. *&c.*

Conatus eludendi arbitrii in Bononienſibus apparuit, qui, cum anno Chriſtiano 1249. cum Murinenſibus pacem feciſſent, controuerſia de Friniano, quod vtraque ciuitas ſibi vindicabat,

Sigon. de regn. Ital. lib. 18. cabat, ad arbitros reiecta eſt. *Itaque XIII. Kal. Ian. Octaniano Cardinali, & Iacobo Epiſcopo Bononienſi præſentibus, ciuitatis vtriusque procuratores certa interpoſita pœna compromiſerunt in Hugonem* (Sanuitalem, nuntium à Parmenſibus ad id miſſum) *& arbitros à Communi Parma datos, de omni lite, quæ inter Bononienſes & Mutinenſes ſuper Friniani poſſeſſione poſſet exiſtere: iurantes ſe ſtaturos ſententiæ arbitrioq; Communis Parmæ, quod prætor aut alius rector vrbis eius tuliſſet.* Tergiuerſati ſunt, quamquam interpoſito iureiurando arbitris litem ſubmiſiſſent, Bononienſes: & poſt quin-*Id. lib. 19.* tum annum *nondum poſſeſſio Friniani reddita Mutinenſibus erat*, (verba *Sigonii* refero) *cuius rei iudicium ad prætorem Parmæ ex compacto reiecerant. Itaque VIII. Kal. Iunii Gibertus prætor Parmæ nuntiis Bononiam miſſis, Ricardum prætorem, Antianos* (magiſtratus hic tribunis plebis comparatur) *Conſiliumque rogauit, vt aut Frinianum Mutinenſibus remitterent, aut procuratores Parmam ad reſpondendum Mutinenſibus mitterent. Qua re audita Bononienſes primum à Mutinenſibus per legatum poſtularunt, vt iura ſua apud ſe potius quàm Parmæ exponere, & Frinianum ſuo potius quàm alieno recuperare beneficio vellent, & cum nihil impetraſſent, XVII. Kal. Iulias Parmam miſſo nuntio Gibertum* (prætorem) *orarunt, vt arbitrium pronuntiare differret. Verum cum rogatus nuntius, num mandatum ad reſpondendum haberet? ſe habere negaſſet; neq; arbitrii dila-*

dilationem poſtulare poſſe judicatus eſt. Inſtante dehinc Mutinenſi, iterum monitus eſt Ricardus, de mittendo ante certam diem idoneo procuratore. Quæ cum adventaret, Bononienſes ad novas artes converſi, Mutinam miſerunt petitum: *ut Mutinenſes diem judicii prorogari paterentur, ac procuratorem, quem Parmam miſerant, revocarent. Nam ſe comiter per communes amicos tranſigere velle.* Additæ ſunt blanditiis minæ quibus ex pacto juberentur Mutinenſes diruere caſtra citra Scultemnam. Quibus peractis Parmam juſſus erat ire nuntius, dilationeque arbitrii rurſus petita, locum tutiorem Bononienſibus poſtulare, quibus iter Parmenſe à Regienſibus haud ſatis ſecurum eſſet. Inſtante autem Mutinenſi procuratore, ut primo quoque tempore pronuntiaretur, Bononienſi vero diem largiorem ac locum tutum ad diſceptationem cauſæ poſtulante, Gibertus *interfatus tertiam ab eo diem conſtituit. Quæ ubi illuxit, petitionem Bononienſium de loco tuto præſtando rejecit, inquiens, legatos Bononienſes alias veniſſe ſecure, & fidem à Regienſibus impetrare haud difficulter poſſe, aut per limites remotiores tuto tranſire. Quo reſponſo Bononienſis confuſus, iterum concilium generale & ſpeciale popoſcit: cumq; ibi eadem iteraſſet, prætor ejus petitionem repudiavit, atque generali conſilio advocato ita pronuntiavit: Nos Gibertus de Gente prætor Parmæ, arbiter inter Commune Bononiæ & Commune Mutinæ ſuper Friniani diſceptatione*

delecti, juris ſolemnitate ſervata pronuntiamus: Frinianum, homines, oppida, & loca cum eorundem jurisdictione ad Commune Mutinæ pertinere & ſine ulla exceptione illi à Communi Bononiæ eſſe dimittenda; præcipimusque eidem Communi Bononiæ, ut ea intra menſis ſpacium libere dimiſſa habeat, alioquin mulctam in compromiſſo expreſſam perſolvat. Qui has tricas Italas conſiderat, quo animo pacti ſint Bononienſes & jurati, facile intelliget: neque minus in hoc exemplo, quid de arbitris multi ſentiant, animadvertet. Cujus tamen argumenti alia eſt inſpectio.

JOH. LU-

JOH. LUDOVICI
PRASCHII,

DE

BONO CIVE

Φιλοσοφȣ́μενα.

Cicero de LL. I.

Ad reip. firmandas & ſtabiliendas vires, ſanandos populos, omnis noſtra pergit oratio. Quò circa vereor committere, ut non bene proviſa & diligenter explorata PRINCIPIA *ponantur: nec tamen ut omnibus probentur. Nam id fieri non poteſt.*

VIRO

MAGNIFICO, NOBILISSIMO, AMPLISSIMO AC PRUDENTISSIMO

DN. ANDREÆ KRANNOEST,

S. R. I. Reipubl. Liberæ Ratisbonenſis Senatori & Conſulari Graviſſimo, ut & Præſidi Curiæ Reditualis Digniſſimo, & Comitiis hiſce ad Illuſtriſſ. Collegii Civitatenſis Directorium Condeputato,

Domino Patrono & Cognato

Colendiſſimo, unà cum foliis his exiguis ſingularis obſervantiæ teſtibus,

Se & ſtudia ſua

dedicat commendat

JOH. LUD. PRASCHIUS.

SUMMARIUM.

I. Tractationem hanc eſſe Ethicam. II. Quid ſit bonus civis. III. Originis civitatis inveſtigandæ neceſſaria ſubſidia. IV. Natura hominem eſſe liberum. V. Et ſocialem. VI. Societas conjugalis. VII. Patria. VIII. Herilis. IX. Gradus reliqui naſcentis civitatis. X. Ejusdem finis. XI. Et reliquæ cauſſæ. XII. Pactum de civitate. XIII. Jus civitatis. XIV. Patria, ejusque amor. XV. Pacta de imperio. XVI. Majeſtas. XVII. Obſequium civile. XVIII. Obligationum harum comparatio, effectus. XIX. Exempla. XX. Contraria.

I.

De bono cive, ſeu obligatione erga civitatem, tractat Ethica. Cujus eſt formare actiones ad jus naturæ & omnem honeſtatem: Quanquam *Ariſtoteles* fines ejus prolatavit. Contra quam factum in Politica. Sed cum duas quisque perſonas gerat, communem, ut homo; propriam, ut talis homo: duæ etiam partes Ethicæ. Generalis, univerſis limites ponit; ſpecialis certis ordinibus: ut civibus,

militibus, conjugibus. Idque rurſus vel generaliter, vel ſpecialiter: ut Imperantibus, parentibus; Duci, gregario; viro, uxori. Politica decerpit partem, partem addit. Imperantium enim actiones dirigit, non ad honeſtatem modò, ſed utilitatem publicam. Idem aliis generibus, quæ multa, accidit. Etſi, ut ignobiliora, non perinde exculta, aut nominibus diſtincta. Nec malè conjuncta ferè actu, ſcriptione conjunguntur. Quo falluntur, qui politicam totam & ſolam Ethicæ ſubjiciunt. Equidem honeſtas præcipit utilitatem, & habet; at non eſt utilitas. Quæ in moralibus ponitur, non monſtratur.

II. Bonum autem civem deſcripturus, duo promittit: faciem civis, & boni civis. Alterum enim ſine altero cæcum. *Tullio* finitur civis: *qui patriam ſuam diligit.* At hæc oratoria finitio, non eſſentiam civis, ſed officium exprimit. Philoſopho itaque fuerit: pars civitatis, communi cum aliis jure & obligatione. Sed hic rurſum prius eſt intelligere, quid ſit civitas, quid jus civitatis, & obligatio. Quam qui implet, bonus civis dicitur. Petamus igitur ex alto civitatis incunabula.

III. Id ut ſincerè ac plene fiat, duo adſciſcemus ſubſidia, inexplorata gentilibus, neglecta fere Chriſtianis: hiſtoriam ſacram, lumen luminis naturæ (ideo hic *Joſepho* Moſes φυσιολογεῖ) & Philoſophiam altiorem. Prius deſerunt, qui primordia civitatis in palantium conventione non tam ponunt, quam ſtatuunt; Saturnum ſomniantes,

Ἀρχ. l. 1. c. 3.

Qui

Qui genus indocile, ac diſperſum montibus altis
compoſuit, regesque dedit.

poſterius, qui à natura, quam ejus parente, malunt proficiſci. Sine quo nec natales civitatium (quos alicubi conſecratos legimus) vigorque, nec vis imperii, in ſanguinem præſertim hominis, nec regum ſanctitas & officium intelligitur. Inde plurima labendi proclivitas. Ut, cum legislatori aut Judici bonum civitatis unicè commendatur. Ita capitalis error in ethicis, finem ſummum proponere felicitatem. Cum ſit creatoris cultus. Primariò enim Dei, ſecundario noſtri cauſſa ſumus. Nec felicitas honeſtate, cæterisque animi bonis, exhauritur. Ariſtoteles enim faſtigia rerum carpit. Sed diffundemus libro de Finibus. Nunc ad inſtitutum.

IV. Deus eſt liberrimum agens. At effigies Dei, ac veluti numisma, debuit eſſe homo, etiam *Ovidio*. Quare & accepit libertatem. *Met.* 1, 2. Sed ut Deus, ita libertas ejus infinita; hominis, humana. Itaque natura eſt liber. Ne autem cum vulgo in tenebris oberremus, diſtinguatur. Intelligi poſſit hic natura, primo de primævo ſtatu. Secundo de conditione hominis, id eſt, qualis quilibet naſcatur, cum potentia, tum actu. Ea vel communis, ut ſcientiæ; vel propria, ut hujus aut illius ſcientiæ capacitas & appetitus. Unde ſapienter colliguntur fines. Quod ſi cogitarent *V.* 1. *Cor.* multi, parcius aliorum ſtudia notarent. Ulti- 12. 7. mo, de innata lege Dei. Jam libertas alia voluntatis, vulgò arbitrii: quam & contradicti-

onis vocant. Cui adverſatur interna coactio: qualis beſtiarum, voluntate defectarum. Actionis alia. Cui opponitur aut vis naturalis, aut moralis, jus vocata. Id vel eſt dominii, tam abſoluti, unde ſervitus; quam reſpectivi, unde certa jura perſonalia ac realia: vel imperii, ac primum veri. Quo modo liberum regnum, concio democratica, populus collectivè ſumtus. Dein figurati: cum quis imperat ſibi, id eſt, iram cæteraſque perturbationes rationi ſubjicit. Unde Stoicum paradoxon, *ſapientes eſſe liberos, ſtultos ſervos.* In primisque, cum quis metum in loquendo. Græci παῤῥησίαν nominant. Virtutem rerump. corruptarum. In rectis enim ſperat veritas, non timet. Ex hoc ſchemate pateſcit, ſeptem maximè modis libertatem accipi. Quomodo igitur natura homo liber? Ab interna vi, ſimpliciter. Quod enim examen in bilibri, in homine eſt voluntas; inclinarique poteſt, cogi neſcit. Excipiunt ſanè actus voluntatis imperatos. Sed hi; ſi externa vi cientur, non ſunt voluntatis, niſi materialiter; ſi interna, non coacti. Ab externa, actu liberi naſcimur. A ſervitute ſæpè actu, interim & potentia, poſitive tamen. Dei verò intuitu, omnes ſervi; nec ut in humanis,
1. Cor. 10. 31. quoad actiones ſerviles, ſed omnes. Obligationes aut natura ingenerat, aut confirmat. Ab imperio, præter primum hominem, liber actu naſcitur nemo, quidam potentia: fieri autem poſſumus caſu, re ad primævi ſtatus formam redeunte. Domare affectus, atque adeo

adeo metum in veriloquio, natura minax jubet. Si ſpectes æquitatem, imperium hoc internum Ethicumq; , junctum eſt externo. Qua ratione ferri poſſet Stoicorum ſapientis regnum.

V. Porro Deus ut apparet, cogitavit homines, non hominem; nec tam individua, quam ex his corpus. Idque, ſi fas illuc penetrare, perfectionis & finis cauſsâ. Quo enim magis unumquidque, eo eſt perfectius. Unde ingens illa catena, ſeu connexio univerſi: per quam ut nihil vacuum, ita nec hians. Inprimisque gloriam Dei hoc multimode extendit. Omnium verò compoſitorum duo ſunt principia: conſervationis, unio; deſtructionis, diſſolutio. *Empedocles* amicitiam & litem nominat. Inde *Boethius*: *l. 2. Metr. 8.*

> *Hanc rerum ſeriem ligat*
> *Terras ac Pelagus regens*
> *Et cœlo imperitans amor.*

Deus ergo, dum corpus, unum voluit. Eoque unum omnibus patrem, unam regulam, rectam rationem; cupidinem procreandi, ſciendi, excellendi; amorem mutuum inter generantes & generatos; ſolitudinis tædium, horrorem; inſtrumentum ſociale, linguam; infirmitatem egeſtatemque; obligationem in omnes, naturale temperamentum, libertatis; & mandatum, Honora patrem, dedit. Quare valeant, qui naturam & ſocietatem fœdè dividunt. Non ita veteres. Quorum & pars, Adamum comparem deſiderâſſe putat.

VI. Quibus ergo gradibus nata eſt civitas?

Natura enim agit ſimpliciter & ordine. Primò ex terra homo unus, ex hoc item unus editi. Simul ac duo, mas & fœmina, fuit ſocietas,
a, 24. dicta maritalis : de qua *Geneſis*. Societas enim rationalium, animalium eſt congregatio. Illa ponit vinculum & ordinem. Qui vel dignita-
Vid. Arniſ. de jure connub. c. 7. ſect. 1. tis vel juris. Quoad utrumque prior mas, ingenio, viribus, ſed & tempore, & quod fœmina propter eum, & ex eo ficta & dicta. Lapſus itaque non imperium inchoat, ſed diſtinguit. Acceſſit vox divina, & conſenſus gentium. Si Lycios, Ægyptios, aliosque in rationem contumaces eximas.

VII. Ex hac ſocietate, extitit nova natis liberis. Quos utri parentum mancipet natura, ambigunt. Ac excuſatius errant, qui utrique adjudicant, quam qui matri. Niſi quod extra conjugium, partus ventrem ſequitur. Scilicet in ſocietate ſociis acquiritur, non ſocio. Tum ad generandum uterque pariter concurrunt. Inde utrique in liberos, & his in utrumque innaſcitur amor. Nam laborem matris in puerperio, labor patris in quærendo penſat. Verum, ut ex dictis liquet, ſocietas eſt hæc inæqualis. Sicut ergo *fieri ne-*
Quintil. Decl. 13. Paul. l. 12. §. 3. D. ad exhib. & Gen. 37. 13. de cive c. 9. §. 1. *quit, ut, quod naſcitur, meum ſit; quod generat, alienum: ita quod ex re noſtra ſit*, noſtrum eſt. Jure igitur paterna nuncupatur. Nec tamen nullum matris imperium, ſed ſubalternum. Lunæ ſimilis, mariti radiis coruſcat. Quærunt autem, quod ſit poteſtatis hujus fundamentum. De generatione ſola negat *Hobbius*, ratione parum geome-

geometrica. Nihil tam naturale, quam mei juris eſſe, ut me ipſum, ita partes mei, & viſcera. Eo filius, ſimul naſcitur: patris eſt. Sicuti Dei, jure etiam creationis ſumus. Educatio igitur ad virtutem patriam pertinet, generatio ad poteſtatem. Ex hoc obſequii & honoris, ex utraque gratitudinis debitum. Quantum ergo beneficium eſt, gignere? quantum, eſſe hominem. Niſi & Deo, creationis nomine, nil debetur. Similia enim gignere & creare. Ideo parentes dii, Deus pater dicitur.

O pater, ô hominum divumque æterna poteſtas.

At *voluptatem* ſpectat genitor, non beneficium. Stoicus hæc, an Cynicus loquitur? Quantô gravius *Ariſtoteles*: *φυσικὸν τὸ ἐφίεσθαι, οἷον αὐτὸ, τοιοῦτον καταλιπεῖν ἕτερον.* Cauſſam alibi deſignat, imitationem æternitatis in Deo & conſervationem, ut individui, ita ſpeciei. Sed ſint tam bruti quidam. Etſi rationis eſt, humanius hæc interpretari. Quod non meruit pater, tu non debes? Beneficiorum regula non eſt voluntas ſola dantis, ſed legiſlatoris DEI. Quam explicant verba *Eccleſiaſtici*: *In toto corde tuo honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliviſcaris. Memento, quoniam niſi per illos natus non fuiſſes: & retribue illis, quomodo & illi tibi.* Denique vitam eſſe bonum naturale, & quidem princeps, ratione, ſenſu, teſtimoniis conſtat. Ideo orat Palinurus, in *Æneide*, *per cœli jucundum lumen & auras.* Ideo nefas eſt, adimere. Nec probavi unquam aut in philoſophia aſſertiva ſequendos putavi Stoi-

Sen. de Benef. 3, 30.

Pol. 1, 1.

7, 29.

l. 6. v. Stobæum ſermon. 273.

cos: quorum ſpecioſus faſtus virtutem ſolam bonum eſſe rhetoricantium, injuria creatoris & ipſorum eſt. Obviatum eis ab Arniſæo.

Rel. pol. ſ. 1 ſ. 14. & ſ. 4. ſ. 2. & ſeqq. ſ. ſ. ſ. 16. l. 1.

VIII. In harum ſocietatum uſus, adoptata eſt herilis. Nam illæ pertinent ad vitam, hæc ad neceſſitates vitæ. Quare etiam à natura: quæ voluit, hominem homini eſſe inſtrumentum aut motorem. Eoque facultatibus diſtinxit. Quod emblemate claudi & cæci demonſtratur. Nec ideo, qui potentia, actu quoque debet eſſe ſervus. Sicut non omnes neceſſario nubunt aut generant. Quædam natura ſuadet, quædam cogit. Ambitio igitur, non jus eſt, ſub hac cauſa barbaros pacare. E diverſo, quis neget, Claudio imperandi jus fuiſſe? Omnis ergo ſervitus ſtat obligatione ex contractu vel delicto. Et quidem hodie tenet conductio, quæ ſervum eximit poſſeſſionibus. Bello inductæ ſcaturigo hæc eſt. Peſſimum, injuſtitia armata. Poſſunt igitur arma ſeu nocendi vires, adimi injuſtis, vel in pœnam, vel ſecuritatem. Id maximè teneri, libertate erepta, gentes olim crediderunt. Abiit ergò in formam juris civilis plurium gentium. Sic tamen circumciderunt, ut liceret fugere: producente bello effectum ſibi ſimilem. Quò flectas id, quod dicitur, vi quæſita, vi tenenda eſſe. Præclare etiam circumcidit Grotius. Obligatio vero ſervi, ex pacto aut moribus, aut fine, æſtimatur. Etiam leges addunt multa. Quale jus vitæ & mortis. De quo *Juſtinianus* ex *Gajo*: *Apud omnes peræque*

J. 2. 3. ſ.

ſ. 1. J. de his, qui

que gentes (paullo aliter *Theophilus*) *animadvertere poſſumus, dominis in ſervos vitæ necisque poteſtatem fuiſſe.* Reſtringit hæc exemplum Hebræorum, qui occidi volunt occiſorem ſervi: reddita ratione, ut eradicetur malitia cordis, & crudelitas. Secuti hoc Ægyptii. Nec tamen peccat, qui occidit, ex cauſa capitali, & porrigente gladium lege: cujus ſit miniſter. Sed parentibus hoc injungere, quicquid ſentiant *Halitarnaſſeus & Bodinus*, inhumanum; dominis, periculoſum. *Nunquam enim iratus qui accedet ad pœnam, mediocritatem illam tenebit, quæ eſt inter nimium & parum.* Hactenus de ſervitute. Cujus inſtar, in familiis primis & paupertinis, operæ mutuæ & jumenta. Ac Caino haud dubie bos pro ſervo. à quo ſubjugandi vox & ritus.

ſui §. *al. Jur.l.*1 §. 1. *D. eode* *Exod.*21, 20. *ap. Diod. Sic. l.*1. *Bibl.* *Antiq. Rom. l.* 2. *de Rep. l.*1. 4. *Cic. offi. c.* 1.

IX. Ex his partibus familia magis primo, quam domus; & poſtquam liberorum erant liberi, familia ſeu pagus; & his auctis civitas quædam cognatorum, præſide omnium patre. Ad quem jure elogium *Philoſophi*, cautè acceptum redit: ὁ πρῶτος συστήσας, μεγίστων ἀγαθῶν αἴτιος. Imperium ergo prius, pacto de imperio; & divina conſtitutio, humana; & regnum optimatu, optimatus (ſi rectè ita nominamus,) libertate. Quorum fatalem circulum alii evolverunt. Imperium enim, quo propius unitati, eò eſt ſimplicius, atque in ſe perfectius. Exaucta hominum multitudine, ac proinde diſcrepante & ſibi gravi, è civitate primitiva derivatæ coloniæ, & ſeceſſum à diverſis;

Pol. 1, 2.

verſis; ut Caini grege. Cujus & urbs refertur,
H. S. lib. 1. Henochia. Nam *Sulpicium Severum*, circa conditorem, memoria fefellit. Inde aliæ aliæque civitates; ſociatæ tamen jure naturali, moderatore Deo, *rerum cui ſumma poteſtas*. Iidemque ſingulis reges qui genitores. Extinctis illis, tot reges, quot heredes aut paterno juſſu, vel pacto, prudentiſſimus. τὸ μὲν γὰρ δυ-
Ariſt. pol. 1, 1. νάμενον τῇ διανοίᾳ προορᾷν, ἄρχον φύσει. Talis autem naturaliter ſenior. Bona ſcilicet imperii, ratio & experientia oſtendebant; infirmiore etiam arbitratu. Seceſſionem excepit commixtio, ſeu migratio ex civitate in civitatem; matrimonii, aliisve cauſſis. quo laxata ſenſim cognatio, & corrupti mores, teſte
6, 1. & ſeqq. *Geneſi*. Imperia quoque varie acquiſita, vel mutata. Et hæc ſummatim de ortu civitatis; nunc explicatius.

X. Omnium rerum finis, in ordine agendi eſt extremum; in ordine ad agendum primum. At naturam ſequitur doctrina. Primum ergo inſpiciamus finem civitatis. Omne enim agens per intellectum, agit propter finem. Is autem homini duplex. Actio igitur hominis per intellectum, primario Deum, ſecundario ipſum reſpicit. Quare qui colunt aut inſtituunt ſocietatem civilem; moventur, certe debent, ſingulari voluntate DEI, & utilitate. Prior, vel eſt inſita, vel revelata. Illa ex ſuperioribus, hæc ex pandectis ſacris eſt petenda. Utilitas *peripatetico* eſt αὐτάρκεια, exquiſita voce. Quæ includit σωτηρίαν, ſeu ſalutem, ethnicis etiam conſecratam. Imago e-

jus

jus cornu Amaltheæ. Scienterque diſpertitur in τὸ ζῆν, cui gradui nomen eſt neceſſitas; & εὖ ζῆν. Quorum illud prius, natura & cura. Spectant hoc civilis ſacramenti formulæ, quæ averti damnum, procurari commodum jubent.

XI. Geminus finis hic ut teneatur, partim ab hominibus cautum. Inde civitas duplex: nata & inſtituta. Illa, quo ſimplicior, minus eget explicatione. Hæc illam penſat & imitatur. Juvet audire quomodo. Scilicet coëunt ſoluti, ut jungantur. *Omnibus idem animus.* Nullum jus majoris partis. Illum ſignificantes, paciſcuntur de civitate ſimul atque imperio. Sapienter itaque *rex Philoſophorum*, principio divini operis *de Rep.* civitatem velut in baſi, collocat in juſtitia. Quam πολιτικόν τι vocat. Cœtum itaque paciſcentium, pro concione ſuffragantium, ſeu *Democratia*, accipit *Hobbius*: à qua reliquas formas ducit. Quo ex placito ſequeretur, civitatem tunc, cum ſit, jam eſſe. *Elem. de cive, c. 7. §. 5, 8. & 11.*

XII. Duplex vero pactum memoravimus; de civitate & imperio. Prius de priori. Societas eſt inter plures. At hi, qua plures, diſſociabiles. Opus igitur, ut dictum, unione, ſeu conſenſu. Qui in eo vertitur. Societas cum ſit finis cauſſa; ſociorum eſt, ad finem pariter moveri. Nec autem motus hominis uniformis eſt, ut naturalis: ſed contigit illi etiam aliter moveri. Opus igitur vinculo & vi quadam. Sicut tauros jugum continet, ne in diverſa

diverſa tendant. Tale vero, pactum, vim ſuperioris minitans. Inde nomen obligationis, & mos jungendi manus, junctarum voluntatum ſymbolum. Summa proinde hujus pacti; finis; id eſt, præter concelebrationem numinis, cohabitatio & auxilium mutuum: quod eſt in conjunctione voluntatum ac virium: verbo, ſtudium boni ſocialis impenſius atque propius. Obligatione enim hac civili naturalis & adſtringitur & determinatur. Nec ideo, quod non nemo poſtulat, civitati, quam univerſo collectivè ſumto, es devinctior. Quale pactum, ut naturæ deſtruens, foret irritum. Lex eſt naturalis, Bonum privatum cedat publico. At in comparatione civitas eſt privata, mundus civitas, Socrates *κοσμοπολίτης*. Quæ fatetur, qui permittit, in univerſum ſalubria & vera, civitati ingrata, aliquando ſcribi. Nam &, quod omnibus, ipſi expedit civitati. Primitus autem pactum hoc tacitum, mox apertum: acceſſit, malitia creſcente, jusjurandum. Quo citra reſpectum imperandi vel parendi cives omnes, ut cives obſtringuntur. Ideoque ſummo imperio nihil detrahit. *τῶν πολιτῶν, καίπερ ἀνομοίων ὄντων ἡ σωτηρία τῆς κοινωνίας ἔργον ἐστί.* Eminenter tamen obligati cenſentur imperantes. Nam *res eſt publica Cæſar.* Inde connexio & reciprocatio utilitatis principis ac populi. Sicut eadem ſalus navis & naucleri. *Non pacem*, ait ille, *non concordiam, non ſecuritatem, non opes oramus, non honores: ſimplex, cunctaque iſta complexum unum omnium votum eſt,*

Ariſt. pol. 3. 3.

G. Juret. ad Symmach. Ep. 3, 55.

Plin pan. 94. add. c. 33. & 72.

ſalus

ſalus Principis. Exemplo ſit Julius. De quo *Tranquillus* & *Seneca.* Ivit hæc res in theatrum, ac ſolennia vota & formulas. Ex qua, præclara ſunt, quæ eliciunt *idem auctor*, *Tiberius Taciti*, *Juſtinianus*, *Panegyriſta Conſtantini*, *Grotius*, *Ameſius*, *alii.* Nos illud: tyrannos non tam id peccare, quod utilitates ſuas unicè ſed quod malè curant. Niſi populariter loquaris. Nec ex ſentibus uva, nec ex vitio vera utilitas. Dialectici igitur mali conſequentia non vident. Adeoque imprudentia pleraque & ſe præcipitant. Ex quo claſſes principum ſubnaſcuntur quinque. Prima ad remp. Platonis pertinens, ex amore flagrantiſſimo virtutis ac populi, ad hunc omnia refert. Secunda, in qua principum optimi, ſecundario gloriam ſuam & reditus ſpectat. Tertia & frequentior, in ſua præcipue commoda, non ſine labe fertur. Quarta, nullo in ſuos affectu, ſibi tantum, adhuc tamen abſque malo publico metit. Ultima, odio in ſubjectos, nec horum, nec adeo ſuum ſectatur bonum. Tyrannidis nota, quam ſuperbiæ nomine ſignant veteres. Extremitas ejus eſt, Cajanus furor.

In Caſ. c. 86.
De clem. 1, 4.
De clem. 1, 5.
Annal. 4. & 8. l. un. §. 14. C. de caduc. toll.
Paneg. c. 9
de J. B. 2, 1. 8.
de Conſc. 5, 25, 13.

XIII. Quia de cætero pactum hoc mutuum; dum obligamur, obligamus. Quod jus civitatis appellatur. Proinde finiatur: fruendi plene civitatis commodis facultas. Plenè: qui enim partim, conſummatus non eſt civis. Eô differunt, civem, & in civitate eſſe. Ipſorum civium alii magis tales, alii minus. Commodis jus hoc conſtat, non oneribus. Etenim

enim jus commodo, obligationem onere metimur. Illud enim addit; hæc adimit; adeoq; eſt defectus juris. Poëta, ajunt, naſcitur, non fit: quatenus natura præſtat arti. Civis vero; aut fit, aut naſcitur. Inde jus civitatis hereditarium, vel quæſitum emtione, vel donatione.

XIV. Juris hereditarii reſpectu civitas appellatur patria. Quam vulgo de nativitatis loco exaudiri, notorium. Erga hanc ut talem, obligatio nec extat, nec deſideratur. Sufficit enim continendo univerſo jus humanitatis ac civitatis. Interim diligitur; idque vel qua locus eſt originis, vel nominibus aliis & hinc alienis. Prius eſt ex ratione, & aſſuetudine. Nam & cum loco, boni ibi accepti reminiſcimur: &, ut P. Syrus habet, *graviſſimum eſt imperium conſuetudinis.* Exempla obvia & teſtata ſunt, Ulyxes (cui *Neritos ardua ſaxis potior* immortalitate) Abrahamus, alii. At fingi poſſunt alia, quæ hos moverint. Eſto. tanquam non unius rei plures queant eſſe cauſſæ: *Ovid. de Pont. 1, 4.* aut non ſit *amor patriæ ratione valentior omni.* Poſterius ex natura eſt, & ratiocinatione utilitatum. Sed natura vel accipitur de inſtinctu, uel de jure. Ille vel eſt univerſalis, quo omnes adæque concitamur, ex principio univerſali & interno: vel particularis, qui pro diverſitate loci diverſimodè movet, de quo *Barclaii Icon* *c. 2.* *animorum.* Per hunc natali ſolo conciliamur. ſed hæc in tranſitu.

XV. Sequitur pactum de imperio. Nam & hoc cum maxime ad formam civitatis pertinet

tinet. Dictum enim, contineri multitudinem unitate, unde provenit; hanc fide mutua. Ne hæc quidem ſufficit. In multitudine quippe ineſt numerus, in hoc primum, id vero perfectiſſimum. Erit igitur in civitate primum. Deinde ſocietas eſt totum; hujus verò partes; harum cohærentia quædam & aptitudo. Opus igitur vi interius continente; pacti ſuperioris vindice. Tertio ſocietas eſt hominum: qui diſſimiliter agunt, liberi voluntate, ingenio diverſi, maxime poſt lapſum & eclipſin rationis.

Quot homines tot ſententiæ: ſuus cuique mos. Opus igitur ratione, dirigente ad finem. Sicut tauris agitatore. Illud vero primum dignitate, continens vi, dirigens ratione, quo ad unitatem porro redigitur atque exigitur multitudo, in civilibus imperium vocatur, & ordo. Similis animæ in corpore, ducis in chorea & exercitu, gubernatoris in navigio, primi mobilis in cœlo, DEI pythagorici in mundo, de quo Poëta: *Æn. 6.*

Principio cœlum ac terras, campoſq; liquentes
Spiritus intus alit: totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Imago ejus rei in apibus. Qui igitur in civitatem, conſentiunt etiam in imperium, atq; adeo ſubmiſſionem aut donationem regni ſui. Et hoc pactum primum, reciprocum inter cives, de imperio. Secundum hæc conſultando, decernendo, conſentiunt omnes, ſi manere cives velint; in unum pluresve: quorum voluntati,

 reliqua

reliqua ordinaturæ voluntates omnium cedant. Quæ ceſſio, ſi non re, effectu idem eſt, quod conſenſus, & reſpectu primæ conſenſionis. Fictum inde nominaveris: qui vero, ut non impetrabili,ſuccedat.Eminens illa voluntas, cæterarum norma boniq; communis definitio, lex vocatur.Legislator autem eſt Imperans.Cui, ut ſit talis, civium hæc voluntas declaranda & firmanda: ſicque colligandi bini ordines, in quos ſocietas diſceſſit. Inde pactum alterum, inter cives & imperantes,non reciprocum. Nihil enim hi, qua tales, transferunt, ſed jus acquirunt. Quocirca eorum vitia aut officia,in pacto civitatis,cujus membra ſunt, quærenda.

XVI. Ex his apparet genius imperii civilis: quod & ſupremum dicimus, & eminens. Ampliusque apparebit, ex obſequio huic oppoſito. Si præſertim & reflectare ad finem civitatis: qui modificatur actiones civiles. Nec exſcribo, qui doctè majeſtatis jura ex hoc fonte derivarunt, explicarunt, partiti ſunt.Nam & miſerum, debere; & inſanum, actum agere. Illud adjungemus, naturalem horum jurium eſſe ſeriem. Partes enim toto, & illarum una prior altera. Sic naturâ prius eſt jus belli, quam pacis; judicii, quam belli, legis quam judicii. Poſteriora, quæ ponunt malitiam, multitudinem, aut uſus rariores.Hæc jura qui peritè rebus applicat, bonus Imperator ſalutatur.

XVII. Obligatio hinc enaſcens, obſequium

um civile dicitur. Eſtque in ſubjectione libertatis, vel abjectione, pro conditione pacti. Continetur autem illâ, jus in vitam, quâ nobis datum eſt, patria & herilis poteſtas, dominium, denique actiones, quâ ad propoſitum finem ducunt. Subjicitur jus, ut in principatu. Neque enim ceſſat planè, niſi in concurſu publicæ utilitatis. Quæ cognitio eſt imperii. Nam, *ut Cicero* ponit, *hanc ob cauſſam maxime, ut ſua tenerentur, reſp. civitatesq; conſtituta ſunt.* *Offic.* 2. Inde Paradoxon, ſub principe liberi. Et illa *L. Craſſi* ſapientiora, quam ut ſerio mereant argui. Nam *M. Tullium* excuſaverit ratio. *Paradox.* 5. *Eripite nos ex ſervitute*, inquit: *nolite ſinere nos cuiquam ſervire, niſi vobis univerſis, quibus & poſſumus & debemus.* Abdicatur, in dominatu. Et hoc vel partim, vel omnino. Ex his principatus ac dominatus indoles patet. Erudite ſane dicitur Dominus, contra quam princeps, primario ſuum, ſecundario ſuorum bonum cogitare. Sed quandoque hæc converſa. Nam, ut mores ſunt, quot principes ſe maxime reſpectant? Contra, domini quidam ſuos, exemplo Pharaonis & Joſephi. In familia idem uſu venit. Vidi ſervulos ipſorum cauſſa aſſumtos, & parentes, qui liberorum fortunam impedirent, ut expedirent ſuam. Obligationem hanc qui colit, bonus ſubditus audit.

XIIX. Sed ſi comparemus has obligationes; civis tenetur ad curam boni civilis, non hujus vel illius, nec vulgarium tantum, ſed

moraliter omnium, id eſt, poſſibilium. Plus tamen Imperantes: quibus plus virium adeſſe intelligitur. Sicut ergo curantium, ita in curantes obligatio infinita. Ipſam quippe vitam continet excellentiſſimus hic finis. Obligationem tamen univerſorum, maximeque imperantium, ſuperat obligatio ſingulorum ac parentium. Fundamentum gratitudinis. Imperium enim res periculoſa, ardua, divina. Equidem ſinguli illuc conferunt; ſed velut guttam in Oceanum, & ſibi. Quamobrem, ut filius, ita civis ἀεὶ ὀφείλει. Præſertim civitate conſtituta, non conſtituenda receptus. Primi enim neceſſarii ſunt, reliqui voluntarii. Quare ſic ſpondere videntur:

Non erimus regno indecores, nec veſtra feretur
Fama levis, tantique aboleſcet gratia facti.

Non laudandi igitur, qui ſolicitant probam, utilem & antiquam ſententiam, omnia patriæ efficaciter deberi. Imperio maxime reſpondet honos. Eſt enim ἐν ὑπεροχῇ ἀγαθοῦ τινός. Animo enim providet. Quare honor, qui excellentiam reſpicit, à ſubdito debetur maxi-

Rom. 13, 7. mè. Eoque copulat *S. Paulus* φόβον & τιμήν.

XIX. Exemplum obligationis imperantium nunc eſto, cura prolis (quæ, ut naturæ, ita his erit prima) in eaque *raptæ ſine more Sabinæ.*

De Civitate Dei 2, 17. In quo, ut *Auguſtinus* rapientes æquè ac non dantes damnat; ita hos bello vindicari potuiſſe judicat. Illud, niſi quod Romuli propoſitum laudamus, rectè. Nam & matrimonia

nia libera, & virgines alieni juris, & tantum in vicinia quæſitæ, nec id neceſſitate, juxta quosdam, ſed cupidine bellandi, aut adjungendi ſibi neceſſarios, & per cauſſam religionis. An huc addimus, negatas metu, & averſatione illius colluviei, & bonis conditionibus repetitas? At de altero dubitare fas ſit. Quæ enim vi, etiam conſilio juſte vindicantur. Bellum enim juri obſtantia tantum removet, ultima ejus ratio. Dirumque adeo & ſtolidum per vulnera petere, quod in promtu ſit. In quos igitur non eſt jus, in eos nec vis juſta niſi contemtum bello dignum affuiſſe doceas. Ad parentium civilem obligationem pertinet hiſtoria, ingens gaza reip. Sed quid illâ faciendum, in conflictu veritatis & utilitatis publicæ? poſita ſcribendi voluntate vel neceſſitate, qui hiſtoriam promittit, obligat ſe tacitè ad promulgandam veritatem. Tum hac, vera æſtimatione, nihil publicè utilius; etiam cùm mordet. Juſtitia enim virtus eſt civilis. At inter officia ejus ponit *libellus* περὶ ἀρετῶν adſcriptus *Ariſtoteli*, τὸ ἀληθεύειν. Interim fallunt, qui hiſtorico indiſtinctè legem dicunt, *Ne quid veri non dicat.* Ne probemus, quod in *Guicciardino* damnat *Lipſius.* Obligationem ſubditi attingit quæſtio de obſequio contra conſcientiam rectam. Quod permittunt quidam extremè periclitantibus, mendosè. Deum homini poſtponunt; nec ſatis horribile concipiunt peccatum. Neceſſitas excuſat, non abſolvit. Neque patiar, utile cum honeſto

Not. ad Pol. 1, 9.

honeſto confundi. Tutela enim corporis, ingruente illa, à præſumta judicis voluntate pendet; executio legis, ut ſic dicam, tacitæ. De tranſitu armato, qui tam crudè vulgo debitus jure gentium dicitur, videro in Diebus Feriatis. Poſtremo, in ſe malum, ex accidente non fit bonum. Nam qui meram executionem urgent, primò fingunt. Executor enim jubentis voluntati ſuam conformat. Deinde hoc dubitant, an Deus membra, ſcelerum inſtrumenta, rectè damnet orco. Certè ego alieno periculo peccare in re liquida nolim.

XX. Quid vero extinguat obligationem civium, poſt alios docet *Cl. Puſendorfius, de obligatione erga patriam.* Sed hæc omnia forſan explanatius, atq; his plura, cum vacabit.

S. D. G.

JOH. LUDOVICI
PRASCHII,
DE
MENDACIO
Σχεδίασμα.

AD V. CL.

JO. HENRICUM
BOECLERUM.

Σ. Θ.

Quid ſit Mendacium, BOECKLERE AMPLISSIME, definire, quemadmodum ſcis, in arduo eſt. Eoque factum, ut ſcriptores, ſi usquam, certe in hac quæſtione longiſſimis inter ſe ſpatiis diſſiderent. Nonnulli omnem, non falſitatem quidem, ſed fallendi voluntatem, invidioſa hac appellatione, cenſent; aſperiorem ſententiam aut veritati, aut profeſſioni ſuæ convenientiorem judicantes. Alii contra, quorum maxime ſunt Romanenſes, ne fraudes quidem & captionum ambages in communionem hujus nominis & infamiæ admittendo, quid ſophiſtam potius, quam virum bonum deceat, oſtendunt.

Et hos quidem judex, quam Philoſophus, refutaverit melius: quanquam in iis coarguendis multi viri graves & cordati ſtilo non pepercerunt. Mihi vero cum illis maxime negotium eſt: neque enim tolerandum videtur, ut conſcientiis hominum, quaſi parum alias conſtrictis, injiciantur laquei; in tali præſertim argumento, quod per omnem vitæ humanæ ſcenam latiſſime patet. In primisque reip. moderatores certiores fieri oportet, quo usque ſimulare ipſis & diſſimulare, id eſt, imperare ſit permiſſum.

Longe enim abſit, ut imitemur Lipſium, Polit. lib. IV. cap. XIV. quod caput vere caudam ſerpentis dixeris: in quo cum diſſimula-

tionem & mendatium fraudibus à virtute deviis & peccatis modicis annumeret, ſuadere tamen haud veretur ; diſtinguens ſimulationem publicam à privata. Nobis ut dubium non eſt, quæ in ſe mala ſint, ea & imperantibus mala eſſe ; & reſpectum boni publici minuere ſcelus poſſe, tollere non poſſe ; legemque Ciceronis, *Salus publica ſuprema lex eſto*, interpretationem capere ex ejusdem lib. III. de Offic. quo, quid vere ſalutare ſit, abunde exponitur : ita ſimulationem, in verbis juxta & factis, ſimpliciter malam judicare non audemus.

Quod ſi dixerint aliqui (neque enim defore ſuſpicor, quibus talia in mentem veniant) conſilii eſſe, quo in tanta hominum perverſitate facilius ibi, ubi oportet, conſiſtamus, intendi hæc potius, quam remitti ; juxta illud, agricultoribus in arbuſculis moderandis non ignoratum, Ἄκρον λαβὲ, καὶ μέσον ἕξεις : quæ ratio philoſophandi, Stoicis olim probata, hodieque ſuos amatores invenit : eis reſpondebo, nihil in his conſultius eſſe, nihil juſtius, nudæ veritatis ſtudio ; maxime ubi veritas ipſa diſputationis argumentum eſt.

Neque vero in præſens omnia illa contrahere animus eſt, quæ mendacii naturam abſolvunt, aut illuſtrant : id quod juſti & accurati libri, non brevis & extemporalis ſcripti foret : tum hæc materia à plurimis viris doctis docte eſt jam polita. Etſi definitione, ut rerum omnium, ita mendacii probe intellecta,

nihil fere, quod huc faciat, non ſimul intellectum & quaſi anticipatum iri ſpero: ut una innumerabilium præceptorum inſtar eſſe poſſit. Quare hæc ſola cura me attingit, ut illa compoſita, & utcunque expoſita, florentium quorundam ſcriptorum ſententias ad vivum reſecem: quod nequaquam decorum pudori meo crederem, niſi & propter verum, & de vero inſtituta eſſet hæc tractatio.

Tibi autem, VIR PRÆCLARISSIME, lucubratiunculam hanc inſcribo: primum ut meritorum, quibus me per triennium illud vindicaſti tibi, quo tecto, menſa, penetrali tuo uſus ſum, publicum hoc extaret monumentum; utque ad te potiſſimum, ſicuti par eſt, redirent fructus ex eo, quod tua induſtria ſevit: deinde ut ab immortali tuo nomine ſcripturæ fœnerarem decus: poſtremo ut de mendacio & veritate differens, non præceptis modo rem gererem, ſed, more in hoc Philoſophiæ vel genere, vel parte, à litteratiſſimo quoque cuſtodito, eximium veritatis exemplum (talem te vita & ſcripta probant) velut intento digito cunctis oſtenderem. Quibus ex cauſſis ſaltem veniam, ſpero, dabis meæ vel fiduciæ, vel temeritati.

Ut igitur tandem ad propoſitum veniam, liquet ſane mendacium eſſe actum; actuum vero alios quidem bonos, alios malos; idque aut ratione phyſica, aut ethica. Bonum mendacium non eſſe in genere morum (conſideratio enim naturalis bonitatis non eſt hujus

fori)

fori) atque adeo nomine ipſo involvere vitium, hoc argumento intelligitur, quod abhorrent ab eo viri boni, quod cœleſtibus interdictis ſimpliciter damnatur, quod veritati, rei haud dubie probatiſſimæ, adverſatur. Quotiens igitur bonum quid hoc nominis ſibi ſumet, veluti poëſis ſeu prophetia (cujus rei exemplum habes apud Curtium, lib. III. cap. I.) aut injuſta erit uſurpatio, ex ignorantia vel convitiandi libidine orta, aut remiſſiore ſignificatu, planeque καταχρηστικῶς & ex more vulgi magis, quam Philoſophorum, mendacium audiet.

Dicitur vero quid vitioſum, aut materialiter, aut formaliter. Illo modo peccat imprudentia: quæ cum involuntario æquiparetur, magisque adeo ἡμίεργος πρᾶξις, ut Philo nominat, aut, ut ego mallem, ſemivitium ſit, quam verum ac judicem metuens vitium, extra fines hujus diſputationis merito collocatur. Quanquam & imprudentia uniusmodi non eſt, ſed itidem ut culpa (cujus diſtributionem, in latam, levem, & leviſſimam, à ſcriptoribus juris civilis acceperunt & explicarunt juris naturalis conſulti) gradibus ſuis diſcernitur. Quo pertinet illud Auguſtini, ex Enchiridio: *Non mendacii, ſed aliquando temeritatis arguendus eſt, qui falſa incautus credit, ac pro veris habet.* Nempe ut omnia Germana delicta, ſic mendacium, ex ſcientia, &, quod ſceleris faſtigium eſt, conſilio provenit.

Nec vero ullam temere invenias vocem, quæ

quæ hujuſcemodi actum melius exprimat, appellatione doli. Etſi non ignoro, apud interpretes legum non reperiri tantum *dolos ex propoſito*, ſed etiam *re ipſa.* Illud tamen ſi datur, ut ſpero; jure optimo dixeris, MENDACIUM EST DOLUS: inventumque adeo genus proximum, & conſtitutum eſt principium definitionis. Neque enim eſt, ut auſcultemus illis, qui dolum in faciendo, fraudem in loquendo, *ἀπὸ τοῦ φράζειν*, repoſitum eſſe volunt. Sed vocabulum doli duos habere maxime videtur intellectus. Nunc peccandi notat propoſitum, quod formale eſt peccati: quo ſenſu contrarium eſt culpæ. Crebrius tamen reſpicit cauſſam peccati & ultimum gradum, malitiam ſcilicet, ut oppoſitam habet imbecillitatem, & conjunctam inſignem noxam; Ulpiano eſt, *magna & evidens calliditas*: qua ratione dicitur infamare, ac parare actionem de dolo. Priori modo, ex animo; poſteriori, ex animo improbo, æſtimatur. Sed nos de priori maxime nunc accipimus: delictum enim, non delicti gradum aliquem, deſcribere in mente eſt.

Reperto genere mendacii, exquirenda eſt differentia propria. Eam aliqui collocant in falſiloquio; quod natura ſua malum, ſemperque conſcientiæ adverſum putant; adeo quidem, ut nec officioſum, quod appellant, aut joculare probent. Sententiæ hujus Princeps, Doctor Hipponenſis, integro lib. de Mendacio, in quo octo numerat mendacii genera: quem

quem poſt alios propugnat Hornejus, Ethic. lib. III. cap. X. laudans etiam verba philoſophi: *Per ſe enim* (quod vide ut explicet H. Grotius, de J. B. & P. lib. III. cap. I. num. 9. cui quidem ſuffragari nequeo) *mendacium improbum eſt & vituperabile; verum autem probum ac laudabile.* In Græco eſt: καθ' αὑτὸ δὲ τὸ μὲν ψεῦδος φαῦλον καὶ ψεκτόν. τὸ δὲ ἀληθὲς καλὸν καὶ ἐπαινετόν. Eadem fere in ſequentibus reponit.

Nos fatemur, non loqui falſum, vitium non eſſe (niſi caritatis lex diverſum imperet) immo virtutis quandam excellentiam, & altitudinem animi: propter quod Epaminondas ne joco quidem mentiri ſibi permittebat. Et hactenus ferri poſſunt, non ex Ariſtotele tantum adducta, ſi φαῦλον etiam notat *vile, abjectum, contemtui opportunum*; verum & illa Thomæ, qui hominem homini ad veritatis profeſſionem obſtringit, *non tantum ex debito legali, ſed etiam morali, ſeu non ſolum propter juſtitiam, ſed & propter honeſtatem.* Siquidem & honeſtas eſt biformis, & virtutes morales tribuuntur in neceſſarias & minus neceſſarias; immo virtuti neceſſariæ ineſſe aliquid poteſt minus neceſſarium.

Id quod exemplo fugæ declaramus. Turpe eſſe, deſerere aciem, aut caſtellum hoſtili manu circumſeſſum, omnes judicant: ideoque magnanimum huc videas ægerrime deſcendere, & dedignari vitam tanto exiſtimationis ſuæ diſpendio emtam. Si tamen rationes reip. revocent, in qua præſertim non ultimo

ſis

ſis loco, ſi velut, receptui canat deſperatio victoriæ, & prudens neceſſitatis (quæ & fidei limites ſuos præſcribit) ratiocinatio, age, non terga potius, quam frontem, dabis? non pertinaciam, virtutis vultu arridentem, caritatis officio poſtferes? Proinde notabili ſapientia, cum in prælio Cannenſi Varro cedere, Paullus cadere mallet; priori publico nomine *gratiæ ſunt actæ*, *Quod de rep. non deſperaſſet*, teſte Floro, lib. II. cap. VI.

Ceterum quare improbitas Styge digna ſit, à re diverſum loqui, non videmus: cum nec omnis diſcrepantia, nec omnis exteriorum ſignorum ab interiore rei forma diſcrepantia, ut maxime ab animo fallendi, id eſt, objiciendi erroris innoxii (noxium enim ipſimet averſamur) ſit profecta, contineat ilico peccatum; ut vel naturæ & artium exemplis conſtat. Et quiſquam vitio nobis vertet, ſi tam animoſæ aſſertionis poſcamus rationem? Non equidem me clam eſt, delictorum numero quædam inferi, in quibus ratio interior delicti, hoc eſt, declinatio à legis æternæ linea, monſtrari ad oculum in tanta humanæ mentis caligine nequeat. In hac tamen quæſtione, ubi & alia certa indicia deſunt, & rationes in contrarium abundant, & diverſum opinantes probandi onus ultro in ſe recipiunt (nam nec, qui nihil probant, probari poſſe negant) merito illa poſtulari videatur.

Hic vero inter ſe ipſi diſſentiunt, qui à nobis; non absque ſuſpicione videlicet malæ

cauſſæ,

cauſſæ. Diverſas enim diverſi, interdum & iidem, rationes annumerant, arceſſitas, ut ſummatim dicam, vel ab effectu falſiloquii, qui apud audientem ſit impedimentum libertatis in intelligendo & judicando, cujus duplicem iterum fontem ſtatuunt, naturam, & factum hominum; apud dicentem dehoneſtatio linguæ, & jactura fidei, plurimorum officiorum remora: vel ex adjunctis, animo humili & abjecto. Sed harum & ſimilium rationum partim τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνει; partim (quo referamus & teſtimonia ſcriptorum θεοπνεύστων, exemplumque Dei) ad mendacium verum, maximeque cum violatione fidei conjunctum, quod & nos damnamus, pertinent; partim, quo nituntur, debilitate ſua non perveniunt.

Libertatis intelligendi, ut dictum eſt, gemina iterum affertur cauſſa. Phil. Melanchthon in Epitome Philoſ. Moral. An. M D LIV. Witebergæ edita, lib. I. hanc exponit: *Quia Deus & creaturæ rationales tales ſunt, ut res intelligant.* Sane & Deus, & homines, diſſimili quamvis modo, intelligunt: ſed nec, qui falſum audit, non intelligit; neque à facultate naturali ad moralem argumentando licet progredi. Quanquam igitur Deo ſemper, hominibus interdum verum eſt fatendum, fatendum tamen eſt ex alia cauſſa. Ac de hominibus quidem poſtmodo. Deo autem verba dare ex eo piaculum eſt, quod & ſciendi poteſtatem habet, ut ſummus judex & αὐτο-

κέςτως

κράτωρ, & ipſo actu ſcit omnia: omniſcium autem celare veritatem, eſt irridere & contemnere. Ideoque Caini inficiatio non tam ex verbi falſitate, iudicanda eſt, quam irreverentiæ, inobedientiæ, impœnitentiæ ad fratricidium acceſſione.

Grotius in divino opere de I B. lib. III. cap. I. num. 11. libertatem illam colloquentibus debitam (pro jure enim, cui reſpondet obligatio, accipit) derivat, quanquam ſubtimenti ſimilis, *quaſi ex pacto quodam tacito.* Nihil opus eſt, puto, iſtac fictione. Quæcunque enim non natura, ſed pactis hominum, tacitis maxime, conſtant, ex utilitate, eaque ſingulari, & oriunda, & æſtimanda ſunt. In eo autem, ut quævis alterius dicta intelligas, quid tantum compendii ſit, non reperio. E contrario, ut integram quisque habeat libertatem, vel ſilentio, vel, ſi intutum hoc remedium (ſæpe enim vim, perſuaſiones, conjecturas provocat) idoneis coloribus tegendi quæcunque ſine alterius damno, aut etiam cum fœnore, ignorantur, plurimum refert. Itaque ſi omnes ac ſingulos homines interroges, dicturos arbitror: nec ſe in certam, ut ſignorum aliorum, ita vocum formam aliter conſenſiſſe, niſi quatenus id reciproca quemque utilitas cogat; & quæ dicant, intelligi equidem velle; intelligi vero, ut res eſt, omnia nolle: ne tot judices ſortiantur, quod congerrones. Quippe eatenus demum id deberi, ſi res, quæ in colloquium veniunt, auditoris utilitatem ſpectent:

ad hoc vero ſufficit commune juris naturalis præceptum, civili etiam inditum, *Alterum non lædere.*

Subſenſit hæc partim ipſe Grotius: ideoq; vagam iſtam libertatem nonnullis coërcuit præceptis. Quæ ſi ad calculum revoces, putes, quantum ad primum, rationem quam is velit, proximam non eſſe: niſi forte in adultos non licet, quod in prætextam ætatem Lucretius licere voluit. Ne dicam Feldeno dicta: qui tamen rationem meliorem non dedit. Graswinckelii reſponſum generalitas rationis Grotianæ deſtruit. Secundum indiget cautela, ne prodeſſe poſſit fraudi; exemplis hoſtium non indiget: quos alio nomine, etiam directe, falli poſſe, ipſe in loco docet. In tertio, ut ſemper, *læſionem judicii* (ita vocat, cum aliud pro alio credimus) malum putat: id quale ſit, non aſſequor. Certe ipſi ſubinde nos fallimus, & falli, ut Menedemus ille Terentii, gaudemus. Quod de præſumta voluntate addit, ſemper bonum ſuum velle ſani omnes exiſtimantur. De quarto actum abs te eſt, EXCELLENTISSIME BOECLERE, de Domin. Exim. ſ. *Ponit Grotius.* Feldenus ad jus judiciorum reſpicit. Sed quomodo hæc ad Joſephum? Quos diſtinguit medicos, exæquare videtur languentium ſalus. Deo non convenire mendacium, verum eſt; convenire ſimulationem aliquam, libri nos docent myſtici.

Non tranſeunda eſt illorum opinio, qui argumen-

gumentum capiunt ex fine orationis; quæ, cum mentis ſit interpres, contra ordinem naturæ in falſiloquio huic repugnet: ideoque in ore & odio ſcriptoribus ſunt *duplices*. Qui mihi quidem reſpicere videntur ad juſtitiam illam Platonis univerſalem, primam & privatam, poſitam in temperamento & harmonia partium corporis inter ſe: quæ retinetur, cum animo, tanquam ὑπάτῃ, ceteræ vires omnes ac membra conſonant. Et ſane, quamvis improprie, elegantiſſime tamen, atque ad inſtitutum ſuum oratorium accommodate, hunc in modum de juſtitia diſſerit Plato, &, qui Platonem jure ſuo ſequitur ac declarat, Ehemius: quæ rectius forſan monuiſſet, quam refutaſſet, Hornejus, Eth. lib. III. cap. XI. num. X. Sed nec omnis inferiorum facultatum imparentia crimen habet, nec vera æſtimatione in hoc negotio aberrationem à fine loquelæ, aut deſtructionem ullam harmoniæ inter linguam & mentem deprehendo.

Nimirum imperat hæc cum maximè, &, quod imperat, obtinet: quæ ſuapte natura in omnes partes tam flexibilis eſt, ut cogitationes & ſententias, quamlibet diverſas, diverſo tempore poſſit ſumere, exuere, reſumere, prout aliqua honeſtatis vel utilitatis ratione impellitur; immo & nulli, aut pluribus ex æquo accedere; aut huic favere, de illa interim ſcrupuloſius angi; denique duas ſuſcipere ea lege, ut altera occultetur, altera, quo felicius hæc poſſit occultari, proferatur: ferme ut is, qui the-

ſaurum defodiens, ſuperinduxit flumen, quo magis crederes, nihil præter ſteriles arenas ſubeſſe. Et quamvis hanc ſine aſſenſu & ad tempus foveat, alteram cum aſſenſu, tamen hoc parum valet ad rationem peccati demonſtrandam: illud potius quærendum ſit, qua de cauſſa occultatio fiat.

Quoniam perluſtravimus diverſæ partis rationes, age, noſtras quoque in aciem producamus: quibus conſtet, non omnem rationem falſam, & fallendi conſilio emiſſam, eſſe crimen. Omnium, quæ falſo jactantur, duplex eſt conſideratio: ſpectantur enim ut voces, & ut falſæ. Quatenus falſæ, nihil ſunt, nonens ſunt: cujus ut nulla qualitas, ita nec bonitas moralis, nec malitia; niſi ſingularis aliqua circumſtantia forinſecus accedat. Jam quatenus voces, bonum ſunt, & quidem à natura homini datum. Bonorum autem naturalium ea eſt indoles, quod, ut præclare Comicus, *perinde ſunt, ut illius animus, qui ea poſſidet: Qui uti ſcit, ei bona; illi, qui non utitur recte, mala.* Ex quo efficitur, in mendacio definiendo non tam voces attendendas eſſe, quam animum, qui eas regat, & fontem, à quo cadant; atque adeo falſiloquium cum innocentia ſtare poſſe, ſiquidem animus ſincerus ſit: contra quam Hornejus ex Auguſtino præcipit, qui *nullo bonæ cauſſæ obtentu, nullo quaſi bono fine, nulla velut bona intentione,* eo utendum eſſe rentur. *Quapropter*, Fabio auctore, *ut res feret, flectetur oratio, manente honeſta voluntate.* Am-

Amplius, quod non poteſt ſecus dici, quam revera habet, id nec taceri poteſt. Ille enim, quicum agis, aut ſciendi jus habet, aut non habet. Si hoc, injuriam non accipit: ſi illud, exercitium hujus juris æque ſilendo impeditur. Ignorantia enim, cujus genus quoddam eſt error, cum hoc jure maxime pugnat. Quandoquidem igitur, vel adverſariorum confeſſione, multa ſecretum quærunt, quod violare vel ſtultitiæ ſit, vel perfidiæ; quare prohibes alium rei habitum induere, quam & abſcondi ſinas? quare das finem, medium negas? aut, cum unum medium, quod ſilentium eſt, indulgeas, cur alterum, idemque magis tale ſeu commodius priori, involucra verborum, adimis? Quo apparet, quæ liceat non dicere, eadem aliter dicere, ob rationis ſimilitudinem, licere.

Illud quoque non ſuccurriſſe adverſæ parti miror, quod, quæ facere, ea multo magis dicere fas ſit. Atqui multifariam ſine reprehenſione peragimus, quibus alterius judicium fallatur. Ergo deterioris conditionis erunt verba, quam opera? ergo falſam gemmam digito induere, & ut veram oſtentare liceat; veram dicere, citra jusjurandum ſcilicet, aut vendendi animum, non liceat? an quicquam intereſt, viſui fucus fiat, an auditui? niſi vero delicatior aurium eſt, quam oculorum, ſenſus. Quid? fidem etiam, quæ evidentioris juris eſt, recte aliquando fallimus; & religio erit nudis verbis fallere? Non ita viſum Ciceroni, qui Offi-

cior. I. utrumque copulat : *Incidunt ſæpe tempora, inquit, cum ea, quæ maxime videntur digna eſſe juſto homine, eoque, quem virum bonum dicimus, commutantur, fiuntque contraria : ut, non reddere depoſitum, etiam ne furioſo promiſſum facere, quæque pertinent ad veritatem, & ad fidem, ea negare interdum, & non ſervare, ſit juſtum; referri enim decet ad ea, quæ propoſui in principio, fundamenta juſtitiæ : primum ut ne cui noceatur : deinde, ut communi utilitati ſerviatur. Ea cum tempore commutantur, commutatur officium, ut non ſemper ſit idem.*

Accedit huc, quod boni viri & prudentes, quos in virtute æſtimanda reſpicere diligenter & erudite philoſophus monet, mendacii vocabulum quidem execrantur; adeo ut in ſolemnem affirmationis formulam iverit, *Mentior, niſi hoc factum eſt*, docente Jureto ad Symach. lib. IX. epiſt. XX. Iidem tamen falſa quam ſæpiſſime dicunt. Neq; enim David & Jehu, ſancti & principes viri, fallere timuerunt: ille, dum geſtu, haud dubie etiam verbo, quo magis ſcenam impleret, mente captum imitatur, quod idem de Solone produnt; hic, dum ementitur idololatram. Quæ exempla comendat ex Hieronymo Jus Canonum, cauſ. XXII. qu. II. can. XII. quod Jus, dum & contrariam Auguſtini ſententiam recipit, quam pulcre ſibi conſtet, arguit. Huc addatur Rahab, Joſ. II, IV. Jonathan, I. Reg. XV, XXIX. Chuſai, II. Reg. XVI, XIX. & quos Hornejus citat: qui tamen callidos facere maluit, quam partim vi-

tam

tam & uxorum pudicitiam ſervantes, partim divino nutui ſe attemperantes, bona fide abſolvere.

Quibus argumentis nec omne dictum falſum eſt peccatum, atque adeo mendacium, aut dolus; neque etiam hæc ſententia, Omne mendacium eſt falſiloquium, retro commeat; tantumque intereſt inter hoc & illud, quantum inter gladium & parricidium: ac proinde laxitas definitionis, quæ & nonnullis bonis operibus congruit, alio reſtringenda eſt additamento. Id circumſpicienti non aliud occurrit, quam falſiloquii ad perniciem alterius, contra jura ſocialia, collatio. Nec vero id quiſquam negat, figmentum damnificum, eſſe nefas, atque id longe maximum: illud tantum quæritur, an ſolum ſit; adeo, ut quod non hominem, id nec offendat Deum. Nos annuimus, abnuunt alii. Inde Euſtratium rejicit Hornejus, vanitatem ab utilitate removentem: quod *non tantum virtutis eſt in contractibus, & ibi, ubi verum dicendum eſt, ut alteri ſuum tribuas, veritati ſtudere, ſed ibi etiam, ubi ſine alterius noxa mentiri poteras.* Dicere poſſum, caute loquendo pugnare ſecum hæc, *mentiri ſine noxa*; & *virtutis* vocabulum lucis indigere: cum duplex ſit virtutum genus, ut ſupra eſt expoſitum, decorum & neceſſarium: ad prius pertinuerit, non mentiri; ad poſterius, non mentiri ut noceas. Sed mittamus verba, rem putemus.

Natura, cum ſocietatem meditaretur tena-

ciſſimo nexu inter ſe devinctam, ſingulos homines imbecillos & egenos condidit, neceſſitatemque auxilii mutui lege communivit. Cumque juvare alter alterum non poſſet, niſi deſideria ejus intellexiſſet, communicandorum ſignorum, *ſimilium voluntatibus noſtris*, ut loquitur in Confeſſ. Auguſtinus, inprimisque vocis, poteſtatem fecit. Si igitur ſignorum, quibus ad intima pectoris noſtri aditum aliis patefacimus, ille finis eſt atque uſus, ut noſtras & ſociales utilitates his tanquam inſtrumentis expediamus; non percipio, quid, illis expeditis, porro ad rem pertineat, congruant ſignis ſignata, nec ne: cum finis cujusque rei, ſit ejusdem norma; rectum vero, quod cum norma convenit. Spectaviſſe hoc videtur S. Paulus, Epheſ. IV, XXV. qui cum præceptum poſuiſſet, Διὸ ἀποθέμενοι τὸ ψεῦδος, λαλεῖτε ἀλήθειαν, ἕκαστος μετὰ τοῦ πλησίον αὐτοῦ; hanc ſubjungit rationem: ὅτι ἐσμὲν ἀλλήλων μέλη.

Immo ſic videto. Edictum hoc naturæ, de mutua caritate, indubium eſt congregationis humanæ fundamentum. Quotiens igitur cum hac lege, *Diliges proximum*, quam *univerſale magnum* Hebræus quidam doctor vocat, pugnare videbitur illa, *Non dices falſum teſtimonium*; non in tuto collocabit conſcientiam, qui priorem illam & ſuperiorem huic inferiori anteponet? cum præſertim illa, Chriſto interprete, & Apoſtolo ad Rom. XIII. comm. IX. hanc includat, atque adeo hæc illius cauſſa videatur lata. Inde eſt, quod

non

non dicitur in Decalogo, Ne loquaris falſum; ſed additur vox, quæ involuit periculum famæ, aut alterius boni. Quare igitur lego apud B. Auguſtinum, quod nec *ad ſempiternam ſalutem ullus ducendus ſit*, *opitulante mendacio*, id eſt, falſiloquio? cum ejusmodi ſermo, ſi non menti omnino noſtræ, divinæ tamen congruat.

Iterum vide. Qui militi victoriæ intento (ſub exemplo enim clarius loquar) falſo perſuadet, minimum eſſe hoſtium numerum, ſimul victoriam ſpondere ſub hac cauſſa intelligitur. Novit enim, perſuaſionem hanc audaciæ, audaciam victoriæ matrem eſſe. Orationis igitur hujus pars altera falſa, altera, & quidem haud dubie præcipua, quæ optati finis conſecutionem pollicetur, probabiliter vera. Non igitur, cum utraque nequeat, morali æſtimatione, ſatis erit, ſi vera ſit potior? non hæc ſola denominabit actum? non diverſa quadantenus judicabimus, fallere, & falſo ad verum pervenire? Quod ſi diceret imperator, Si credideritis inferiorem eſſe hoſtem, ut maxime non ſit, vincetis; nihil ageret. Credere enim, quod falſum eſſe ſcias, τῶν ἀδυνάτων eſt. Jure ergo, quod credi cupit, credibiliter, id eſt, tanquam verum, dicit: ut hoc quoque loco potius id quod actum, quam id quod dictum eſt, ſequendum videatur.

Quamobrem, ut ſententiam noſtram plenius ac diſtinctius proponamus, omne quod falſo prædicatur, aut ex cauſſa dicitur, aut exci-

dit ſine cauſſa. Si hoc modo, lingua mentem antevertit: cujus eſt, recantationis pœna garrulam, ubi opus eſt, vexare. Si ex cauſſa, erit ea vel à ſcientia, vel ab ignorantia, cui per interpretationem ſubjicitur incogitantia: quam ſi damnum ſequitur, quod proſpicere licuerit, culpa non vacat. Si à ſcientia, erit propter bonum aliquod, vel ſimplex, vel cum alterius malo copulatum. Quo loco non teneo me, quin admoneam, dextre intelligendum eſſe Ariſtotelem, cum populariter, ut ſolet, ait, quoſdam τῷ ψεύδει αὐτῷ χαίρειν: quod *merum mendacium* diceret Auguſtinus. Nemo enim vera æſtimatione gratis mentitur, aut mendacio ipſo delectatur, ſed aut opinione ingenii, aut quia ſuaviter alterum irriſit, irridendumve aliis (ut liceat comico verbo uti) propinavit, & ſi quid aliud inde boni aut veri, aut imaginarii ſubnaſci poteſt.

Jam boni cauſſa fallere, maxime alieni, & publici (de vero autem, non quod tale videtur vafris & tyrannis, agimus) prævaricatio non eſt: quod à viris optimis tota die fieri video. Quinimmo prudentiam arbitror ac pietatem, quod tu, verborum ſervitutem quandam fingens, fortaſſe etiam cum Momo feneſtratum homini pectus optaturus, nequitiæ titulo infamas. Atque adeo hominum generi clara voce acclamo, & cunctantes hortor: *hic contrahe, quicquid ſive animis, ſive arte vales*; ſiquidem nimium vitæ cum Auguſto commode tranſigere velis. Decet enim profecto

fecto ſapientiæ amatorem, proferre potius, quoad poteſt, quam contrahere humanarum utilitatum fines. Ne tamen hac ipſa ſpe quodam modo excidamus, cautelam addere, quam eclogæ Stobæi Serm.LIX. mihi ſuggerunt, placet: *In rep. mentiri, ulla lex ulli usquam non concedet, niſi veritatis amico & prudenti, qui, quo modo ac tempore non obſit mendacium; intelligat; neq; id, niſi commoditas neceſſaria hinc exiſtat, faciat.* Hæc ibi Græcis verbis Euſebius.

At vero ſimulatis verbis in fraudem aliquem impellere, & inde ſuum aut alterius comparare commodum, malitiæ eſt: niſi hoc longe præponderet. Quo referendum eſt dulce adulationis venenum, oſtentatio item, quæſtui aut gloriæ accommodata; hoc magis, quo latentior eſt & doctior: quantum enim falſo ſibi arrogat, tantum derogat veris aliorum meritis; cum Thraſones & Pyrgopolynices illi riſu, quam pœna, digniores habeantur. Exempla talium mendaciorum congeſſit Val. Max. lib.IX. cap.XV. Atque hoc demum verum & fugiendum mendacium, dolique nomine dignum credimus. Quamvis enim & *dolum bonum* dixerint veteres, cum quis ſibi aut alteri aliqua prodeſt, aut certe non obeſt, vel jure ſuo obeſt; *ſolertiam* interpretatur Ulpianus, additis exemplis, *ſi adverſus hoſtem latronemq; quis machinetur*; vulgo tamen, ut Feſto etiam obſervatum, hoc vocabulum mali odoris eſt ac famæ, & neſcio quid nocivum denotat. Ni hic interim obſtat, quo mi-

nus

nus *dolo*, majoris evidentiæ cauſſa, addatur epitheton *malus* (quod ex XII. tabb.deſcendiſſe Donatus ſcribit) aut NOXIUS.

Dicimus autem noxium, non ſolum quo malum aliquod infertur, ſed & quo bonum (cui & Dei gloriam,& eccleſiæ incrementum aſſociamus) præpeditur, aut cum potuiſſet, non quæritur. In malis vero non haberi, quod quis citra injuriam patitur, amiſſione alicujus boni, quo præter fas abundat, rationis eſt: ut hoſti in bello pio licite fumos vendimus. Quem enim factis offendere haud iniquum eſt, eum verbis non poſſe lædere ſit abſurdum; niſi in modum contractus efferantur. Itaque ſe & alios fallit,cum fallere hoſtem poſt alios mendacio vetat, Guil.Ameſius, de Jure conſcientiæ, lib.v.cap.xxxiii.th.xxxviii.Primo enim ita loquitur, ut ſi in omni mendacio abrumperetur fides. Deinde, inter verba & alia ſigna diſcrimen quærit:quorum parem eſſe rationem, ex infra poſitis cognoſcetur.Hoſtibus æquiparat Lipſius exteros,Pol.iv,xiv, xxxii.caute, an ſecus, ut quidem hodie vocibus iſtis utimur,ſapientum judicium eſto.Eum quoque verbis injuſte non fallimus, qui injuſta petit: ut Pharaonis mandata, de ſubmerſione inſontium puerorum, merito eluduntur. Injuria enim eſt, quæ jus alterius (quod nullum habetur in inſontes) minuit.

Sed quoniam ad famam cuique ſuam & honorem conſervandum jus eſt, ſecretis noſtris imminentem ita ſummoveamus, ut ne illuſiſſe videa-

videamur: id eſt, nec ſubſañemus (quod ex deſtinatione ac voluptate animi, reique apud alios comemoratione æſtimatur) & caveamus, tale quippiam nobis excidat, quod in ludibrium ei vertere apud alios queat. In quo diſſentit verbis, re conſentit, opinor, eruditiſſ. Pufendorfius, qui conceſſit nuper adverſus importunum, *ludibrium, quod curioſitas ipſius meretur.* Scil. non omne quod quis juſte patitur, juſte à nobis interrogatur. Quare in facto Papyrii apud Gellium, lib. I. cap. XXIII. cauſſam, hoc eſt, fidem atque ingenium, præſertim in ætate ineunte, laudo; modum non humanitati tantum, ſed etiam reverentiæ matri debitæ adverſum, ac periculi plenum cenſeo.

Cum primis autem judex verum intelligendi jure pollet. Nunquam igitur perſuaſerit mihi Quinctilianus, Inſtit. Or. XII, I. licite fieri poſſe, *ut vir bonus in defenſione cauſſæ velit auferre aliquando judici veritatem.* Primum enim nec ſanctitas judicum, Dei nomine præſidentium, nec obſequii neceſſitas, ulli circumſcriptioni vel contumaciæ locũ dat. Quæ valebunt etiam contra laudatum Pufendorf. Juriſpr. univerſ. II, IV, XXXV. & qui cum eo faciunt ex Canoniſtis. Præterea non tam neceſſarium profecto hoc videtur, quam periculoſum: plus enim detecta nocent. Si præſertim non tam facta, quam ſententiæ falſæ proponantur: quod ſemper (ſumma tamen ratio eſt, quæ pro religione facit) noxium eſt; cum in ſeſe, tum quatenus ex uno errore infinitæ aliorum myriades

riades naſci ſolent. Jam vero, cum exemplum de tyranno affert, incertum per incertum probat; Græcorum moribus, ſed lege ſtabilitis, præoccupatus. Ad poſtremum ex una quæſtione in aliam deſilit, & quod modo de mendacio defenſionis diſputaverat, ad defenſionem ipſam confert. Idem accidit Tullio, Offic. II. His permotus, Oreſtem Pyladis amicum (nota eſt hiſtoria) admiror potius, quam abſolvo.

Sunt autem varii nocendi modi: nam aut factis aliquem ſubruimus, aut ſermonibus. In his eſt mendacium. Nimis enim ſevere ſapit Hierocles, qui ad illud Pythagoricum, πολλοὶ δ' ἀνθρώποισι λόγοι, pro ſermone habendum non exiſtimat, qui à veritatis lege deflectat. Ipſa verba ſunt: Μόνοι λόγοι εἰσὶν οἱ ἀληθεῖς. Prorſus ut Plato, & hunc ſecutus Cicero, legum; Stoici paſſionum numero excellentiores tantum habent, id eſt, bonas; quæſtionem Quid, cum quæſtione Quale oratorie confundentes. Quapropter hæc neutiquam officient, quo minus in definitione concipiamus dolum noxium IN VERBIS.

Quo quidem nomine, quamvis potiora illa & uſitatiora fere ſigna inſigniantur, nos tamen & reliquas intellectas volumus notas & actiones, per quas in notitiam alteri venire aliquid poteſt. Nempe & his loquela ſua eſt: ſicut vibrantia ſupercilia, manus, oculi, *loquaces* audiunt poëtis. Ideo quod verbis non licet, nec ſignis ceteris licere debet: ne diſtrahantur, quæ divina conjunxit ſapientia, Prov. VI. com. XII. Bene Ambroſius, in Serm. De Abrahamo: *Non ſolum in falſis verbis, ſed etiam in ſimulatis operibus mendacium eſt.* Et philoſophorum principi memorantur,

rantur, ψευδόμενοι ὁμοίως ἐν λόγοις ϗ πράξεσι. Similia docet Thomas. Neque intereſt (etſi turpius peccatur actu poſitivo) exprimantur ea, an ſupprimantur: nam & illi, quorum reticentia alteri cauſſa eſt vel adjutrix erroris noxii, *cum tacent, clamant.*

In exprimendis vero ſignis, non tam (quod Grotio placuit) quomodo vulgo intelligi ſoleant, aut ſi quâ ſunt ſimilia, quam quomodo intellecturus ſit, cui ſignificatur, ſpectandum arbitror: ne actus in irritum cadat. Neque adeo refert in mendacio, aperte dicas ab re alienum, an verum quidem; ſed quod ob πολυσημίαν vocum alterum alio accepturum præſcias, adeoque partim verum, partim falſum: qualia falſis potius accenſere (veritatis enim ἁπλοῦς ὁ μῦθος) manifeſta ratio jubet. Plane ut immerito idem Grotius obſcuras locutiones quamvis non temere probet, à mendacii notione excluſerit: quod eſſet, ac ſi tu velles ab arte gladiatoria ſegregare ancipites illos ictus; quos à fingendo hodie dicunt. Ex eadem nota eſt, cum ſigna ad alium quidem diriguntur, alium autem petunt, aut læſura prævideri poſſunt: niſi vero per cuniculos lædere, id lædere non eſt. Quam enim Grotius negat eſſe, ad tertium obligationem, nos putamus eſſe ex caritate & humanitate: quam toti huic negotio damus moderatricem. Ideo namque facultatem ſignorum à naturæ munificentia (reliqua ex humano inſtituto, ſed libero & variabili, ſunt) accepimus. Valeant igitur & hi, qui, ut loquitur Tragicus, *per quos fallere alium cogitant, fallunt.* Item qui vera dicentes mentiuntur, dum tanquam mentientes dicunt. Quam aſtutiam longe exuperat illa, qua ſe magnifice effert Terentianus ille veterator, in Heaut. act. IV. ſc. III.

Nondum integra eſt definitionis formula: neque enim in omnibus verbis ſedes eſt mendacii, ſed in FALSIS demum. Quare & hoc definitioni complementum accedat. Eſt autem falſitas communiter, diſconvenientia mentis & rei: quemadmodum verum ex adverſo definiunt, *conformitatem rei & intelle-*

tellectus. Quo rurſus perſpicitur, falſum eos dicere, qui falſidicum abſolute velut edicto prætorio damnant. Si enim non mentis (quod nemo cor habens neget) nec verborum omne à re diſſidium æterna ſupplicia merebit: cum in pari condition cauſſaque poſitus ſit internus externusque ſermo. Nec ſi voluntas quidem fallendi acceſſerit, merebit, quod enim in ſe non eſt injuſtum, ut prandere, ne conſilio accedente erit. Sed hæc ſcatebra eſt erroris quod in falſimoniis mentem potius fallentis, quam rem, qua de agitur, plerique in oculis habent; tanquam vanitatis natura poſita ſit in diſſipatione fœderis, quod linguæ cum animo intercedat: in quo perplexe eos loqui, intellectum eſt ex ſuperioribus. Na revera etiam tunc, cum prudentes falſum dicimu animus & conſentit, & δεσποτικῶς jubet: potiusqu animus à ſe ipſo, aut vox ab animi aliqua parte diſci pare, quoniam quidem utrumque accidit falſiloquentiæ, dicenda eſſet.

Ex quibus omnibus hæc extruitur definitio: MENDACIVM EST DOLVS NOXIVS IN VERBIS FALSIS. Quo exemplo veracitatem quoque quæ virtus neceſſaria eſt, licebit definire cum Corn. Martino, Diſp. Eth. IX. th. XV. *quæ in congreſſibus hominum; de attinentibus ad nos & illos, veritatem, ut decet, patefacit.* Quæ definitiones, aut τύποι ſaltem, ſi cum animi tui ſententia, id eſt, rei veritate congruunt, BOECLERE DOCTISSIME, gaudeo: certe id operam unice dedimus, ne de veritat ſcribentes, primi in eam peccaſſe videremur. Sin minus (neque enim de his quidem ſermonem inter nc commutatum memini) juvabit tamen hac ipſa diſſertatione accuratioris tractationis velut anſam tibi, tanti videbitur, aut aliis præbuiſſe: nam vel ſic humanum genus, mihi quod debeat, habebit.

ANT 131765

8179

XVII
C 15